The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, IL

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM
ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ
S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

---

Tomus quartus
De Angelis.

WITHDRAWN

EX LIBRIS PROVINCIÆ
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU

208.885
F843p
v.4

LIBRARY
EX LIBRIS PROVINCIÆ
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA
(MATER AMABILIS)
Via S. Nicola da Tolentino, 4
1900.

MONITUM.

Sicut præfati sumus in proœmio Primi Voluminis hujus operis, Auctor P. Frassen pro secunda editione, quam morte præventus absolvere nequivit, pleraque castigavit et nova addidit, quæ in hac nostra editione pro prima vice lucem aspiciunt. Adnotata et reportata signabimus asterisco ✳.

202.87
F843s
v.4

12337

IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM

PRÆFATIO.

Moyses *Deum aliquando enixe deprecatus, ut sui divini vultus intuitum concederet, hoc ab eo responsum audivit:* videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris: *simile quid impræsentiarum nobis accidit; quippe omnem nostram operam hactenus impendimus, ut Deum intra se* subsistentem, operantem, et producentem, *primum librum Sententiarum explanando, detegere, et inspicere liceret: at imbecillis, et cœcutiens nostræ mentis acies immensam illam Divinitatis lucem, nec suspicere, nec sustinere valuit. Quocirca, Moysis instar, ad ipsius Deitatis posteriora, nempe externa illius Opera lustranda, jam devolvitur, ut divini illius Solis splendorem in creaturis, tamquam refractum, et velut radium in aquæ guttulis benignius emicantem intueri queat:* Dei quippe posteriora sunt, *inquit Nazianzenus, Orat.* 34., ea quæ post eum extiterunt, nobisque ipsius Numen declarant. Non secus videlicet, ac Solis in aquis umbræ, ac simulacra infirmis oculis Solem repræsentant; quandoquidem eum obtueri non possumus, utpote lucis puritatem sensum omnem superantem. — *Itaque a Dei contemplatione non recedit, nec quæ Theologi sunt minus exequitur, qui miranda ipsius Deitatis opera scrutatur, et investigat; utpote cum ipsa mire lucentem præseferant Dei speciem, in seipsis impressam ut in sigillis, expressam ut in speculis, ut in radiis effusam, ut in effigie delineatam:* invisibilia enim ipsius Dei, *ait Apostolus ad Romanos* 1., a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas. — *Hæc autem omnia creata opera triplicem in ordinem justa lance, ac sapienti nomenclatura libravit, ac distinxit rerum omnium Arbiter, et Opifex Deus.* Angeli *namque, utpote omnino spirituales, creaturarum fastigium merito occupant: sunt enim primarii, ac præcellentes Deitatis defluxus, in quibus Deus seipsum et expressit clarius, et signavit perennius.* Corporea *quæque, seu viventia, seu vitæ expertia, quibus nulla rationis, et intelligentiæ lux affulget, extremum locum tenent; hæc enim solam Dei entitatem adumbrant, illa vero infima tantum ipsius vitæ participatione gloriantur. At* Homo, *veluti medius inter hæc extrema dissidentia positus, utramque naturam, spiritualem, ac corpoream in se felici vimine compaginat. — Nam, ut eleganter rem expendit Nazianzenus, Orat.* 38., Mens jam, et sensus, sic inter se discreta finibus suis se continebant: nondum autem utriusque temperatio ulla erat, aut contrariorum mixtura, quæ sublimioris Sapientiæ, ac circa naturarum creationem varietatis, et excellentiæ specimen exhiberet. Hoc

igitur cum artifici verbo ostendere placuisset, animal unum ex utroque, hoc est ex invisibili, ac visibili natura, hominem fabricatur..... Velut alterum quemdam mundum in parvo magnum, in terra collocat; Angelum alium, mixtum adoratorem, et visibilis naturæ spectatorem, intellectualis Mysten; eorum quidem, quæ in terra sunt Regem; superis autem subditum; terrenum et cælestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eumdem spiritum et carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam vitandam. — *His itaque tribus creatorum entium gradibus, nempe pure spiritualium, pure corporeorum, ac partim e materia, et partim e spiritu concretorum, cum divini opificii universitas integretur, et illustretur, hinc sapienti consilio* Petrus Lombardus, *et quotquot eximii fuerunt illius Commentatores, et Interpretes, in ordinando secundo Sententiarum libro id unicum auspicantur, ut explicato hoc triplici creaturarum ordine, ineffabilem Dei creantis, et extra se producentis virtutem, ac sapientiam commendent. — Quamquam autem de corporeæ creaturæ molitione, natura, et præcellentiis jam satis superque dixisse videamur in Academica nostra Philosophia; nihilominus, ut hoc nostrum Opus omnibus suis partibus constet, nonnulla hic, sed alia dissertatione revolvenda proponemus. Itaque illa omnia, quæ in secundo Sententiarum libro a Subtili Doctore discutiuntur, tres in Partes, seu Tractatus distribuemus, juxta triplicem creaturæ pure intellectualis, videlicet* Angelicæ, *pure corporeæ, nempe totius* Universi, *et partim corporeæ, partim spiritualis, puta* Humanæ, *notitiam assequendam.*

Prima *itaque pars Angelorum excellentias, et operationes intra ordinem Naturæ, et Gratiæ complectetur;* secunda, *totius mundanæ molitionis ordinem, et formationem delineabit:* tertia *vero mirandum hominis opificium, variamque ejus sortem aperiet.*

TRACTATUS PRIMUS

DE ANGELORUM NATURA, OPERATIONIBUS, ET PRÆCELLENTIIS.

Ea est Angelorum naturæ dignitas, et originis præstantia, ut sit divinæ generationis velut æmula, *Cum Deus* (sui divini Verbi instar) *ante universam creaturam, mente conceperit, et produxerit Angelicas potestates*, ait Anastasius Synaita *de Opificio diei sextæ*. Inde merito apud Jobum cap. 1. *Filii Dei* quin, et *Dei primogeniti* a SS. Patribus appellantur: quodque summum eis est laudis encomium, ipso etiam divino nomine *Jehovah* insigniri solent in sacris Bibliis. Nec mirum, *Angelus enim*, inquit S. Dionys. cap. 4. *De Divin. Nominib., est divinæ bonitatis radius, imago Dei, latentis lucis declaratio.* Et ut addit cap. 5. *collocatus in ipso vestibulo supersubstantialis Trinitatis*, hoc est, propius quam aliæ res creatæ ad Deum accedens. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 34. *Angeli sunt primi luminis æterni radii, primique splendoris administri, supernæ gloriæ spectatores, et testes; supercælestes, et purissimæ naturæ, ad malum immobiles, vel certe non facile mobiles, perpetuos choros circa principem illam causam agitantes, purissimo splendore illinc perfusæ, et a summa illa pulchritudine adeo informatæ, ut ipsi quoque alia lumina efficiantur, ac puræ primi luminis influxiones, et communicationes ut alios illuminare possint.* Hi sunt, ut scribit Ezechiel, *signaculum similitudinis Dei.* Signaculum, inquam, non solum suæ naturæ, ac sanctimoniæ dotibus, Dei majestatem adumbrans, et referens; sed etiam illam resculpens in hominum mentibus: *dum* (ait S. Ambros. lib. 12. in Lucam) *bonum odorem sanctificationis aspirant; Omnes* namque *sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Hinc profunde Tertullianus libro *De anima* cap. 37. *Nos* (inquit) *divina Officia Angelos credimus.* Et revera quidem, Dei namque munia præstant, et exequuntur, quod attinet ad res humanas; quippe *divinam auctoritatem suo munere exprimunt* (inquit Sophronius in sanctorum Angelorum encomio): unde luculenter S. Hilarius in Psal. 129. illos Dei oculos, aures, et manus, et pedes appellat. *Si forte* (inquit) *hos esse oculos, vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, non habemus auctoritatem improbabilem:* sic namque perspicaces sunt ad prævidendum, et providendum quod nostrum interest; sic misericordes ad compatiendum nostris ærumnis; sic actuosi, et veloces ad ministranda nobis divina subsidia, ut merito Dei oculi, manus, pedes, et aures vocitentur. Haud difficile nobis esset per eorum laudes, et

encomia latius excurrere, si hoc ipsum ab instituto nostro non foret alienum. At illorum definire naturam, proprietates explicare, reserare operationes et dotes ac ordines investigare, res sane ardua et longe mortali homine major. *Nam* (inquit S. Dionysius De cælesti Hierarchia c. 6.) *quot, et qui sunt cœlestium naturarum ordines, et quemadmodum eorum Hierarchiæ consecrentur, solum eorum deificum mysteriorum Principem, certo scire judico; et præterea eos nosse vim suam atque illustrationes, sacrumque suum, et mundo superiorem bonum ordinem: Nos enim cœlestium Mentium mysteria, sanctissimasque earum perfectiones intelligere non possumus; nisi forte ea contendat aliquis nos intelligere, quæ nos per eas, ut quæ sua præclare cognita habeant, Divinitas ipsa docuit.* — Igitur ut aliqualem sublimium illorum Spirituum notitiam, tum ex sacrarum Scripturarum fonte, tum ex sanctorum Patrum doctrinæ rivulis hauriamus, præsentem secundi Libri Sententiarum partem Quatuor disputationibus absolvemus: quarum *Prima* Angelorum existentiam, naturam, et ordinem aperiet: *Secunda* eorum facultates, operationes, et dotes reserabit: *Tertia* ipsis divinitus concessa supernaturalia beneficia, eorumque meritum ac demeritum explicabit: *Quarta* denique perduellium Angelorum malitiam, damnationem, illorumque in Deum odium, et in homines sævitiam referet.

DISPUTATIO PRIMA.

DE ANGELORUM EXISTENTIA, NATURA, ET ORDINE.

Angelorum nomine intelligimus naturas illas intellectuales medias inter Deum, et homines: Deo quidem inferiores, sed hominibus superiores, quas Gentiles Philosophi *Intelligentias, Genios, Deos secundarios, Cœlorum Animas, et Species separatas* appellarunt. Quamquam *Angeli* nomen, si ethymon attendas, non naturæ cujuspiam, sed officii significativum sit, idem exprimens quod Latine *nuncius et legatus*, a græco ἀγγέλλω idest *nuncio*. Unde S. Augustinus Psal. 103. *Spiritus* (inquit) *Angeli sunt: et cum Spiritus sunt, non sunt Angeli: cum vero mittuntur fiunt Angeli: Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est: Quæris officium? Angelus est.* Concinit S. Dionysius qui cap. 4. *De cœlesti Hierarchia*, ait, cælestes illos Spiritus Angelorum præcipue nomine appellari, *Propterea quod primum eis insit divina illustratio: ac per eos ad nos transportentur eæ, quæ naturam nostram superant patefactiones.* Hoc autem Angelorum ministerium expressit sanctus Paulus ad Hebræos 1. *Omnes*, inquit, *sunt administratorii Spiritus in ministerium missi, etc.* Unde Olympiodorus cap. 1. in Job, ait: *Existimare possumus Angelum quempiam divina mandata exhaurientem;* ac si Angelorum quivis pia aliorum æmulatione exambiat, ne quid aliis jubeatur, sed uni sibi totum: unde eorum quisque agillimo obsequio mandatum in momento perficit, ut fere absque ulla mora, iterum adsit Deo, ut ita ipse solus, si fieri posset, divina mandata exhauriat. Quare Isaias cap. 6. videt Angelos ignitos charitate Dei, et hominum, *stantes* ante solium Divinitatis, et simul *volantes*. Volant ocyssime ad exequenda mandata circa hominum curam; et una stant ante Dei solium, ut nova imperia capessant, et sic divina mandata exhauriant. Sententiose ergo dicuntur Angeli,

Psalmo 102. *facientes verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus:* sic namque æstuant charitate in Deum, sic sunt impigri ab amore in homines, sic diligenter peragunt divina humanaque negotia, ut vix citius audierint divina mandata, quam impleverint. — Ceterum de cælestibus illis Spiritibus sic usurpatis, et nominatis, tria in sequentibus Articulis veniunt discutienda: quorum *Primus* Angelorum existentiam, et rationes, quibus ipsa firmetur, ac probetur aperiet: *Secundus* illorum naturam explicabit: *Tertius* denique eorum numerum, et ordinem explanabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

Mirum est, inter Judæos, hoc est, in electo illo genere, Deique populo charissimo, tot Prophetarum oraculis instructo, repertos fuisse aliquos, qui tanto minus, quam externi, ac Gentiles divinis, ac cælestibus in rebus saperent, negantes ullum esse spiritum, ac substantiam materiæ expertem, uti de Sadducæis refert sanctus Lucas Act. 23. *Qui neque resurrectionem fore credunt, neque Angelum esse, neque Spiritum;* cum tamen hanc ipsam veritatem compertissimam habuerint veteres Philosophi, eamque notitiam assecutus fuerit Aristoteles ipsa ratiocinationis via; nam *octavo Physicorum libro,* et *duodecimo Metaphysicorum,* idipsum argumentando colligit, maxime autem ex orbium Cœlestium agitatione: quorum conversionibus ad perpetuitatem incitandis, ac gubernandis præesse docuit absolutas a corporum concretione substantias, quas seperatas appellat. Sed longe stupendum magis, etiam irradiante Evangelii lumine, non solum plurimos extitisse olim Hæreticos, imo etiam nunc temporis extare plurimos hujusmodi Tenebriones, qui ✳ "conceptu corporeitatis ita imbuti sunt et effacinati, ut nullam substantiam nisi corpoream imaginari possint; et quæ de angelis et dæmonibus dicuntur, nonnisi de phantasiæ et imaginationis prave dispositæ excessibus et aberrationibus interpretentur." ✳ Quocirca operæ pretium est in præsenti Articulo Angelorum existentiam omnibus, quibus fieri poterit, tum fidei, tum ratiocinationis naturalis momentis suadere, quatenus illa nemini amplius in dubium veniat: deinde aperire a quo, quando, et ubi creati fuerint.

QUÆSTIO PRIMA.

AN REVERA CONSTET ANGELOS EXISTERE.

Notandum 1. Quod cum *Angeli* nomen secundum ethymon, non naturæ, sed officii vocabulum sit, idcirco triplicem habet attributionem, et significationem: *Primo* namque convenit iis omnibus, qui a Deo deputantur ad aliquod munus implendum; nam, inquit Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 9., *Deus eos vocare consuevit Angelos, quos virtutis suæ Ministros præfecit;* qua ratione Sacerdotes Angeli vocantur Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quoniam Angelus Domini exercituum est.* Sic pariter S. Joannes Baptista Matth. 11. dictus est a Christo Domino *Angelus Domini*; juxta illud Malachiæ 2. vaticinium: *Ecce ego mitto Angelum meum* ✳ "Quæ verba expendens

S. Chrysologus serm. 127. 79, Joannes, inquit, *virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum... Joannes major homine, par angelis, legis summa, apostolorum vox, silentium prophetarum.* Præiverat S. Augustinus lib. 15. cap. 23. *De Civit. Dei,* ubi scribit: *Angelos fuisse etiam homines Dei nuncupatos, eadem Scriptura sancta locupletissime testis est; nam et de Joanne scriptum est: Ecce mitto Angelum meum etc.* Hinc Tertullianus lib. contra Judæos, cap. 9. idem Malachiæ vaticinium declarans ait: *Nec norum est Spiritui Sancto angelos appellare eos, quos ministros suæ virtutis Deus præfecit.*'' * Quin etiam ipsemet Christus Dominus Isaiæ 9. juxta versionem 70. Interpretum *magni consilii Angelus* appellatur: et Malach. 3. *Angelus Testamenti:* at *officii, non naturæ vocabulo,* inquit Tertullianus lib. *De Carne Christi* cap. 14. Pari ratione qui a dæmonum principibus aguntur ut hominum saluti obsistant, eorum Angeli dicuntur. Sic Matth. 25. *Qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus. Secundo* hujus nominis strictior usurpatio solam designat eam substantiam intellectualem, spiritualem, completam, nullum cum terrena, ac materiali concretione commercium habentem, cujuscumque status sit, et ordinis: qua ratione *Angeli* vocabulum non solum beatis mentibus, sed etiam perditissimis dæmonibus convenit. *Tertio* tandem hoc nomen solito usurpant Theologi ad significandas illas spirituales Intelligentias, quæ tertium ordinem in ultima Hierarchia implent, et a Deo ad hominum custodiam deputantur. Hic autem tantum nobis sermo est de Angelis juxta utramque posteriorem usurpationem dictis.

Notandum 2. Quod cum duplex sit demonstrationis genus: alia nempe quam dicunt *a priori,* qua videlicet effectus per causam innotescit; altera quam *a posteriori* subnominant, qua nimirum causa per effectum apparet; inde quæritur an alterutra, vel earum utraque Angelorum existentia suaderi queat. Certum est autem illam non posse demonstrari a priori: siquidem illa demonstratio colligit existentiam effectus ab existentia causæ illius productivæ, propter strictam, eamque necessariam inter utrumque habitudinem: at nulla potest assignari, nec excogitari causa, qua necessario Angeli dicantur existere: illa enim esset vel intrinseca, vel extrinseca. Nulla autem eis esse potest intrinseca necessario existendi ratio; quippe solus Deus ex se, et in se habet necessitatem essendi, cætera vero ab eo entia omnino contingentia sunt, possuntque esse vel non esse. Nulla pariter assignari potest hujus necessariæ productionis causa extrinseca; cum Deus omnium entium extra se sit liberrimus Opifex, possitque pro nutu, et arbitrio res producere, vel æternum deserere improductas: ideoque sola superest libranda quæstio de demonstratione petenda ab Angelorum effectibus si qui sint ab illis editi.

Notandum 3. Tres potissimum assignari posse effectus ex quibus colligi queat Angelorum existentia: videlicet motum Cælorum, quos ab Intelligentiis perpetuo agitari docuit Aristoteles lib. 1. *De Cælo* cap. 9.; item stupenda illa opera, quæ a Magis fieri conspiciuntur: denique miranda illa, quæ ab Arreptitiis, et Energumenis hominibus eorum vires excedentia fieri conspicimus. Certum est autem regulatum Cælorum motum leve esse argumentum ad demonstrandam Angelorum existentiam; tum quod eos a propria forma regulate moveri plures Phi-

losophi non abs re contendunt: tum quod longe plures sunt Intelligentiæ, quam Cæli; adeoque eorum existentia a Cælorum motu, et numero congrue nequit inferri: tum denique quod Deus ipse ordinatum Cælis motum, sicut et terræ firmam stabilitatem per se indere potest. — Restat ergo determinandum, an ex duplici altero capite ita sufficienti momento evinci possit Angelos existere, ut huic veritati refrageri nequeat rationis compos. Duo igitur hac in Quæstione veniunt determinanda: *Primum*, an fide constet Angelos existere: *Secundum*, an idipsum ratione demonstrativa, aut saltem valde probabili etiam suaderi queat.

Conclusio prima. — Fide constat existere naturas spirituales homine superiores, ac præstantiores, quas Angelos dicimus: Idque

Firmatur innumeris Scripturæ textibus, tum in Veteri, tum in novo Testamento. *Primo* namque Scriptura inducit illos cum Deo, et hominibus colloquentes de rebus divinis, et sensum superantibus, ut videre est Genesis 18.,Judic. 2.,Isa. 6.,et totis fere libris Danielis, Tobiæ, et Apocalypsis 2. et sequentibus; adeoque indicat illos esse intellectu præditos. *Deinde*, affirmat illos esse Deo subjectos, a quo mittantur in ministerium; quemque velut Dominum, et Deum suum laudent, colant, adorent. Heb. 1. vers. 14., Psal. 99. vers. 7., Daniel. 3. vers. 58., Apocal. 22. vers. 9. et alibi. *Tertio*, asserit illos esse superiores, et præstantiores hominibus, 2. Petr. 2. vers. 11. ubi de malis Angelis dicitur: *Angeli virtute, et fortitudine cum sint majores:* et Psalm. 18. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, quod etiam de Christo ipso secundum naturam humanam spectato, et sic Angelis inferiore, interpretantur S. Paulus Hebr. 2. vers. 9., S. August. in Tract. *De Cantico novo* cap. 7. *Quarto*, quoties Scriptura homines præ cæteris ob singularem aliquam prærogativam extollit, toties eos cum Angelis velut perfectioribus comparat. Sic 2. Regum cap. 14. mulier Davidem alloquens, ait: *Tu Domine mi Rex sapiens es sicut sapientiam habet Angelus Dei*: sic Actorum 6. Judæi *viderunt faciem ejus* (Stephani) *tamquam faciem Angeli:* sic S. Paulus ad Galatas 4. *Sicut Angelum Dei excepistis me.* — *Confirmatur* insuper ex eo quod Scriptura sacra varias proprietates, et actiones tribuit Angelis, quæ nonnisi in creaturam spiritualem cadere possunt: una est videre Deum, Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est:* alia est benedicere, et laudare Deum, quod passim Scriptura Angelis tribuit. Sic Psalm. 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus.* Tertia est custodire homines. Sic Psal. 90. et Matth. 4. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te:* ad quod etiam spectat homines dirigere, defendere, illuminare, docere, instruere, et loqui, quod Angelis utique pluries Scriptura sacra tribuit, maxime Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi: observa eum, et audi vocem ejus, etc.* Quarta denique Angelorum proprietas est esse liberi arbitrii facultate donatos, quippe cum peccare possint, et fieri pœna digni, uti de facto perduellibus Angelis contigit, juxta illud 2. Petri 2. *Angelis peccantibus non pepercit Deus, etc.;* quæ omnia, et his similia soli creaturæ intellectuali tribui possunt. Adeoque Angelos existere compertissimum est ex

Scriptura sacra, necnon et omnium sanctorum Patrum calculo, ac Conciliorum oraculis, maxime Concilii Lateranensis sub Innocentio III. capite *Firmiter*, ubi inter cætera dicitur, quod *Deus sit Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui condidit utramque naturam, spiritualem et corpoream, Angelicam videlicet et mundanam.* Nec refert, quod quidam reponant Concilium hæc quidem proponere ac referre per modum doctrinæ, non vero tamquam de fide statuere et definire. Id, inquam, non obstat, tum quia cætera quæ in eodem capite proponit, revera sunt de fide: quidni ergo etiam de fide est Angelorum existentia, et spiritualitas? Adde quod licet id referat, et proponat per modum doctrinæ, supponit saltem hanc doctrinam ab Ecclesia esse probatam, ac determinatam, innumerisque Scripturarum, ac sanctorum Patrum oraculis confirmatam.

Dices: Si ex præfatis Scripturæ textibus suaderi posset Angelorum existentia, maxime quia significant aliquam esse creaturam spiritualem, homine superiorem, et præstantiorem: at hæc nulla est; quod probat S. Augustinus libro *De Quantitate animæ* c. 34. *Quemadmodum*, inquit, *fatendum est animam humanam non esse Deum, ita præsumendum nihil inter omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius:* et inferius docet *aliquid esse deterius anima hominis, scilicet animam bruti, aliquid par, ut Angelus, melius autem nihil:* et lib. 3. *De Libero arbitrio*, ait, *Animas rationales superioribus Potestatibus esse officio impares, natura vero pares:* et lib. 83. qq. quæst. 54. *Nihil est melius rationali anima, nisi Deus:* idemque repetit lib. 3. contra Maximinum cap. 25. ubi videtur illum arguere, quod dixerat, *Majores esse Angelos Christo secundum formam hominis.* Ipsi subscribit S. Bernardus lib. 5. *De Consideratione* cap. 3. *Spiritus est Deus* (inquit), *sunt et Angeli, et hi super te: sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt:* ergo ex præstantiori supra homines creaturæ gradu, non recte infertur Angelos existere. — **Respondeo** 1. Præfatos Patres Angelorum existentiam non impugnare, sed asserere, ut ex laudatis eorum verbis aperte constat. *Secundo*, benigne intelligi possunt, vel quod velint nihil esse propinquius Deo in ratione substantiæ spiritualis, quam anima, quippe hac ratione Angelis est par: vel quod Angelis non competat esse superiores hominibus in visione, ac fruitione Dei, aut in aliis officiis, quæ erga homines præstant; sed ex speciali Dei beneficio, et gratia, quod utique hominibus simili liberalitate concedere potest. Non ergo eorum sensus est, Angelos non esse natura homine præstantiores; quippe hominem paulo minus ab Angelis minoratum affirmat Regius vates; *Psal.* 8. ut supra dictum est, et malos Angelos fortitudine, ac virtute homine esse majores testatur *S. Petrus* 2. *cap.* 2. Et Job. 41. *De Satana* ait: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* Sicut ergo potestate, ita etiam naturæ perfectione homines excellit. Quod ipsum docet S. Augustinus Tractatu 110. ubi ex peccato irremissibili Angelorum, naturæ eorum excellentiam supra homines colligit, *Quod tanto* (inquit) *damnabilior judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior:* unde lib. 11. *De Civit.* cap. 5. ait: *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit:* adeoque priores ipsius textus in objectione positi benigne debent explicari, ne sibi contradicere videatur S. Augustinus. Adde quod libro 1. Retractationum cap. 26. recognoscens verba præfatæ quæstionis 54. illa vi-

detur emendare ; *Ubi dixi* (inquit) *quod omni anima melius, id Deum dicimus ; magis dici debuit omni creato spiritu melius.*

Instabis : In omni rerum genere, quod habet rationem finis, longe præstantius est eo, quod similem rationem non obtinet : sed in genere creaturarum homo habet rationem finis, non ita Angelus ; siquidem omnia propter homines ; imo etiam ipsi Angeli, quippe cum omnes sint administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis : ergo etiam secundum naturalia homo est præstantior Angelo. — **Respondet** Seraphicus Doctor in 2. *Dist.* 1. *q.* 2. aliquid habere rationem finis dupliciter : scilicet aut *ad supplendam indigentiam*, sicut domus propter hominem ; aut *ad suscipiendam ejus influentiam ;* sic homo propter Deum : quod autem ultimo modo habet rationem finis, nobilius est, non vero quod primo modo ; quia enim homo omnibus indiget, Angelus nullo, nisi Deo ; ideo omnia propter hominem, non autem propter Angelum, in cujus rei signum Angelus conditus est in principio, homo vero die sexto. Unde Angelus dici potest propter hominem, et homo propter Angelum : nam, inquit ibidem Seraphicus Doctor, homo habet habilitatem ad labendum frequenter, et possibilitatem ad resurgendum : Angelus vero stans, perpetuitatem in stando, et cadens, impossibilitatem in resurgendo : ideo Angelus stans, sustentat hominem, sive infirmitatem humanam : et homo resurgens, reparat ruinam Angelicam. Ideo quodammodo Angelus propter hominem, et homo quodammodo propter Angelum ; adeoque pares sunt secundum ordinationem ad finem ; quia uterque ordinatur ad æternam felicitatem. Sunt vero impares secundum naturæ dignitatem, quippe cum Angelus sit omnimode spiritualis, homo vero partim spiritualis, partim corporeus.

Conclusio secunda. — Sufficienter colligitur Angelorum existentia ab experientia Magorum, et Energumenorum petita. Multa namque conspiciuntur in dies fieri, tum a Magis, tum ab Energumenis, et Arreptitiis, eorum vires prorsus excedentia ; adeoque refundenda in causam aliquam superiorem, quæ ipsos ad talia patranda moveat : sed hæc alia esse nequit, quam Angelus. Probatur : si quæ præter Angelum illorum operum causa motrix posset assignari, maxime vel Deus, vel ipsi homines, vel animæ separatæ, vel denique creaturæ aliquæ irrationales, et hominibus inferiores : sed neutrum eorum potest asseri.

Non quidem Deus, quippe ab ipsis Magis nefaria pleraque, et turpissima, a Deo prohibita, Deoque indignissima in perniciem hominum, et odium, atque injuriam ipsius Dei patrantur. *Insuper* ad invocationem divini Numinis frequenter in fumos abeunt Magorum conatus, eorumque maleficia dissolvuntur. Similiter Arreptitii, et Energumeni medicamentis interdum, ac musica, saltem per aliquod intervallum sanantur, ut legimus 1. Regum c. 16. quod *quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus :* quod utique signum est dæmonem Arreptitios non torquere, nisi pravos eorum humores concitando, quibus nisi uteretur, nec eos vexare posset, nec tam stupenda in eis operari : sed si Deus

illorum omnium esset artifex, non egeret humoribus corporum ; ac proinde nec medicina, nec musica, aut altero corporeo remedio ejus effectus posset præpediri. Adde quod illæ substantiæ, quibus Magi in suis perficiendis maleficiis utuntur, plerumque sordidissimæ sunt, mendacissimæ, ac improbissimæ: quippe aliquando bufonibus, et aliis hujusmodi rebus turpissimis, et horrendis sua maleficia absolvunt, quibus ad summa scelera sollicitant, ad Dei contemptum, et odium, ad blasphemias, ad veneficia, et alia similia, quæ in Deum sanctissimum refundere grande crimen esset.

Non etiam hæc rejici possunt in homines ipsos: quippe cum pleraque illorum operum longe humanas vires superent, puta ad præsentiam saxorum, et statuæ responsa de rebus petitis proferre, in speculis, et aqua res absentes repræsentare, revelare occultissima, enuntiare quæ fiunt in locis remotissimis, momento tempestates excitare, domo egredi januis clausis, et fores sine ullo contactu suppositi effingere; loqui linguis peregrinis nullo usu, nullave disciplina comparatis, et alia id genus exequi; quæ fusissime refert Delrio in *Disquisitione magica*, quæque nullatenus refundi possunt in homines ipsos: adeoque rejici debent in dæmones. Nam, inquit Lactantius lib. 2. *De Origine erroris* cap. 15. *Magorum ars omnis, ac potentia horum dæmonum aspirationibus constat, a quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea quæ sunt, et videre se putent illa quæ non sunt. Hi, ut dico, spiritus contaminati, ac perditi per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, erroribus complent. Adhærent enim singulis hominibus, et omnes ostiatim domos occupant: ac sic* Geniorum *nomen assumunt. Sic enim latino sermone dæmones interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant, his quotidie merum profundunt, et scientes dæmones venerantur quasi terrestres deos, et quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt, et irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues et irreprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, et occulte in visceribus operati vitiant, morbos excitant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia recurrere.*

Neque etiam hæc omnia opera tribui possunt creaturis irrationalibus: quia, quæ diximus, sine rationis usu non fiunt; nam, v. gr. quod Energumenus idiota loquatur de repente, et expedite idiomate alieno, aut de rebus procul positis, præteritis, etiam abditissimis, manifestando omnes circumstantias, necnon de scientiis et artibus quibusvis, non potest fieri sine substantia intellectiva, quæ per eos homines loquatur, distincta ab anima ipsorum: nam anima ipsorum per se sola, aut per quamlibet humorum alterationem physicam, imo per applicationem cujusvis causæ physicæ non intelligentis nequit assequi talem notitiam, quæ tanto studio humano indiget. Adde quod quæ a Magis fieri solent, parvis quibusdam rebus admotis, verbis quoque prolatis, vim omnem verborum, et corporeæ cujusvis substantiæ manifeste superant. *Insuper,* magorum opera fiunt ad signa quædam, et per pacta, et fœdera juxta eorum voluntatem, qui ipsis utuntur: at signa non movent nisi potentias cognoscentes, quibus aliquid significant; pacta quoque, et fœdera spectant ad causas intelligentes. Nam

quæ intellectu, et ratione carent, nec pacta norunt, nec quando sit operandum ex pacto. Adde quod spiritus illi magici eligunt ad Magorum arbitrium in quid agant. Ut quando in quempiam remotissimum a Magis designatum, morbum, aut soporem immittunt, vel ejus vultum repræsentant in speculo, relictis intermediis, qui æque, imo magis deberent sic affici, si per causas naturales, et necessarias sine electione voluntaria id fieret. Etenim causæ naturales operantur magis in corpora sibi magis vicina, et subjecta, atque eodem modo afficiunt, quæ sunt ejusdem effectus capacia, neque eligere possent, ut e pluribus æque subjectis, et capacibus, hoc potius, quam illud repræsentent, aut morbo, vel sopore afficiant. Ergo stupenda hæc a Magis, vel Energumenis præstita opera in creaturas irrationales, quibus utuntur, refundi nequeunt. ✳ " His momentis et argumentis tamdem convictus recentium athæarum impiissimus et audacissimus Machiavellus admisit substantias spirituales seu angelos tamquam horum effectuum stupendorum auctores. Nam in libro 1. disputationum, cap. 36. cum dixisset, *magnos motus prædici solere, cum in urbibus, tum in provinciis, idque signis quibusdam, aut hominum præsagiis denunciari;* idem postea sic scribit: *Ut causam facile confitebor me ignorare, ita rem ipsam, cum ex antiquis, tum novis exemplis agnoscere oportet, et confiteri, omnes magnos motus, quicumque aut urbi alicui, aut Religioni evenerunt, vel a conjectoribus, vel a revelatione aliqua, prodigiis, aut cœlestibus signis prædici ac pronunciari solere.* Unde autem prodigia et cælestia illa signa proficiscantur, non aliter potuit expedire, quam si ad spiritus referret. Nam cum causæ ignarum se professus esset, hæc postea subjungit: *Nisi forte cum philosophis quibusdam prænunciandum censeamus, aerem plenum spiritibus et intelligentiis esse, qui futuras res prævidentes, et casibus humanis condolentes, eas hominibus per ejusmodi signa prænuntient, ut se adversus ea tempestive præparare, et communire queant.* Quæ satis docens, cum supremam ad causam recurrere nollet, nullam reperisse magis idoneam, quam spiritus aereos. " ✳

Illi autem stupendi et extraordinarii eventus refundi non possunt in animas a corporibus solutas; tum quia non videtur habere plus virtutis naturalis ad movendum, aut immutandum aliquod corpus, dum a corpore solvitur, quam cum illud informat; naturalis enim virtus agendi sequitur conditionem naturalem agentis: at naturalis conditio animæ rationalis est, quod sit forma corporis, ad cujus reunionem etiam ab ea sejuncta habet appetitum, ut pars ad compartem, adeoque hujus virtus non videtur major extra corpus, quam in corpore, alioquin ei longe melius esset ab omni corpore separari, quam illud informare, sicque unionem cum illo non optaret; quippe quæ sibi foret contranaturalis, etiam eam videlicet destituens eximia virtute sibi debita; *tum quia* licet animam separatam neque omni vi motiva localiter sui ipsius, et aliorum privatam existimem, Deo nimirum supplente id quod deest ex parte contactus, et organi; non tamen putarem eam tanta donari intelligendi, et movendi virtute, ut nosse posset actus internos, saltem imaginationis, quos nullo dato externo indicio Magi, et Energumenti produnt; necnon et movere immania pondera quæ vix centum homines sublevare valerent; et domos ingentes ur-

besque integras, ac terram ipsam concutere : ut plerumque faciunt ii Spiritus dum e corporibus obsessis virtute precum, ac exorcismorum Ecclesiæ recedere coguntur : *tum denique quia* Spiritus illi quoties ab Exorcistis premuntur, ut suum prodant nomen, semper se dæmones confitentur : quis ergo illos animas e corpore solutas existimabit?

Dices 1: Quod etsi Aristoteles præter Intelligentias orbium cælestium motrices, alias quoque esse doceat, dæmones tamen, seu malignos Angelos non admittit : imo Sectione 3. problem. q. 1. sermonem faciens de iis qui divino spiraculo instigari dicuntur, aut spiritu lymphatico infervescunt, asserit ex naturali intemperie id accidere ; ita quod gravi melancholia laborantes, id totum exequi valeant, quod cernimus ab Energumenis præstari. — **Respondeo**; ipsum longe a vero exorbitare, nam præterquam quod Plato in Sympos.; Trismegistus in Pimandro, et alii veteres philosophiæ Principes, dæmones esse confitentur ; certum est hominem infirmum, et imbecillem quacumque alteratione per melancholiam, aut alios humores facta, non posse perite loqui peregrino idiomate sibi antea ignoto, nec quæ procul aguntur certo referre, nec alia exequi, quæ Energumeni solito præstant ; proindeque necessarium est, Energumenum agitari aliquo Spiritu, qui aliunde ista noverit, et exequi possit.

Instabis : ille qui Energumenus dicitur incidere potuit in eam imaginationis temperiem, qua linguarum peregrinarum institutores affecti tunc erant, cum eas in usum vocarent, et instituerent : adeoque nullo exterius agitante spiritu, ipsemet idiomate peregrino, et prius ignoto loqui poterit. *Insuper*, ea potest esse interdum humoris biliosi defæcatio, et igneus vigor, ut organorum ruditatem, et tarditatem solvens, jam linquat liberum animum, et velut ab organis solutum, quo fiet ut veritatem quamlibet sensibus imperviam, et sibi prius ignotam detegat, aperiatque, ut nonnumquam contingit æstuanti febre laborantibus, qui dum animi evagationem patiuntur, mira interdum proferunt, et ignoto sibi prius idiomate sensa exprimunt. *Denique*, contingit haud raro Energumenos ad certas Lunæ periodos acrius torqueri, quod sane indicium est eos vitiato tantum humore laborare : adeoque ex eis leve, et prope nullum est argumentum ad suadendum Angelorum existentiam. — **Nego consequentiam**, et ad primum instantiæ membrum dico, illam qualemcumque humoris temperiem nullum habere commercium cum cujuscumque vocis prolatione, et significatione ; siquidem nos eas voces formamus prout volumus, et per eas significati notitiam accipimus, non obstante varia humoris nostri temperie ; adeoque illa Energumeni idiomatum peregrinorum locutio non provenit ex ejus humorum affectione. Adde quod cujusque idiomatis institutiones plures fuerint, idque diversis temporibus, nunc hæc, nunc illa vocabula ad hoc, aut illud significandum usurpando ; et consequenter variam habuerunt humorum temperiem, quam nullus hominum referre potest. *Ad secundam instantiæ partem*, dico tam strictam, et tenacem esse animæ rationalis cum sensuum organis colligationem, ut nisi vel prorsus a corpore solvatur, vel illam Deus per extasim divinitus edoceat, quidquam absque sensuum beneficio valeat percipere, ut continuata omnium hominum sæculo quovis experientia testatur : quidquid enim in contrarium de febricitantibus interdum de-

cantatur a Medicis, figmentum prorsus, ac anilem fabulam ducet omnis, qui infirmos frequentare consuevit. *Ad tertiam denique instantiæ partem*, repono mirum non debere videri, quod ad diversas Lunæ periodos Energumeni varie afficiantur; cum enim ipsis insidens spiritus nequam eos torqueat per acerbam humorum affectionem, facilius in eos rabiem implet cum humores nimium aut redundant, aut deficiunt. Adde quod hæc sit assueta dæmonum astutia, ut sub aliis creaturis lateant, quatenus nempe non sibi, sed vel externæ alteri causæ morbi acerbitas tribuatur. Quod eleganter indicat S. Chrysologus, Homil. 52. ubi sermonem faciens de illo Lunatico, quem Christus Dominus sanavit, ait: *Dæmon quod suæ artis erat, voluit tunc videri, aptans Lunæ cursibus hominis passiones: vexabat corpus lunaribus incrementis, ut esse Lunæ crederetur, quod erat diabolici criminis, et furoris. Sic homines illusit, circumvenit ignaros: infamavit apud desides creaturam, quæ lumini tantum condita, lædere nescit homines, quos continua magis juvare cogitur servitute.* Ipsi præluserat Tertullianus, Apologet. 22. dicens: *Dæmones sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur Divinitatem, dum furantur divinationem.*

✳ " His accedit quod si quæ de Angelis bonis et malis, de eorum origine et apostasia, de apparitionibus, tentationibus, infestatione corporum vel possessione, vel ab eis ejectione; et quomodo totum mundum pervagentur, homines seducant, se transforment in angelos lucis, et regnum Antichristi promoveant in signis et prodigiis mendacii: si, inquam, hæc hisque similia plurima quæ de angelis in S. Scriptura repræsentantur, phantasiæ erroribus et hallucinationibus liceat adscribere, nullus jam supererit in sacris verbis litteralis sensus; sed omnia in perpetuam allegoriam transformare licebit, ita quod quicumque ad eorum lectionem se accinget, quasi præstigiis circumactus, quod legit videatur non legere; et alium quam quem verba sonant sensum inquirere teneatur. Quæ quantum absurda sint et impia, nemo cordatus est qui non videat; hoc enim nil aliud est quam divinam Scripturam humanæ mentis evagationi permittere, et subtilem quemdam atheismum animis hominum instillare, quo fiet ut certissima hæc fidei regula, divina sua auctoritate omnino spolietur. " ✳

QUÆSTIO SECUNDA.

QUO TEMPORE, ET LOCO CREATI FUERINT ANGELI.

Notandum 1. Fide constare Angelos a Deo fuisse productos. Scriptura namque sacra aperte tradit, Deum unicum esse, a quo cætera omnia sint condita: sic Joannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et Romanorum 11. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quippe, ut legitur Esther 13. *Tu fecisti Cœlum, et Terram, et quidquid Cœli ambitu continetur; Dominus universorum tu es.* Quod speciatim testatur Apostolus de Angelis, quos inter Dei opera recenset ad Colossens. 1. *In ipso condita sunt universa,* ✳ " *in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt*; quibus Apostolus aperte significat a Deo conditos esse Angelos. Ut enim per *visibilia* creaturas omnes corporeas, sive cœlestes, sive sublunares complecti

voluit; ita per *invisibilia* creaturas spirituales et intelligentes, puta Angelos denotari certo certius est. Neque id obscure declarat Moyses Gen. 2. *perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum:* seu ut fert textus hebraicus *omnis exercitus eorum*, nimirum Angeli. Nihil enim familiarius est Scripturæ quam quod Angeli *cœli exercitus* vocantur. Sic psalm. 23, vers. 20 et 21; et psalm. 148, vers. 2; et Luca 2, vers. 13. Unde Deus dicitur *Sabaoth* seu *exercituum*, maxime a multitudine Angelorum qui ipsum circumstant. " ✳ Hinc Regius Vates postquam Psal. 145. dixisset: *Laudate eum omnes Angeli ejus*, subdit: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Mitto Concilia generalia, et fidei Symbola quibus asseritur *Deum esse factorem Cœli, et Terræ, visibilium, et invisibilium.* Hanc namque veritatem nedum naturalis ratio demonstrat, ut significavimus in primo Tom. *Tract.* 1. *Disp.* 1. *Sect.* 1. ubi probatum est, necessario admittendum esse aliquod ens a se, a quo sunt cætera omnia; sed etiam ipsamet experientia suadet, quippe constat Angelos Deo subjici, eique famulari; bonos quidem sponte, malos autem invitos, ut apparet in Exorcismis Energumenorum: at si Angeli essent a se, non ita Deo subjicerentur; ens enim a se nullatenus ab alio pendet, nec ipsi potest subjici.

Notandum 2. Angelos triplicem ob finem a Deo fuisse conditos. *Primo* quidem propter divinarum laudum concentum, unde Plato eos *Syrenes* appellat; S. Bernardus *Cœli cantores;* Gregorius, *divinarum laudum præcones;* Athanasius, *Hymnum indesinentem, et laudem irrequiescentem magnificentiæ Dei:* hinc ipsemet Deus Jobum alloquens, ait: *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes Filii Dei?* *Secundo*, Angeli creati sunt, ut mundum corporeum administrarent, Divina namque Providentia regere solet inferiora per superiora, et corporea per spiritualia administrare: unde Angeli mundi rectores, divinæ Providentiæ administri, orbemque portare dicuntur, juxta illud Job. cap. 9. *Deus, cujus iræ nemo resistit, sub quo curvantur, qui portant orbem.* Quam etiam veritatem novit Seneca, ait namque apud Lactantium libro 1. *Divinarum Institutionum* cap. 5.: *Deus cum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius, ut omnia sub Ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui Deos* (idest Angelos) *genuit.* *Tertio*, creati sunt Angeli ut hominibus opitulentur, eosque regant, ac custodiant, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Notandum 3. Revera Angelos non esse de facto ab æterno creatos; non quod ab æterno creari nequiverint: siquidem Deus ab æterno quamlibet creaturam, maxime Angelum producere potuit, ut fuse demonstravimus in nostra Physica: sed quia Deo ita placuit creaturas quascumque producere post earum non existentiam, ac proinde non ab æterno. Nec etiam diu post formatum mundum fuerunt conditi; siquidem Job 38. dicuntur laudasse Deum quando fundabat terram: ergo jam tunc erant in lucem editi. Difficultas ergo superest examinanda, an Angeli creati fuerint ante illud momentum, de quo dicitur: *In principio Deus creavit Cœlum, et Terram:* circa quam ma-

xime duæ sunt oppositæ Auctorum sententiæ. Prima quidem plurium Patrum Græcorum, qui cum Origene Tractatu 9. in Matthæum, contendunt, *Angelos esse antiquiores, non solum homine post creato, sed et omni creatura propter eum condita;* quam sententiam Cassianus Collatione 8. cap. 7. indubitatam apud omnes fideles affirmat: reclamant nihilominus omnes pene Scholastici cum plurimis e sanctis Patribus tam Græcis, quam Latinis, ut aperiet

Conclusio prima. — REVERA ANGELI NON FUERUNT CREATI ANTE MUNDUM CORPOREUM, SED UNA CUM IPSO. Hæc veritas videtur esse determinata in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, ubi legimus: *Unum est universorum Principium, Creator omnium, visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corpoream, Angelicam scilicet, et mundanam : et deinde humanam quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam.* Loquitur autem Concilium de *simultate temporis,* ut patet ex illis verbis: *Deus simul ab initio temporis:* nam licet alioqui particula *simul* accipi posset in sensu collectivo, non vero temporali, quasi diceret: Deus pariter seu æque condidit utramque creaturam; qualiter sumitur in quibusdam aliis Scripturæ locis, puta *simul insipiens et stultus peribunt,* idest æque peribunt, eodem nempe genere mortis corporeæ, licet non simul tempore, et eodem instanti: non posse tamen illam particulam *simul* a Concilio scriptam aliter accipi, quam de simultate temporis, sufficienter declaratur ibidem, quia Concilium non dicit tantum, quod Deus condidit simul, sed addidit: *simul ab initio temporis utramque condidit creaturam.* Insuper statim subjungit: *et deinde humanam etc.* Sed particula *deinde* nihil aliud significare potest, quam posterioritatem temporis, quia creatura humana condita est tantum sexto mundi die, cum primo fuerint creati Angeli simul cum Cœlo, et Terra: ergo sicut particula, *deinde,* necessario significat posterioritatem temporis, ita et particula *simul* denotat ejus simultatem. Hoc ipsum probatur etiam ex Concilio Constantinopolitano Actione 11. ubi lecta fuit, et approbata epistola Sophronii, in qua Deus dicitur omnia invisibilia, et visibilia condidisse, creaturam spiritualem, et corporalem, et omnibus temporale constituisse principium.

Hoc ipsum indicat Scriptura sacra Genesis cap. 1 *In principio creavit Deus Cœlum, et Terram,* quo loci particula, *in principio,* idem sonat, ac antequam quidquam faceret, quemadmodum sumitur Proverb. 8. cap. ubi Sapientia ita loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio:* sic enim eamdem particulam explicat S. Aug. libr. 11. *De Civitate Dei* cap. 6. *Deinde* ex 20. cap. Exodi, *Sex diebus fecit Deus Cœlum, et Terram, et omnia, quæ in eis sunt:* quæ postrema particula more loquendi sacræ Scripturæ comprehendit, et ipsos Angelos: nam Psalm. 148. Angeli annumerantur iis, quæ sunt in Cœlis. ✻ " Accedit quod quidquid fuit ante mundum, idipsum est Deus, quia hæc prærogativa illi vindicatur in Scriptura psalm. 91. vers. 2; et Proverb. VIII, vers. 22; et Joan. I, vers. 1, cum dicitur: *In principio erat Verbum,* quibus significatur

voluit; ita per *invisibilia* creaturas spirituales et intelligentes, puta Angelos denotari certo certius est. Neque id obscure declarat Moyses Gen. 2. *perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum:* seu ut fert textus hebraicus *omnis exercitus eorum*, nimirum Angeli. Nihil enim familiarius est Scripturæ quam quod Angeli *cœli exercitus* vocantur. Sic psalm. 23, vers. 20 et 21; et psalm. 148, vers. 2; et Luca 2, vers. 13. Unde Deus dicitur *Sabaoth* seu *exercituum*, maxime a multitudine Angelorum qui ipsum circumstant." ✳ Hinc Regius Vates postquam Psal. 145. dixisset: *Laudate eum omnes Angeli ejus*, subdit: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Mitto Concilia generalia, et fidei Symbola quibus asseritur *Deum esse factorem Cœli, et Terræ, visibilium, et invisibilium.* Hanc namque veritatem nedum naturalis ratio demonstrat, ut significavimus in primo Tom. *Tract.* 1. *Disp.* 1. *Sect.* 1. ubi probatum est, necessario admittendum esse aliquod ens a se, a quo sunt cætera omnia; sed etiam ipsamet experientia suadet, quippe constat Angelos Deo subjici, eique famulari; bonos quidem sponte, malos autem invitos, ut apparet in Exorcismis Energumenorum: at si Angeli essent a se, non ita Deo subjicerentur; ens enim a se nullatenus ab alio pendet, nec ipsi potest subjici.

Notandum 2. Angelos triplicem ob finem a Deo fuisse conditos. *Primo* quidem propter divinarum laudum concentum, unde Plato eos *Syrenes* appellat; S. Bernardus *Cœli cantores;* Gregorius, *divinarum laudum præcones;* Athanasius, *Hymnum indesinentem, et laudem irrequiescentem magnificentiæ Dei:* hinc ipsemet Deus Jobum alloquens, ait: *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes Filii Dei? Secundo*, Angeli creati sunt, ut mundum corporeum administrarent, Divina namque Providentia regere solet inferiora per superiora, et corporea per spiritualia administrare: unde Angeli mundi rectores, divinæ Providentiæ administri, orbemque portare dicuntur, juxta illud Job. cap. 9. *Deus, cujus iræ nemo resistit, sub quo curvantur, qui portant orbem.* Quam etiam veritatem novit Seneca, ait namque apud Lactantium libro 1. *Divinarum Institutionum* cap. 5.: *Deus cum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius, ut omnia sub Ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui Deos* (idest Angelos) *genuit. Tertio*, creati sunt Angeli ut hominibus opitulentur, eosque regant, ac custodiant, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Notandum 3. Revera Angelos non esse de facto ab æterno creatos; non quod ab æterno creari nequiverint: siquidem Deus ab æterno quamlibet creaturam, maxime Angelum producere potuit, ut fuse demonstravimus in nostra Physica: sed quia Deo ita placuit creaturas quascumque producere post earum non existentiam, ac proinde non ab æterno. Nec etiam diu post formatum mundum fuerunt conditi; siquidem Job 38. dicuntur laudasse Deum quando fundabat terram: ergo jam tunc erant in lucem editi. Difficultas ergo superest examinanda, an Angeli creati fuerint ante illud momentum, de quo dicitur: *In principio Deus creavit Cœlum, et Terram:* circa quam ma-

xime duæ sunt oppositæ Auctorum sententiæ. Prima quidem plurium Patrum Græcorum, qui cum Origene Tractatu 9. in Matthæum, contendunt, *Angelos esse antiquiores, non solum homine post creato, sed et omni creatura propter eum condita;* quam sententiam Cassianus Collatione 8. cap. 7. indubitatam apud omnes fideles affirmat: reclamant nihilominus omnes pene Scholastici cum plurimis e sanctis Patribus tam Græcis, quam Latinis, ut aperiet

Conclusio prima. — Revera Angeli non fuerunt creati ante mundum corporeum, sed una cum ipso. Hæc veritas videtur esse determinata in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, ubi legimus: *Unum est universorum Principium, Creator omnium, visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corpoream, Angelicam scilicet, et mundanam: et deinde humanam quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam.* Loquitur autem Concilium de *simultate temporis,* ut patet ex illis verbis: *Deus simul ab initio temporis:* nam licet alioqui particula *simul* accipi posset in sensu collectivo, non vero temporali, quasi diceret: Deus pariter seu æque condidit utramque creaturam; qualiter sumitur in quibusdam aliis Scripturæ locis, puta *simul insipiens et stultus peribunt,* idest æque peribunt, eodem nempe genere mortis corporeæ, licet non simul tempore, et eodem instanti: non posse tamen illam particulam *simul* a Concilio scriptam aliter accipi, quam de simultate temporis, sufficienter declaratur ibidem, quia Concilium non dicit tantum, quod Deus condidit simul, sed addidit: *simul ab initio temporis utramque condidit creaturam.* Insuper statim subjungit: *et deinde humanam etc.* Sed particula *deinde* nihil aliud significare potest, quam posterioritatem temporis, quia creatura humana condita est tantum sexto mundi die, cum primo fuerint creati Angeli simul cum Cœlo, et Terra: ergo sicut particula, *deinde,* necessario significat posterioritatem temporis, ita et particula *simul* denotat ejus simultatem. Hoc ipsum probatur etiam ex Concilio Constantinopolitano Actione 11. ubi lecta fuit, et approbata epistola Sophronii, in qua Deus dicitur omnia invisibilia, et visibilia condidisse, creaturam spiritualem, et corporalem, et omnibus temporale constituisse principium.

Hoc ipsum indicat Scriptura sacra Genesis cap. 1 *In principio creavit Deus Cœlum, et Terram,* quo loci particula, *in principio,* idem sonat, ac antequam quidquam faceret, quemadmodum sumitur Proverb. 8. cap. ubi Sapientia ita loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio:* sic enim eamdem particulam explicat S. Aug. libr. 11. *De Civitate Dei* cap. 6. *Deinde* ex 20. cap. Exodi, *Sex diebus fecit Deus Cœlum, et Terram, et omnia, quæ in eis sunt:* quæ postrema particula more loquendi sacræ Scripturæ comprehendit, et ipsos Angelos: nam Psalm. 148. Angeli annumerantur iis, quæ sunt in Cœlis. ✻ " Accedit quod quidquid fuit ante mundum, idipsum est Deus, quia hæc prærogativa illi vindicatur in Scriptura psalm. 91. vers. 2; et Proverb. VIII, vers. 22; et Joan. I, vers. 1, cum dicitur: *In principio erat Verbum,* quibus significatur

ante mundum conditum nihil extitisse præter divinam Trinitatem, ac subinde nondum exstabant angeli ''. ✳

Hanc eamdem veritatem edocent sancti Patres: ex Græcis quidem S. Epiphanius hæresi 65. ubi ait clare indicare Scripturam Angelos non fuisse ante Cœlum, et Terram: *Cum palam*, inquit, *intransmutabile sit verbum hoc, quod ante Cœlum, et Terram nihil erat ex creatis.* Consentit Theodoretus, Quæstione 3. in Genesim, etsi non satis probanda utatur ratione: scilicet quia Angelus indiget loco, in quo reciperetur: *Quia si non sit*, inquit, *in rerum natura, quod comprehendat, quomodo erit, quod comprehendatur?* Procopius item Præfatione in Genesim, utramque referens sententiam, hanc profert, dicitque Moysen nomine *Cœli*, comprehendisse Angelos cum dixit: *In principio creavit Deus Cœlum, et Terram:* ubi continens pro contento ponitur. Ipsi concinit Beda tom. 4. in Exameron, dicens Angelos in principio cum Cœlo, et Terra conditos esse, et ideo Moysen de terra dixisse in principio fuisse inanem, et vacuam, quia fructibus, et habitatoribus carebat: non dixisse autem id de Cœlo; *Quia mox creatum suis incolis, hoc est, beatissimis Angelorum Spiritibus repletum est:* unde subdit Moyses: *Perfecti sunt Cœli, et omnis ornatus eorum:* quippe debitos incolas habebant. — Huic etiam sententiæ subscribunt plurimi e SS. Patribus Latinis cum sancto Augustino lib. 11. *De Civit.* cap. 6. et libro imperfecto super Genesim cap. 3., maxime S. Gregorius libro 32. *Moral.* cap. 9., Beda in Exameron, etc.

Potest quoque hæc veritas theologica ratione suaderi: Primo quidem *a priori.* illa scilicet congruitate, quam profert S. Thomas *quæst.* 61. *art.* 3.; nempe quod Deus hunc Universum condidit per modum opificii præstantissimi, absolutissimi: ut autem perfectum sit, ex spiritualibus, et corporalibus constare debet: igitur utramque hanc partem Universi simul producere debuit, non vero unam post alteram, ne scilicet priore longe ante alteram producta, Universum non staret integratum, nec suis partibus constans. — Potest vero sic probari *a posteriori:* dum peccaverunt Angeli, jam Cœli extabant, siquidem statim in rebellantes *factum est prælium magnum in Cœlo:* nam *Michaël, et Angeli ejus pugnabant cum Dracone*, puta Lucifero, Apocalyps. 12. ipseque perduellis Lucifer cum perditissimis suis asseclis e Cœlo statim post peccatum fuit deturbatus, juxta illud Lucæ 10.: *Videbam Satanam tamquam fulgur de Cœlo cadentem.* Quod omnes pene sacri Interpretes de ruina, et lapsu Angelorum explicant. Sed probabilius est peccasse Angelos paulo post eorum formationem; non enim fit verisimile malos diu in gratia stetisse, eo quod credibile sit statum viæ Angelorum breviori spatio finiri, quam hominum; cum Angeli suapte natura promptiores sint in operatione, et electione, quam homines; constat autem Adamum non ita diu innocentem stetisse: ergo multo minori temporis intervallo videtur dæmon in gratia perseverasse. — *Confirmatur* ex eo quod Angelis peccantibus paratus sit ignis æternus, ut constat tum ex illo Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus:* statim ergo ac peccaverunt, reatus sui pœnas dederunt: tum ex 2. Petr. 2. *Si enim Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos;* igitur jam tunc erant tartarei loci cum primum Angeli peccaverunt.

Dices 1: Scriptura sacra non ita obscure insinuat Angelos jam extitisse, cum Deus Universum condidit; ergo cum ipso non fuerunt creati. Probatur antecedens: Primo ex cap. 28. Job, ubi Deus eum alloquens, ait: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ..... cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes Filii Dei?* hoc est, *Angeli*. Item cap. 40. *De Behemoth dicitur, Ipse est principium viarum Domini,* idest, *creaturarum:* ergo Lucifer, qui per peccatum factus est Behemoth, et Diabolus, fuit prius productus, quam cæteræ creaturæ, idemque de cæteris Angelis dicendum. Denique ad Titum 1. *De Incarnatione Verbi* dicitur *quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia:* oportuit ergo ante mundum conditum fuerint aliqui, quibus fieret incarnandi Verbi promissio: non aliis certe, quam Angelis: ergo tunc stabant. — **Nego** antecedens et ad primam ejus probationem dico, Angelos astrorum creationi adesse potuisse, maxime cum Sol, et Luna, cæteraque astra non primo die fuerint condita. Adde quod ipsi Angeli cum fuerint creati cum omnibus Intelligentiæ dotibus, statim ab eorum formatione Deum nosse, ✳ " atque in illius laudes erumpere potuerunt. At ex illo sacro textu nihil habetur unde colligi possit eos longe ante principium Mosaicum conditos fuisse. Imo cum exinde constet eos esse partem quamdam universi, ratio dari non potest, quare pars illa a toto suo per tot sæcula manserit separata. Et quid opus fuerit spiritus istos ministratorios tanto temporis intervallo creare, antequam essent ad quos mitterentur, quibusque ministrarent? " ✳ — *Ad secundum textum* dico, quod per *Behemoth*, ad litteram intelligitur Elephas, aut animal aliud terrestre ex genere Draconum; sicut *Leviathan* significat aut cete maris, aut genus aliquod piscis. Recte autem dicitur principium viarum Dei; non quod duratione cætera opera antecedat, sed quia virtute corporis, magnitudine, ac fortitudine cæteris belluis præstat. Si autem ista de dæmone accipias; reponam cum Beda quæst. 9. ex variis, Luciferum primum extitisse, *ordinis prælatione, non temporis quantitate — Ad tertium contextum* dico, quod verbum illud *promisit* non significet promissionem aliquam verbo factam, sed æternam Dei prædestinationem, ut explicant SS. Chrysostomus, et Anselmus in eum locum; eo scilicet modo, quo loquitur 2. ad Timoth. 1. *Secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora sæcularia:* quod enim hic *propositum*, ibi *promissionem* appellat.

Dices 2: Plurimi e sanctis Patribus aperte docent Angelos revera nedum ante mundi creationem extitisse, sed etiam aliqui contendunt illos fuisse ab æterno conditos: sic ✳ " in primis Origenes, lib. 3. *De Principiis* c. 5. ubi dicit mundum, ac multo magis substantias spirituales, ab æterno Deum condidisse. Si enim, inquit, *mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus antequam mundus fieret? Otiosam enim dicere naturam Dei, otiosum est simul et absurdum; vel putare quod bonitas aliquando non fecerit, vel omnipotentia aliquando non egerit potentatum.* His subscribit ✳ " S. Basilius, Homilia prima Exameron; *Erat sane,* inquit, *status quidam mundi generatione superior, abstractis illis a concretione materiæ potentiis mundo præstantioribus, pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus ni-*

mirum, ac perpes. Sic Hieron. Super Epist. ad Titum cap. 1. *Sex millia nondum nostri temporis complentur annorum, et quanta tempora quantasque sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus, Angeli, Throni, Dominationes cæterique Ordines Deo servierunt?* Cui subscribit S. Damasc. lib. 2. *De Fide: Quidam dicunt, quod ante omnem creationem geniti sunt Angeli, ut Theologus dicit Gregorius. Primum quidem Deus excogitavit Angelicas virtutes, et cœlestes, et excogitatio opus ejus fuit.* Ex Latinis Patribus significat S. Clemens Papa lib. 8. *Constitut.* cap. 12. dicens: *Deus, qui ante omnia, Cherubim, et Seraphim fecisti, et Sœcula, et Exercitus Virtutesque, et Potestates, Principatus, et Thronos, Archangelos, et Angelos: et qui fabricatus es post hæc omnia hunc mundum, qui cernitur, et omnia, quæ in eo continentur:* ergo certum est ex eorum mente, Angelos ante mundum fuisse creatos. — **Respondeo** revera quidem laudatos sanctos Patres in ea fuisse opinione, quod Angeli ante res corporeas creati fuerint: verum contraria est plurium aliorum Patrum sententia, jamque magis invaluit apud sacros omnes Doctores, videturque conformior Scripturæ sacræ, ut constat ex textibus a nobis supra laudatis. Ad sanctum autem Basilium, qui videtur super mundanas substantias, quas *potentias* appellat, asserere ab æterno extitisse, censerem eum sic esse intelligendum, quod Angeli, in ejus opinione, creati fuerint ante Cœlorum motum, quem tempus appellamus, ante quod censet fuisse intervallum quoddam imaginarium tempore, et generatione vetustius, in quo creatos Angelos ipse putat; quodque ideirco æternum dicit, quod nullo vero tempore præcedatur.

Dices 3: Non videtur rationi consentaneum, credere Deum tot sæculis ante creationem corporeæ creaturæ fuisse otiosum: ergo asserere debemus Deum suam bonitatem communicasse spiritualibus creaturis, antequam corporeas creaturas produceret. — **Respondet** Theodoretus *Quæstione* 3. *in Genesim*, rationem illam inanem, et futilem esse, nam si alicujus momenti esset, probaret utique Angelos ab æterno productos fuisse a Deo, ne per æternam durationem Deus esset otiosus. Nam quomodocumque Spiritus creasset ab initio, etiamsi ante corpoream creaturam illos produxisset, sequeretur per æternam durationem ante illorum productionem Deum otiosum fuisse: hoc autem nemo Catholicorum non existimabit absurdum.

Dices 4: Si Angeli creati fuissent cum mundo corporeo, creationis illorum mentionem aliquam fecisset Moyses: at nullam mentionem illorum fecit, cum de creatione mundi corporei loqueretur: signum igitur est eos non fuisse cum mundo corporeo creatos. — **Respondet** S. Augustinus *libro de Genesi ad litteram*, et cum eo Beda *in Exameron*, Angelorum creationem a Moyse non fuisse prætermissam, sed expressam nomine *lucis*, quam primo dierum omnium formavit Deus. Arbitrantur aliqui revera quidem Angelos a Moyse prætermissos fuisse, idque consulto, ne videlicet Judæis ad Idololatriam pronis ansam præberet illos pro Diis colendi. Verum, hac ratione eorum nusquam meminisse debuisset, quippe ille de Angelis sermo eamdem idololatrandi occasionem præbuisset. Existimarem igitur verius dicendum, ideo Moysem creationis Angelorum non meminisse, quia sui instituti ratio id non postulabat: * " scopus enim ejus erat historiam Ecclesiæ texere,

et ejus initium ab initio mundi repetere ; ideo originem mundi, ex quo Ecclesia originem ducit, delineare satis habuit. De Angelis etiam non silendo subinde, prout postulabat instituti in adornanda Ecclesiæ historia ratio ; simili fere modo, quo in historiis Regnorum, non fit semper mentio accurata originis vicini Regni. " ✳ Angelos vero fuisse a Deo productos satis constabat in unico temporis momento ; quippe cum sint spirituales substantiæ, nullam in suo esse successionem involventes.

Conclusio secunda. — PROBABILIUS EST ANGELOS FUISSE CREATOS IN CŒLO SYDEREO, QUOD EMPYREO PROXIMUM EST.

Probatur 1. Auctoritate S. Hieronymi lib. 6. *In Isai.* cap. 14. ubi expendens illa verba: *In Cælum ascendam*, quæ de Angelorum lapsu posse intelligi prius dixerat, interrogansque: *Si adhuc in Cælo positus, quomodo dicit: Ascendam in Cælum?* respondet: *Sed quia legimus* Cælum Cæli Domino, *cum esset in Cælo,* idest, *in Firmamento, in Cælum, ubi solium Domini est, cupiebat ascendere.*

Suadetur pariter ex eo quod hac ratione facile intelligi possunt ad litteram omnes illi Scripturæ sacræ textus, quibus constat Luciferum cum Angelis cecidisse de Cælo, et appetiisse ascendere in Cælum. Sic etiam apparet Angelos habuisse locum suæ dignitati naturali correspondentem, et postmodum obtinuisse condignum pro suis meritis, ita quod fideles, et in Deum observantes evecti fuerint in Cœlum empyreum, perduelles vero in Tartarum detrusi.

DICES : Lucifer dicitur Ezech. 28. in deliciis Paradisi fuisse : at Cælum quod est Paradisus non est sydereum, sed empyreum : ergo non in illo, sed in hoc creati fuerunt, et steterunt Angeli. *Deinde*, Angeli creari debuerunt in loco omnium nobilissimo, et supremo; locus enim semper dignitati locati respondet, ut patet in ipsis rebus corporeis, quæ quanto nobiliores sunt, tanto superiorem locum obtinent : non est autem locus nobilior, et sublimior empyreo : ergo Angeli in ipso debuerunt creari. *Denique*, cum Angeli sint substantiæ incorruptibiles, et consistentes, formari debuerunt in loco consistente, et immobili : at tale non est Cælum sydereum, sed empyreum : ergo in hoc, non in illo, formari debuerunt Angeli. — **Respondeo** ad primum, *Paradisi* nomine hic non significari locum illum amænissimum, quem occupant beatæ mentes, quique sedes Beatorum vulgo nominatur ; in eo namque Diabolum aliquando stetisse nullus Theologorum admittet: sed intelliguntur illa cælestium charismatum dona, quibus Lucifer cum aliis Angelis illustratus, et ditatus fuerat, in illo nempe Cælo sydereo, propterea *Paradisi* nomine insignito quod fuerit non solum astris micantibus, sed etiam Angelis illustratus. *Ad secundum*, dico falsum esse, locum superiorem rei nobiliori convenienter assignandum; homo namque in rebus corporeis primatum tenet, attamen inferiorem locum incolit. *Ad tertium* denique respondeo, Angelum non necessario moveri ad motum Cæli, cum locum corporeum non occupet, nec ipsi adhæreat : adeoque immoti stare potuerunt in mobili. Adde quod nullum appareat inconveniens, quod Angeli cum Cælo Sydereo moti fuerint ; siquidem ubique Deum habebant præsentissimum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA, ET SUBSTANTIA ANGELICA.

Etsi *Angeli sint quasi divini silentii Interpretes, et tamquam perspicua, ac micantia Deitatis lumina, quæ cum, qui in abditis latet, indicant*, inquit S. Dionysius lib. *De divinis Nomin.* cap. 4., nihilominus tam longe nostros mortales obtutus fugit eorum substantia, ut nisi suorum Interpretum fieret ipsemet Deus interpres, nobisque per Scripturarum, Conciliorum, et SS. Patrum oracula illorum naturam, ac præstantiam aperiret, hæc certe nos omnino lateret. Inde mirum nemini videri debet, si tam pugnantia, tamque aliena a veritate, quæ modo nobis affulget, dixerint, et scripserint nonnulli Philosophiæ, ac Theologiæ Proceres, dum aliqui volunt eos materia, ac spiritu concretos; e contra contendunt alii esse corporis cujuslibet expertes; nonnulli ipsos, nisi Deus singulari beneficio servaret, mortalitati, ac defectioni obnoxios putant; dum cæteri natura immortales, et indefectibiles prædicant. Imo etiam non desunt, qui eos ab anima rationali indistinctos censeant; dum aliqui nullam inter eas substantias concordiam affirmant. Quid autem in tam multiplici tamque diversa Auctorum sententia verius dicendum sit, ut appareat, tria maxime hoc in Articulo sunt discutienda: *Primum*, an revera Angeli sint omnino spirituales, et incorporei: *Secundum*, an incorruptionem ex natura sua exigant: *Tertium*, an et qualiter ab anima rationali distinguantur.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ANGELI SINT OMNINO INCORPOREI, ET PRORSUS IMMATERIALES.

Notandum 1. Nomen *Spiritus* omnium pene æquivocorum esse maximum, et varie tum a Philosophis, quum a Theologis usurpari. *Primo* quidem pro re tenuissima, et subtilissima, sive illa sit accidens, sive substantia: sic rerum imagines ab objectis ad facultates emissæ, vocantur species intentionales; sic pariter tenuissimæ, ac puriores sanguinis partes, per quas vegetandi, sentiendique vis manat in reliquas, dicuntur spiritus, vel *animales*, quatenus a cerebro ad motus, ac sensus officia per nervos effunduntur, aut *vitales*, quando per arterias a corde propagati insitum calorem recreant, quo animantis vita continetur. *Secundo*, accipitur pro vento, aere, exhalatione, etc.; hinc *spirare, respirare, etc.* idem est quod aerem trahere, et ventus nimio impetu irruens *spiritus procellarum* vocatur. *Tertio*, pro anima, sive rationali, sive sensitiva: sic Eccles. 3. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* *Quarto*, pro substantia incorporea, qualiter opponitur corpori crasso, et carne, ac ossibus compacto. Sic Christus Dominus Lucæ 24. veritatem suæ resurrectionis coram Discipulis astruens, dicit: *Palpate, et videte quoniam Spiritus carnem, et ossa non habet:* qua ratione antiquissimi quique Theologi arbitrati sunt Angelos constare corporibus aereis, seu ita subtilibus, ut nec tangi, nec ullo sensuum percipi possint; adeoque nihil prohibere quominus cum hoc aereo corpore Spiritus possint

appellari. *Quinto* denique, nomen *Spiritus* significat naturam intellectualem nulla materia constantem, nulloque corpore, quamvis etiam tenuissimo, concretam.

Notandum 2. Plurimum variare tum Veteres, tum Recentiores circa definitionem substantiæ omnino spiritualis. *Primo* namque nonnulli ex sanctis Patribus *spirituale* idem, ac *increatum* putant; qua ratione quidquid creatum est, corporeum esse, solumque Deum corporis expertem docuerunt. Sic S. Hilarius Canon. 5. in Matth. *Nihil est* (inquit) *quod non in substantia, et creatione corporeum sit, sive in Cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt; nam et animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exultantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* ✳ " Eum in illa sententia præcesserat Origenes, nam lib. 1. *De Principiis*, cap. 6, scribit: *Solius Dei, idest, Patris, Filii, et Spiritus Sancti naturæ id proprium est, ut sine materiali substantia, et absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur subsistere.* Eadem fuit Minutii Felicis opinio, docet namque solum Deum materia simul ac corpore carere; quæ pariter fuit veterum et recentium Platonicorum sententia quą triplex enim distinguebant substantiarum genus, nimirum pure corpoream, ut sunt elementa et mixta corpora; materialem simul ac spiritualem, quales sunt homines; corpoream vero et spiritualem sed non materialem, ut sunt genii et angeli corpore quidem, aiebant, subtili et æthereo constantes non vero materiali, cujus opinionis etiam fuit S. Athanasius, sive quisquis est auctor libri *De Communi Essentia*, ubi angelum definit: *animal discursivum immateriale* ξῶον λογικὸν ἄϋλον. Ei subscribit Cæsarius qui Dial. 1. interr. 48 angelos quidem ἄϋλος esse dicit, sed non ἀσωμάτους, hoc est, immateriales quidem, non vero incorporeos, quibus verbis juxta Platonicorum et Peripateticorum placita existimat *corporeum* magis accedere ad spirituale quam *materiale.* — Quartum tandem substantiæ genus dicebant esse Deum, qui nec materialis est nec corporeus, sed omnis prorsus materiæ et corporis expers. " ✳ — *Secundo*, nonnulli *incorporeum* idem, ac *illimitatum* acceperunt. Sic Elias in Orat. 1. Nazianz. *Solus Deus*, inquit, *circumscriptionis expers est: quia solus proprie corpore vacat; circumscripti autem Angeli, quia nec incorporei proprie sunt, etiamsi nostri respectu incorporei dicantur.* Ipsi concinit Faustus quidam, cujus liber habetur *Tomo* 4 *Bibliothecæ sanctorum Patrum*, in quo demonstrare conatur Angelos, et animas esse materiales, eo quod locis circumscribantur. — *Tertio*, nonnulli *incorporeum* pro *incommutabili* usurparunt, ut videre est apud S. Augustinum Epistola 28. ubi cum statuisset animam esse incorpoream, addit: *Ne verbi controversiam, vel superflue faciam, vel invitus patiar. Si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quod aptius nuncupatur, id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam placet incorpoream appellare naturam, quæ summe incommutabilis, et ubique tota est, corpus non est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majori sui parte majorem locum occupet, et breviori breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima.* — Denique non desunt

ex Recentioribus, qui putent *spirituale* proprie dictum, idem esse ac penetrare corpora, et penetrationem pati: *vel* idem ac non pendere a materia: *vel* idem ac esse incommutabile, et ubique totum. Verum aberrant a conceptu *spiritus*, seu rei *spiritualis:* quippe juxta primam definitionem, formæ materiales, substantiales, et accidentariæ, spirituales essent; siquidem tum materiam ipsam, tum corpora, quæ afficiunt aut efficiunt, penetrant, ac pervadunt. Juxta secundam, materia ipsa dicenda esset spiritualis, quia non pendet a materia. Juxta tertiam vero Deus solus esset reipsa spiritualis.— Itaque *Spirituale*, vel *incorporeum*, melius videtur posse definiri per negationem materialis, ac crassæ entitatis, qua corpora constant; ita quod substantia, vel entitas spiritualis sit purior, tenuior, et subtilior, quam quæcumque materialis creata, vel creabilis, sive sit divisibilis, sive sit indivisibilis. Juxta hanc autem vocabuli *Spiritus* acceptionem quæritur primo, an Angeli sint omnino spirituales; secundo, an sint naturæ simplices, aut compositæ.

Notandum 3. Ex Seraphico Doctore in 2. *dist.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. Angelum non habere essentiam omnino simplicem per privationem cujuslibet compositionis. Certum enim est, quod Angelus compositus est compositione multiplici: potest enim, inquit, considerari in comparatione ad sui principium, et sic in tantum est compositus, in quantum habet ad ipsum dependentiam: simplicissimum enim absolutum est, et omne dependens hoc ipso cadit in aliquam compositionem, quia in illo differt *quo est*, et *quid est*. *Secundo*, considerari potest in comparatione ad suum effectum, et sic componitur ex substantia, et potentia. *Tertio*, potest considerari per respectum ad ens in genere, et sic metaphysice componitur ex actu, et potentia; logice vero ex genere, et differentia. *Quarto* denique considerari potest secundum suam entitatem, et sic quantum ad esse actuale est in ipso compositio entis, et existentiæ: quantum ad esse essentiale componitur ex *quo est*, et *quod est;* quantum ad esse individuale, seu personale in illo reperitur *quod est*, et *quid est*, seu natura, et persona. Cum ergo Angelica essentia dicitur simplex, non propterea excludit prætatas omnes compositiones; sed tantum illam, quæ fit, vel ex natura corporali, et spirituali, vel ex partibus quantitativis, vel heterogeneis, aut tandem ex materia, et forma corporea, et elementari. An autem admittat aliquam compositionem ex diversis naturis, vel ex materia, et forma aliqua purissima, ut docere videntur tum Alensis, tum S. Bonaventura, hic est resolvendum; sed prius sit

Conclusio prima. — Angeli sunt omnino incorporei, et pure spirituales.

Probatur 1. Ex Scriptura sacra illis omnibus Oraculis, quibus Angeli *Spiritus* dicuntur. Sic Psalmo 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus:* hoc est qui eos, quorum natura, et substantia spiritualis est, ministros tuos, et nuntios instituis, et mandatorum tuorum executores, ut explicat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 34. et Damascenus *lib.* 2. *De Fide, cap.* 3. Quod utique confirmat S. Paulus ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi, etc.* Idem de bonis Angelis sæpius legitur in Evangelio, necnon et de dæmonibus. Sic Matth. 8. *Ejiciebat Spiritus:* et Lucæ 10. *Spiritus subjicientur vobis:* et cap. 11.

Assumit alios sèptem Spiritus nequiores se. Sed nomen Spiritus sic usurpatum in Scriptura proprie rem incorpoream significat: quod utique patet ex supremo, et infimo Spiritu, Deo nempe, et anima rationali, quibus hoc nomen tribuitur; Deo quidem absolute, et per antonomasiam, ut Joannis 4. *Spiritus est Deus;* animæ vero quia distinguitur a corpore. Sic 1. Corinth. 5. *Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini:* hoc est, ut anima salvetur: ergo pari modo Angeli, qui inter Deum, et hominem medium tenent, idcirco dicuntur Spiritus, quia sunt incorporei.

Probatur 2. Ex definitione Concilii Lateranensis cap. *Firmiter* jam a nobis laudato, quo statuitur; *Unum esse universorum Principium, Creatorem omnium spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corpoream; Angelicam videlicet, et mundanam, et deinde humanam, quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam.* Quibus verbis Concilium asserit, *primo* Angelos esse creatos ex nihilo: ergo non sunt formati ex aere, ut vult Rupertus; nec ex aliqua materia, ut aliqui conjiciunt. *Affirmat insuper* Angelos esse Spiritus, quemadmodum anima hominis Spiritus dicitur: sed constat animam rationalem esse pure spiritualem, et incorpoream, ut sancitum est in altero Concilio Lateranensi sub Leone X.: ergo Angeli sunt omnino spirituales, et incorporei. *Denique* docet hominem esse substantiam inter Angelicam, et corporalem creaturam, quia homo constat spiritu, et corpore: ergo cum Angeli non sint medii inter creaturam spiritualem, et corporalem, debent esse omnino incorporei. *Confirmari* potest ex eo, quod in Concilio Generali Nicæno 2. *actione* 5. *ex libro Joannis Thessalonicensis*, animæ rationales, et Angeli ponuntur in eodem ordine intellectualium, seu quod idem est, spiritualium substantiarum: atqui animæ rationales sunt pure spirituales, et incorporeæ, ut vidimus supra sancitum fuisse in Lateran. sub Leone X.: ergo pariter Angeli sunt pure spirituales, et incorporei. *Item* in professione fidei Synodi septimæ generalis, seu Nicænæ II. actione 4. sancti Angeli vocantur *incorporei*, quod falsum esset, si ex corpore partim, et spiritu constituerentur: *Veneramur,* inquit, *imagines sanctorum, et incorporeorum Angelorum, utpote qui tamquam homines figura humana justis apparuerunt.*

Probatur etiam ex sanctis Patribus. Primo ✳ " quidem ex S. Ignatio qui in epistola ad Smyrnenses agens contra eos qui carnem Christi veram esse ac realem sua ætate negabant, inter cætera scribit: *Ego autem non solum natum eum et crucifixum in corpore factum scio, sed etiam post resurrectionem, in carne eum novi et credo esse. Et quando ad Petrum, et eos qui cum Petro erant venit, ait illis: palpate me et videte, quia non sum* Δαιμονιον ἀσώματον *dæmonium incorporeum. Spiritus enim carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.* Unde vero ista verba Christi hauserit S. Ignatius, diversa est veterum auctorum sententia; nam Eusebius lib. 3. *Eccles. historiæ* cap. 36. ingenue fatetur id sibi non esse manifestum. *Ignatius*, inquit, *in epistola ad Smyrnenses de Servatore nostro loquens, quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit ignoro. Ego vero, inquit, post resurrectionem Dominum apparuisse in carne scio et credo. Qui cum*

ad Petrum, et cæteros comites accessisset, dixit illis: apprehendite, contrectate me, et videte quod non sim spiritus incorporeus. Existimat Origenes lib. 1. *periarchon,* verba ista Christo attributa, esse deprompta ex libro inscripto PERIODUS seu DOCTRINA PETRI. *Si quis velit,* inquit, *nobis proferre, ex illo libello, qui Petri doctrina appellatur, ubi Salvator videtur ad discipulos dicere, quod non sit dæmonium incorporeum, respondendum ei quoniam liber iste inter Ecclesiasticos non habetur, et ostendendum quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cujuspiam qui spiritu Dei fuerit inspiratus.* Verum S. Hieronymus proemio in libro 18. commentariorum super Isaïam, et in catalogo scriptorum ecclesiasticorum dicit illa verba de *dæmonio incorporali* exscripta esse ex Evangelio Nazareorum, nam cum de S. Ignatio verba fecisset hæc addit: inde egrediens scripsit ad Smyrnæos, et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam, in qua, et de Evangelio quod nuper a me translatum est, sub persona Christi ponit testimonium dicens: ego vero et post resurrectionem in carne eum vidi, et credo quia sit. Et quando venit ad Petrum, et ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: ecce palpate me, et videte me, quia non sum dæmonium incorporale. At quidquid sit de exscriptione verborum istorum, certum est S. Ignatium in ea fuisse sententia, quod dæmones, atque proinde cæteri Angeli, sint incorporei, utpote cum validum cudat argumentum ad confirmandam veritatem Catholicam quod Christus verum ac solidum induerit humanum corpus, ex eo quod ipse dixerit: non sum dæmonium incorporale. Eadem fuit sententia S. Dionysii ** lib. *De cælesti Hierarchia* cap. 1. illos Spiritus simplices, et Intelligentias nullis figuris adumbratas appellat; *Ad simplices,* inquit, *nullisque figuris umbratas cœlestium rerum Intelligentias, assimilationesque subvehamur;* et c. 4. *De divinis Nominibus,* de Angelis ait: *Incorporales omnino, atque materia carentes intelliguntur, et tamquam spiritus supra mundanum intelligunt modum.* Et c. 6. affirmat Deum tribuere super cælestibus vitis, idest Angelis, immortalitatem immaterialem, et divinæ similem, hominibus vero commixtam. Nec aliter sentit de dæmonibus, licet *cap. illo* 4. tribuat illis furorem, concupiscentiam, imaginationem protervam: per hæc enim significare voluit pravam dæmonum affectionem, ut patet, quia ibidem asserit mali originem non ex corpore esse desumendam; quandoquidem dæmones summa sint malitia inquinati, nec tamen corpore constent. — Ipsis subscribunt plures alii sancti Patres. Ex Græcis quidem Gregorius Nyssenus Epistola ad Eustachium, quæ est inter Epistolas Basilii octogesima, ubi ait: *Natura hominis ex anima, et corpore est complexa: Angelica vero incorpoream naturam sortita est.* Et Oratione 4. in Dominicam orationem: *Omnis,* inquit, *natura rationalis dividitur in corpoream, et incorpoream naturam: incorporea porro est Angelica creatura, altera nos sumus.* Subscribit Nazianz. Orat. 34. ubi diserte Angelos dicit esse *incorporeos, et ad Deum proximi accedentes.* His plane consentit S. Chrys. Hom. 22. in c. 6. Genesis, ubi probat Angelum fuisse lapsum priusquam homo in Paradisum fuisset deportatus, quia ipsis invidit: *Alias,* inquit, *quomodo rationi consonum est Angelum incorporeum, et in tali dignitate constitutum homini invidere corpore circumamicto? Sed in-*

vidit, quia a suprema gloria in extremam ignominiam dejectus est, licet esset incorporeus. Adstipulatur S. Damascenus lib. 2. *De fide* cap. 3. ubi Angelum definit *Substantiam intelligentem, materiæ, atque corporis expertem:* tametsi *cum Deo comparati materiales, et corporei sint habendi.* — Eamdem veritatem probant ex Latinis plurimi. Sic S. Leo Papa, Epistola 93. scribit: *Fides vera, quæ est Catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium, bonam confitetur substantiam.* Subscribunt alii plurimi, qui illud Apostoli ad Hebræos, *Omnes sunt administratorii Spiritus* interpretantes, Angelos omnino esse incorporeos pronuntiant: sic sancti Ambrosius, et Hieronymus in illa verba.

Suaderi etiam potest ratione theologica: Primam quidem subministrat Alensis noster, *qu.* 20. *membro* 1.: Deus potuit creaturam omnino incorpoream producere, conveniensque fuit ad universi complementum illius creaturæ productio: ergo affirmandum est illam ita esse conditam: at illa creatura omnino incorporea dicitur Angelus: ergo revera Deus ipsam formavit. *Patet major*, quantum ad primam partem; siquidem Deus produxit animam rationalem, incorpoream, et intellectualem, tamquam substantiam incompletam, ut esset forma corporis; quidni ergo potuerit etiam producere integram, et completam substantiam intellectualem, et incorpoream, absque ulla habitudine ad corpus? *Minor* etiam constat; etenim ad Universi complementum spectat, ut in eo sint omnes rerum gradus: ergo sicut in illo est gradus substantiæ corporeæ completæ, et incompletæ; sic pariter debuit esse gradus non solum substantiæ spiritualis incompletæ, qualis est anima rationalis, sed etiam completæ, qualis est Angelus. — *Deinde*, ubi datur unum extremum, et medium, conveniens est etiam dari aliud extremum: quemadmodum enim (inquit Guillelmus Parisiensis secunda parte de Universo) datur oximel, quod ex melle, et aceto compositum est, consequens est etiam dari acetum a melle sejunctum, et mel ab aceto separatum in rerum natura inveniri: sed in ordine entium datur aliquid omnino materiale, ut corpora, et aliquid medio modo se habens, sicut homo, qui partim corporeus, partim spiritualis est: ergo debet etiam admitti aliud extremum, nempe substantia pure spiritualis, quam Angelum dicimus. *Denique*, si Angeli haberent aliquod corpus, maxime ex aere compactum, ut volunt illi, qui illos corporeos sentiunt: sed Angeli corpus non potest dici aereum: tum quia in eo organa, nervi, et alia id genus necessaria ad motum, et operationem vitæ corporeæ, requirunt commixtionem quatuor primarum qualitatum, qua corpus aereum caret: tum quia corpus Angeli deberet esse humano corpore præstantius: sed corpus pure aereum non est perfectius humano corpore: imo minus perfectum; nam omne corpus elementare imperfectius est corpore mixto: tum denique quia corpus angelicum deberet esse solidissimum, et omnino indissolubile, alioqui interitui esset obnoxium, nec possent Angeli tam miranda patrare opera, quæ ab ipsis fieri ratio et experientia docet: sed corpus aereum non potest esse omnino solidum, et indissolubile, aer namque facile cedit, et dissolvitur: ergo Angelus nequit habere corpus aereum. — *Confirmari* possunt eæ prætatæ rationes ex eo, quod ab uno homine dæmonum legionem pulsam esse Christi Domini imperio

Scriptura sancta referat Lucæ 8. Legio autem continet sex millia sex centum sexaginta sex: *Porro,* inquit Richardus Victorinus libro 4. *De Trinit., si tot ab uno homine ejecti sunt, tot in eo ante ejectionem fuerunt. Si dæmones corpora habent, ubi quæso in eo fuere? in spiritu, an in corpore? Constat autem, quia omne corpus longitudinem, latitudinem, altitudinem, locales videlicet dimensiones habet, et eo ipso sine locali capacitate subsistere non valet, qualem quidem Spiritus omnino non habet: ergo non in spiritu, sed in corpore fuerunt. Sed quomodo, vel in qua hominis parte tot corpora habitabant? Sed quantumcunque subtilia duo ejusdem præsertim quantitatis corpora unum, eumdemque locum occupare non valent: cujus ergo quæso exiguitatis putas angelicum corpus esse, si credas vel solam hominis pellem corpori detractam tot angelica corpora posse comprehendere?* Nec refert, quod S. Augustinus Epistola 115. de aereis, æthereisque animalibus, et corporibus disputans, idest, de Angelis, et dæmonibus, scribat: *Nequaquam absurdum est eos, qui aereo, vel æthereo corpore aliquid in operibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majore uti facilitate ad movendum quidquid volunt, etc.* Hoc enim est verum corpus non esse, cum corpori cuilibet quantitas impenetrabilis naturaliter conveniat; nec ab eo nisi per miraculum separari queat.

Dices 1.: Generatio sensibilis, et corporea corpus supponit: sed Scriptura sacra corpoream generationem tribuit Angelis: ergo in eis esse corpus supponit. *Major* constat: *minor* probatur ex illo Genesis 6. *Videntes Filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, etc.* Quo loci, ubi nostra versio habet particulam *Filii Dei*, septuaginta Interpretes legunt *Angeli Dei.* Unde plurimi ex sanctis Patribus, * " existimant primum peccatum Angelorum fuisse illam commixtionem cum mulieribus. Ita docet in primis S. Justinus Martyr in Apologetico primo, ubi cum dixisset Deum terrarum orbem a se conditum Angelorum curæ ac providentiæ commisisse, addit: *Angeli porro hunc ordinem prætergressi consuetudine mulierum capti sunt, ac filios genuerunt, quos dæmones appellamus, atque insuper humanum deinde genus sibi subjecerunt, partim magicis scriptis, partim terroribus ac suppliciis quæ inferebant: partim sacrificiorum ac suffituum, et libaminum institutione, quibus indigere cæperunt; postquam cupiditatum perturbationibus tamquam servos se subjecerunt: atque in homines, cædes, bella, adulteria, libidines ac nequitiam omnem disseminarunt.* Tatianus, S. Justini discipulus, libro contra Græcos docuit dæmones quidem non omnes esse carne vestitos, sed tenuissimis ac velut igneis et aëreis indutos; *dæmones,* ait, *omnes carne prædiți non sunt, sed spiritualis inest illis concretio, ut ignis, ut aëris: porro ab eis solis qui Dei spiritu muniuntur dæmonum corpora perspici possunt, non item a ceteris, hoc est, animalibus. Nam quod minus est comprehendere non potest id quod majus est.* Eadem quæ S. Justinus, docet Athenagoras ipsi coævus in legatione pro christianis, ubi cum dixisset ex Angelis quosdam in officio fideles perseverasse, addit: *Alii et concreditæ sibi naturæ ac substantiæ petulanter illuserunt, et imperio abusi sunt: tam ille materiæ et formis quæ insunt illi præpositus, quam alii, qui circa primum illud firmamentum versantur. Scitote vero nihil nos temere ac*

sine teste dicere: sed quæ a prophetis pronuntiata sunt declarare. Atque illi quidem in cupiditatem prolapsi virginum, et carnis illecebra superati sunt: iste autem neglective se gerens, et in eorum quæ commissa sibi erant, administratione improbe versatus est. Cæterum ex illis qui ad virgines adhæserunt, nati sunt, quos gigantes appellarunt. S. Clemens Alexandrinus eadem opinione fuit imbutus, nam lib. 2. *Pedagogi*, cap. 2. dicit Angelos quosdam *Dei pulchritudinem reliquisse propter pulchritudinem quæ flaccellit, ac propterea e cælo in terram delapsos.* Quod plenius et distinctius declarat lib. 5. Stromateon, ubi ait: *Angeli illi quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus etc.* Confirmat ista præclare Lactantius lib. 2. *De origine erroris* cap. 14. ubi scribit: *Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere; providens Deus ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet, vel dispergeret homines, quos in exordio rerum fecerat; misit angelos ad tutelam cultumque generis humani: quibus quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia ne terræ contagione maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem: scilicet id eos facere prohibuit quod sciebat esse facturos, ut veniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit.* Et post pauca adjicit: *Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum quæ geruntur auctores: quorum idem diabolus est princeps.* In eamdem sententiam descendere videtur S. Ambrosius pluribi, sed præsertim lib. 1. *De virginibus*, ubi scribit: *quam præclarum autem angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo; virginem propter castimonia in cælum transiisse de sæculo.* His subscribit etiam S. Cyprianus lib. *De disciplina et habitu virginum*, ubi cum exagitasset vana mulierum ornamenta, adjicit: *quæ omnia peccatores et apostatæ angeli suis artibus prodiderunt quando ad terrena contagia devoluti, a cælesti vigore recesserunt.* Præ cæteris autem hanc opinionem tuetur Tertullianus qui ✳ " libro *De velandis Virginibus* cap. 7. expendens illud Apostoli 11. Mulieres in Ecclesia debere velari propter Angelos, exinde colligit multo magis Virgines obvelari debere: *Si enim*, inquit, *propter Angelos, scilicet quos legimus a Deo cælo excidisse ob concupiscentiam fœminarum, quis præsumere potest tales Angelos, maculata jam corpora, et humanæ libidinis reliquias desiderasse, ut non ad Virgines potius exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excusat?* Concludit: *Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad cælum scandala jaculata est.* Eidem sententiæ favere videtur S. Ambrosius lib. 1. *De Virginibus*, ubi ait: *Castitas Angelos fecit, qui enim eam servavit, Angelus est, qui perdidit, Diabolus.* — **Nego minorem**, ad cujus probationem dico in textu Hebraico, et in 70. sicut et in Vulgata legi *Filios*, non *Angelos Dei*, ut constat in exemplaribus correctioribus, sicut observat S. Augustinus lib. 15. *De Civit. Dei* c. 23.: nomine autem *Filiorum Dei*, convenientissime intelliguntur filii Seth, et Enos, qui divino cultui præ cæteris hominibus maxime dediti, Filii Dei dicebantur a pietate, aut paterna, aut propria, qui cum filiabus hominum, hoc est, mulieribus oriundis a Caino, et ejus posteris, ho-

minibus maxime terrenæ, ac corporeæ voluptati deditis, commixti genuerunt Gigantes. Vel nomine *Filiorum Dei* intelliguntur homines statura proceri, juxta Scripturæ consuetudinem, quæ res celsissimas nomine Dei appellat phrasi Hebraica, ut *cedri Dei*, *montes Dei*. Vel denique nomine *Filiorum Dei* intelliguntur filii Magnatum, et Principum, juxta Hebræum *Elohim:* quod non solum Deo, sed etiam Principibus, ac judicibus Scriptura sacra tribuit *Exodi* 7. et *Psal.* 81.; quorum filii commixti cum filiabus plebis, et ignobilibus progenuerunt Gigantes, hoc est homines cæteris robustiores, et ad libidinem promptiores; ut interpretantur SS. Chrys. Aug. Cyril. Alexandrinus. Huicque expositioni favet Scriptura: siquidem subdit diluvium esse a Deo immissum propter hominum peccata, maxime propter illam commixtionem Filiorum Dei cum filiabus hominum; igitur illa commixtio non de Angelis, sed de hominibus intelligenda est. Hinc appareret quantum a vero exorbitaverint, qui censuerunt primum Angelorum peccatum fuisse libidinem corpoream, quæ diluvium procuravit: jampridem enim Angeli lapsi fuerant; nam eorum Princeps non multo post mundi creationem primos parentes tentavit, et seduxit. Adde quod Christus Dominus diserte pronuntiat Angelos esse generationis incapaces; dicit enim Lucæ 20. in laudem Virginitatis: *Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias, illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultra mori poterunt æquales enim Angelis sunt.* — ✳ " Ad SS. Patres in objectione laudatos, dico eos illam amplexos fuisse sententiam, occasione libri inscripti *Revelationes Enoch*, cujus fragmentum profert Scaliger in notis Eusebianis, quem librum Tertullianus loco supra laudato conatur inter sacros asserere, tametsi jam dudum habitus fuerit ut apocryphus: quod utique observare licet ex his S. Hilarii verbis in psalmo 132: *Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus liber exstat, quod angeli concupiscentes filias hominum cum de cælo descenderent, in hunc montem maxime convenirent excelsum. Sed hæc prætermittimus. Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus, commemorata autem ob id tantum sunt, quod nos de hoc monte Dei per prophetam professio commonebat. Certe hodie gentes montem hunc profana religione venerantur, et interpretationem nominis sui, quod est anathema, illa ipsa impiæ superstitionis sede testantur.* " ✳

Dices 2: Scriptura sacra affirmat Angelos sensibus humanis esse perceptibiles, et in figura humana Patriarchis, ac Prophetis apparuisse, nam tres ex eis Abraham convivio excepit, Jacob cum Angelo luctatus est per totam noctem, vidit etiam Angelos ascendentes, et descendentes, ut refertur *Genesis* 18. 19. 28. 32. et in *libro Tobiæ* Angelus Raphael comes fuit Tobiæ juniori in via, cum ipso manducabat, eumque docuit, quod jecore piscis combusto fugarentur dæmones, ut videre est cap. 6. et 8. Denique dæmones cruciantur igne inferni, *Matth.* 25., vinculis captivantur, *Judæ* 6., detrahuntur rudentibus in Tartarum 2. *Petri* 2. ex quibus omnibus liquet Angelos esse corporeos. — **Respondeo** ad priora Angelos hæc omnia præstitisse non in corpore proprio, sed in assumpto, et formato vel ex aere, vel ex alia materia tenui, et subtili: possunt enim Angeli sibi formare corpora,

et illa movere localiter, ac in eis sese præbere visibiles, et cum hominibus conversari, licet in eis corporibus opera vitæ corporeæ non exerceant vere, sed tantum secundum apparentiam, juxta illud Tobiæ 12. *Videbar vobis manducare, et bibere: sed ego cibo invisibili utor, et potu, qui ab hominibus videri non potest:* idest, visione beatifica, quæ in Scripturis explicari solet metaphora convivii. Ut autem igne inferni crucientur physice, aut moraliter, non est opus eos esse corporeos: nam et animæ separatæ, licet pure spirituales, eo torquentur. Jecur vero piscis combustum *Tobiæ* 6. fugavit dæmonem moraliter, quia nempe religiosa fumigatio erat precibus, et usui castitatis adjuncta, et insuper Christum piscem sacrum, in Passione amoris igne combustum præsignabat; ut exponunt Aug. serm. 4. de SS. Petro, et Paulo, et Prosp. lib. *De Promissionibus*, p. 2. c. 39. Sic et in exorcismis fumigationes adhibitæ dæmones torquent moraliter, aut impediunt, vel quia sacræ, vel quia in eorum contemptum factæ, vel quia humoribus temperandis aptæ, ut iis minus commode uti possint; rudentes denique, et vincula, quibus dicuntur alligari, intelliguntur tropice, prout exigit natura Spiritus, pro coercitione spirituali, et alligatione ad certum locum: quæ detentio per res corporeas, saltem moraliter exerceri potest.

Dices 3: In Concilio Nicæno 2. actione 5. approbatur sententia Joann. Episcopi Thessalonicensis asserentis Angelos esse pingendos, non vero Deum ipsum. *Quippe,* inquit, *revera Deus incorporeus, et incircumscriptus est: intelligibiles vero creaturæ non penitus incorporeæ sunt, et invisibiles, ut Deus. Ideo in loco sunt, et circumscribuntur. Sicubi autem incorporeos appellari Angelos invenias, aut dæmones, aut animas, idcirco sic appellantur, quod ex materialium quatuor elementorum permixtione non constent: nec ejusmodi sint corpora crassa, et solida, qualia nobis circumfusa sunt. Etenim, ut vere dicam, etsi respectu ad nos habito, invisibiles sint, tamen a plerisque visi sunt, sensuque percepti in specie propriorum corporum: visi, inquam, sunt ab iis, quorum Deus oculos aperuit: ac cum loco circumscripti sint, satis ostenditur, non eos omnino incorporeos esse, perinde ut est Deus.* Quam utique sententiam videtur Synodus approbasse, siquidem cum eam retulisset Tharasius Concilii Præses, universa Synodus dixit; *Etiam Domine.* — **Respondeo** Concilium approbasse tantum Conclusionem ex præfata sententia excerptam, nempe *Angelos posse depingi, quia hominibus apparuerunt aliquando in specie humana;* non vero illam, *quod sint corporei.* Quod utique patet, tum quia Concilium id tantum approbavit, quod ex libro Joannis Thessalonicensis excerpsit, et proposuit Tharasius: at ille sapienter prætermisso errore de Angelorum corporeitate (de qua tunc non erat quæstio, sed tantum de cultu sanctarum Imaginum) proposuit tantum Angelos posse depingi, juxta sententiam Joannis Thessalonicensis, eo quod in specie humana apparuerunt: *Ostendit,* inquit, *Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt:* quibus auditis statim subjecit Synodus: *Etiam Domine.* — Itaque acclamatio illa Concilii cadit tantum in id quod proxime dixerat Tharasius, qui in referenda Joannis sententia id unum arripuit, nempe Angelos posse pingi, quia sunt circumscripti, idest, definiti certo loco, et humana

subinde putat eos habere animam et corpus; tametsi alibi asserat se nusquam in Scripturis legisse Angelos habere animas. Unde " ✳ S. Fulgentius in libro *De Trinitate* concludit: *Angelos esse plane ex duplici substantia asserunt magni, et docti viri, idest, ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent. . . . . Corpus vero æthereum, idest igneum eos dicunt habere. Angelos vero malos, idest dæmones corpus aereum.* ✳ " His consentit Venerabilis Beda libro 1. *De elementis philosophiæ*, ubi de Angelis scribit: *Quidam dicunt quod corpora sint ita subtilia, quæ sensu percipi non possint, unde respectu corporum nostrorum, quæ spissa sunt et crassa, spiritus dicuntur, quemadmodum aër quamvis corpus sit, tamen propter subtilitatem sui spiritus vocatur.* Quod confirmat B. Gregorius qui in Moralibus lib. 11. cap. 2. de Angelis loquens ait: *comparatione nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione illius summi et incircumscripti Spiritus, corpora sunt dicenda. Hoc iterum probant auctoritate B. Augustini, qui Enchiridio quoddam posuit capitulum, qualia corpora angeli habeant.* His simillima habet Cassianus collat. 1, cap. 13, ubi scribit: *Licet enim pronunciemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aër iste subtilis: tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt, habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet tenuius quam nos, nam sunt corpora secundum Apostoli sententiam, ita dicentis: et corpora cœlestia, et corpora terrestria.* — Ejusdem etiam sententiæ sunt SS. Damascenus lib. 2. *De fide orthod.* cap. 3. et Bernardus in Cantica serm. 5. et alii bene multi. " ✳ — **Respondeo** 1. Revera quidem plures e Sanctis Patribus sensisse Angelos habere corpus, vel aereum, vel æthereum. Verum reel mant plurimi, ut supra diximus pag. 27 Inde neganda est *minor:* siquidem nusquam fuit hac in re communis, et concors Ecclesiæ doctrina, neque illi, qui Angelos corporeos sentiunt, id vel ex Scriptura, vel majorum traditione confirmant, ut fatetur ipsemet Origenes libro secundo *De principiis* c. 8. ubi cum scripsisset, *non videri absurdum de sanctis Angelis, cæterisque cœlestibus virtutibus, vel dicere, vel sentire illos animas habere;* subdit: *tametsi id ex nullius auctoritate Scripturæ constet.* — ✳ " *Respondeo* 2. quod cum sancti Patres et Scriptores ecclesiastici asserunt Angelos esse corporeos, vocem *corpus* diversimode usurpant, et in laxiori significatione, nimirum vel quatenus umbræ seu phantasmati opponitur et notat rem existentem, quo sensu corpus Deo tribuitur a Tertulliano et hac ratione Angeli vere dici possunt corporei: vel corpus usurpant pro eo omni quod non est ejusdem immaterialitatis cum Deo, quo sensu S. Augustinus tom. 3, in lib. *De spir. et anim.* cap. 18: *Anima*, inquit, *respectu incorporei Dei est corporea, nihil invisibile, et incorporeum natura credendum est præter solum Deum*, qui ex eo incorporeus et invisibilis dicitur, quia infinitus est et incircumscriptus: vel tandem nomine corporis Patres intelligunt aut motus illos iracundiæ, invidiæ, aliosque pravos affectus quibus hominum perversorum instar jactantur dæmones: aut pœnas quas a rebus corporeis, præsertim igne, ipsi perduelles angeli patiuntur corporum instar: vel tandem per corpus intelligunt illam prævaricatorum angelorum e cœlo deturbationem et ad interiora loca vere corporea et crassiora deje-

ctionem, ubi corporum instar detinentur et admissi sceleris pœnas luunt. Hinc Origenes tom. 1. in Joan. dicit dæmones pro criminum modo crassiori corpore fuisse addictos, et Minutius Felix dicit, *istos spiritus simplicitatem substantiæ perdidisse.* Quin etiam, S. Augustinus lib. 3. *De Gen. ad litteram*, cap. 10, ait: *Si autem transgressores illi antequam transgrederentur cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est si conversa sunt ex pœna in aëream qualitatem.*" ✳—Addo plurimos ex his variare, et ancipites hac in re definienda videri: primo namque Origenes ipse libr. 6. contra Celsum, Angelos corpore carere dicit: *Nos,* inquit, *corpoream substantiam putamus igne non conflagrare, neque in ignem resolvi hominis animam, vel Angelum.* Similiter S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, *Angelorum naturam corpore carentem, et ratione præditam* affirmat. Quantum vero ad S. Augustinum, constat eum hac in re nihil certo determinasse, ut ex plurimis ejus scriptis liquet, maxime vero in Enchiridio cap. 58. ubi ait, se ignorare an ad Principatus, et Potestates pertineant Sol, et Luna, et cuncta sydera tamquam eorum corpora. Imo lib. 1. *Retractationum* cap. 11. et lib. 2. cap. 14. revocat quod alibi scripserat, nempe Angelos esse animas, aitque dicendos non *animas*, sed *spiritus,* quibus fatetur ipsos corpore non supervestiri, cum animæ rationem non habeant. "✳ Hinc Theodoretus quæstiones de corporeitate vel spiritualitate Angelorum inter inutiles et supervacaneas disquisitiones reponit. At tandem dummodo quis fateatur Angelos esse a Deo creatos, de cæteris liberum cuique relinquit pro arbitrio statuere. *Si quis*, ait, *angelorum cœtus ante cœlum et terram conditos dixerit, non offendit verbum pietatis. At verbosis contentionibus insistere, quæ nihil ad aliud prosunt quam ad subversionem audientium expresse prohibet divinus Apostolus.* Eadem fuit Petri Lombardi sententiarum Magistri hac in re mentis cespitatio. Nam libro 2, dist. 2, quæst. 2, cum SS. Augustini ac Hieronymi de Angelorum creatione exposuisset sententiam, subjungit deinde: *Nos quod prius dictum est, pro capta intelligentia magis approbamus, salva tamen reverentia secretorum in quibus nihil temere asserendum est.* Verum post concilii Lateranensis definitionem, quisquis hodie Angelos corporeos affirmaret, si non pro hæretico, certe pro temerario et præfidenti habendus esset." ✳

Dices 5 cum Cajetano, et nonnullis Recentioribus, Angelos corporeos esse affirmantibus, quod omnes gradus viventium concedendi sunt, utpote necessarii ad perfectionem Universi: ergo sicut dantur vegetantia sine sensu, et sentientia sine motu progressivo: sic dari debent intelligentia sine sensu, cum solo motu progressivo, quales erunt Angeli præditi corporibus æthereis, vel aereis: ergo tales sunt concedendi. — **Nego consequentiam:** licet enim ad Universi perfectionem requiri videatur ut in eo sint omnes gradus essendi possibiles, scilicet *esse, vivere,* et *intelligere;* non tamen necessum est, ut omnes modi, quibus haberi possunt tales gradus, de facto existant. Quare licet non implicaret existere formam intellectualem, quæ informaret corpus non sentiens, quæve minime uteretur sensibus ad excipiendas species intelligibiles, sed tantum ad motum, et alios quosdam effectus; non tamen sequitur illum modum habendi intelligentiam sine sensu, necessario desiderari: tum quia non omnes viventium gradus specifici, aut

generici, qui existere possunt, debent esse reipsa, quippe cum perfectio Universi non tanta sit quanta esse potuit, sed quantam Deus voluit: tum quia ratio intelligendi sine sensu, et cum solo motu progressivo non constituit specialem gradum entis; sed tantum est specialis modus habendi gradum entis intellectualis.

Dices 6: Angeli, præsertim mali, habent aliquam cum quibusdam rebus corporeis sympathiam, et antipathiam. Sic ad pulsum citharæ Davidis dæmon a Saule recessit. Sic *Tobiæ* 6. *vers.* 8. *et cap.* 8. *vers.* 2. dicitur fumo jecoris piscis cujusdam fugatum fuisse dæmonem, ejusque maleficium depulsum. Imo variis subinde pharmacis, et amuletis corporeis dæmones arceri, eorumque intestationes impediri videmus. Eamdem dæmones exagitandi, et expellendi vim, ut ait Delrius *lib.* 2. *q.* 30. *sect.* 3. tribuunt nonnulli rutæ, balneis, stercori caprino, et flagellationi: ergo quasdam in se habere videntur qualitates corporeas, earum rerum qualitatibus contrarias. — **Respondeo**, hos effectus non oriri ex vi naturali, et oppositione inter res ipsas, et dæmones; sed ex eo quod Deus interdum rebus naturalibus, et corporeis ad dæmones abigendos veluti instrumentis ad hoc assumptis utitur; ut patet exemplis allatis. Adde quod Raphaelis virtus, et Davidis sanctitas ad hosce spiritus compescendos conduxerit. Fateor tamen quasdam res naturales vi sua ad Dæmonem compescendum, et intestationes ejus impediendas, ac mitigandas conducere; dum scilicet hominis a Dæmone vexati humores noxios removent, quibus maxime Dæmon insidet, iisque utitur ad hominem infestandum.

Conclusio secunda. — Angeli non componuntur ex materia, et forma physica. Hæc sequitur ex præcedenti.

Probaturque his omnibus sanctorum Patrum textibus, quibus docent Angelos esse incorporeos, et omnino simplices, quantum ad naturam; nam constat eos esse compositos tum ex subsistentia, tum ex accidentibus spiritualibus, puta intellectione, volitione, et similibus, quale compositionis genus nemo in Angelis negaverit. Patet insuper, eo quod præstantior, et nobilior sit natura Angelica, quam anima rationalis: sed anima rationalis, ut diximus supra, est simplex, et immaterialis: ergo multo magis Angeli.

Dices 1: Sanctus Augustinus, lib. 7. *De Genesi ad litteram* c. 6. affirmat Deum ab initio creasse materiam aliquam spiritualem ex qua humanam animam eduxit, et a qua habet anima, quod sit mutabilis a virtute ad vitium, et e contra, sicut corpus est mutabile ad infirmitatem; vel, ut subdit, *Sicut caro in natura vel proficit ut pulchra, vel deficit ut deformis sit; habuit etiam materiam, idest, terram, de qua fieret ut omnino* caro *esset; sic fortasse potuit et anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ* anima *dicitur (cujus vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est) habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondum esset anima: sicut terra de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non esset caro.* Ipsi subscribit Boetius libro *De Unitate, et Uno*, ubi docet eamdem esse materiam rerum corporearum, ac spiritualium: *Quia igitur* (inquit) *materia in supremis formata, est intelligentiæ forma, et forma rationalis animæ; deinde postea forma animæ sensibilis; deinde forma animæ vegetabilis; deinde forma naturæ: ad ul-*

timum autem est forma corporis; hoc non accidit ex diversitate virtutis agentis, sed ex aptitudine materiæ suscipientis. Ac demum cum de Unius variis generibus agit, inter alia quoddam esse ait, *Simplicium cognitione unum, ut Angelus, et anima, quorum unumquodque est unum conjunctione materiæ, et formæ.* Ipsis consentit Rupertus lib. 2. *De Victoria Verbi Dei* cap. 12. ubi Angelos de materia creatos existimat. — **Respondeo** 1. sanctum Augustinum non affirmando, sed potius tentando, ac dubitando illa protulisse. *Deinde* nomine *materiæ* non intelligit materiam primam, quæ est omnium formarum physicarum susceptiva; sed informitatem, seu potentialitatem quamdam proportionaliter communem materiæ corporeæ, et substantiæ spirituali: quemadmodum enim materia prima ex se informis est, ita Angelus prius est creatus secundum naturalia, quam converteretur ad Verbum a quo illuminatur; adeoque dicitur productus in potentia intelligibili, proportionaliter ad materiam, quæ est in potentia ad formas. *Vel denique* dico ipsum forte locutum in sententia Platonicorum de ideis, et intelligibilibus formis, quales a corporibus abstractas constituebat Plato, et in quibus materiam esse volebant Platonici, cui formæ illæ intelligibiles inessent; *Nam*, inquit Plotinus Enn. 2. lib. 4., *cum plures in illis ideis sint species, commune sit in iisdem aliquid oportet: sed et proprium, quo aliud ab alio discrepet. Hoc igitur proprium, ac differentia illa discernens, forma est propria. Quod si inest forma, est et formatum circa quod differentia est. Subest itaque materia, quæ illam formam recipit.* Quo pariter sensu locutus videtur Rupertus supra laudatus. *Ad Boetium* dico, ipsum in libro *De duabus naturis, et una persona Christi.* asserere nullam in rebus corpore carentibus esse materiam, *Omne* (inquit) *corpus quod in generatione, et corruptione subsistit, communem videtur habere materiam, sed non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid, vel pati potest: Corporea vero in incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subjecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutram permutetur: omnis enim naturæ incorporeæ substantia nullo materiali nititur fundamento.* Itaque vel in seipsum militat Boetius, vel loco in objectione laudato materiam usurpat in mente Platonicorum, nimirum pro *idea*, quæ materiæ instar, spiritibus formandis præexistit in mente divina, a qua habent, primo *ut sint:* deinde *ut tales sint,* hoc est, viventes, et intelligentes. Ita docet sanctus Maximus in scholio quinti libri *De Divinis Nominibus; Invisibiles* (inquit) *et supremæ mentes, primum essentiæ, vel existentiæ fuerunt participes, ac deinde vitæ, atque sapientiæ, ut enim in nobis prima est producta materia ex qua sumus; sic in mentibus corpore carentibus instar materiæ intelligitur ea, quæ est uniuscujusque per vitam forma, et per quam substantiatum est ad vitam, et sapientiam, et similitudinem.*

Dices 2. cum S. Bonaventura: nullum mutabile est simplex: sed Angelus ex sua natura est mutabilis: ergo non est simplex, sed compositus: at quod est compositum, et mutabile, constat materia, quæ est principium mutabilitatis, et compositionis; *Nam* (inquit S. Augustinus 12. Confessionum) *omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quamdam informitatem, qua forma capitur, vel mutatur, vel vertitur:* et Boetius libro 3. *De Trinit. Nihil quod est vere forma, accidentibus potest subjici.* — **Concedo totum argumentum,** sed *nego subsumptum:* Angeli

enim sunt mutabiles secundum perfectiones accidentales; et sic habent compositionem, non solum ex essentia et existentia, sed etiam ex subjecto et accidente; quia intellectio, et volitio perficiunt intellectum, et voluntatem Angeli, et consequenter intellectus, et voluntas sunt in potentia ad illas. Sicque explicari possunt Augustinus, et Boetius a sancto Bonaventura laudati, nempe quod in Angelis sit ratio potentiæ, et subjecti per respectum ad formam accidentalem, quæ Angelis inest; unde Angeli non sunt actus simplices, quatenus simplicitas negat omnem compositionem realem, qualis est simplicitas divina: sed tantum quatenus simplicitas opponitur compositioni ex materia, et forma physica.

Dices 3.: Nihil idem, et secundum idem agit, et patitur: sed idem Angelus agit, et patitur, nempe illuminat inferiores Angelos, aut homines, et illuminatur a superioribus Angelis, et a Deo: ergo habet aliud principium secundum quod agit, et aliud secundum quod patitur: sed principium secundum quod agit, est forma, et principium secundum quod patitur, est materia: ergo in Angelo est compositio ex materia, et forma. — **Respondeo**, Angelum agere, et pati intentionaliter penes eamdem entitatem, et facultatem diversimode se habentem, vel ad effectum, quem producit, vel ad principium, a quo aliquid recipit: ut a simili constat de intellectu humano, qui licet sit una simplex, et individualis facultas, tamen denominatur, et est agens, et patiens, ut constat ex Physicis. Hic itaque observandum quod licet difficile videatur definire quid voluerit S. Bonaventura, arbitror tamen ipsum nihil aliud intendere, quam quod Angelus habeat compositionem ex materia, et forma metaphysica, idest, ex genere, et differentia; nam quæstione prima, sic ait: *Essentia omnis creaturæ composita est ex diversis naturis, et illæ duæ se habent per modum actualis, et possibilis, et ita per modum materiæ, et formæ, et ideo illa positio videtur verior esse, scilicet quod in Angelo sit compositio ex materia, et forma.* Clarius autem id indicat quæstione 2. dum ait: *Dato quod Angelus habeat compositionem ex materia et forma, large sumpto nomine* materiæ *ad omne potentiale, quod cum alio venit ad constitutionem tamquam fundamentum rei.* Non igitur loquitur de materia physica, et stricte dicta; sed de gradu generico, qui dicitur materia metaphorice, et per quamdam proportionem, quam habet cum materia, ut dictum est in Logica.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUOMODO ANGELI SINT INCORRUPTIBILES, ET IMMORTALES.

Notandum 1. Incorruptibile illud dici, non solum quod de facto corruptioni non subjacet, sed quod nec subjacere potest. Corruptio autem dupliciter potest accipi: *Primo* quidem latius, pro quacumque desitione rei quæ ab esse transit ad non esse, quo sensu corruptio idem significat ac desitio seu defectio, et incorruptibile idem ac indefectibile. *Secundo,* strictius pro destructione aut dissolutione compositi substantialis, materia et forma constantis: sicut generatio illi opposita est productio, et effectio compositi substantialis.

NOTANDUM 2. Aliquid triplici modo dici naturaliter indefectibile. *Primo* quidem absolute, eo quod sit talis naturæ ut per nullam potentiam destrui possit, et in nihilum abire : *Secundo*, quod juxta Dei potentiam ordinariam agentis, nempe secundum exigentiam naturalium causarum destrui non debet ; vel quia nulla est e causis naturalibus quæ rem illam destruere possit ; vel quia nulla illius destructionem exigit: *Tertio* denique illud dicitur naturaliter incorruptibile, quod ex principiis suis intrinsecis exigit numquam deficere : sed ubi semel accepit esse, illud in perpetuum servare postulat.

NOTANDUM 3. Circa præsentis Quæstionis resolutionem triplicem esse sententiam. *Primo* namque Hæretici nomine *Libertini* negarunt Angelos, et rationales animas esse immortales, ita quod sicut initium sic et exitum sint habituri, quippe solius Dei propriam esse immortalitatem volunt, cujus creatæ res participes esse nequeunt. *Secundo*, nonnulli sunt qui affirmant Angelos esse naturaliter, et intrinsece defectibiles, soloque Dei beneficio sicut cætera entia perseverare, quia cum ex nihilo educti fuerint, etiam in nihilum abire ex se postulant. *Tertio* denique contendunt alii, illos naturaliter incorruptionem exigere ; ita quod per solam extraordinariam Dei potentiam destrui possint, et annihilari. Tria itaque hic sunt statuenda: Primum, Angelos nusquam interituros : secundum, quod per absolutam Dei potentiam deficere possint : tertium quod ex suis principiis intrinsecis postulent in perpetuum subsistere.

Conclusio prima. — ANGELI SUNT IN PERPETUUM EXTITURI, NULLIQUE INTERITUI SUBJACEBUNT UMQUAM. Hæc est de fide ; et

Colligitur ex iis omnibus Scripturæ sacræ textibus, quibus constat bonos æternum perseveraturos in gloria, malos vero in pœna, ut legitur Matth. 25. Lucæ 20. Judæ Apostoli *versu* 6. ubi dicitur Angelos, qui non servaverunt suum principatum, esse vinculis æternis sub caligine reservatos. — *Confirmatur* pariter ex Epistola Sophronii recitata in sexta Synodo generali *actione* 11. et approbata *actione* 13. ubi hæc legimus: *Deus suis operibus præsidens, principiumque omnibus temporale constituens, sensibilia quidem fini temporali supposuit, intellectualia vero, et invisibilia hæc meliori dignitate dignatus est ; et nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, juxta quod sensibilia defluunt atque pertranseunt, sed gratiam eis largitus est a corruptione ea, et a morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseverant.* Idem colligitur ex Concilio Lateranensi sub Leone X. in quo sess. 8. tamquam unus ex erroribus ab Ecclesia semper explosis, damnatur eorum assertio, *Qui ausi sunt dicere animam rationalem esse mortalem.* Et subdit : *Sacro approbante Concilio damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse ; cum illa non solum vere, et per se, et essentialiter humani corporis forma existat, verum et immortalis.* At si immortalitas competat animæ rationali, quæ tam affine cum mortali corpore habet commercium ; multo magis tribuenda est Angelo, qui cum materia nullam habet affinitatem.

Hoc ipsum probant SS. Patres qui cum S. Dionysio cap. 4. *De Divin. Nomin. fatentur, Angelos habere vitam sempiternam, et quæ*

imminui non potest, ab omni interitu, et morte solutam, et liberam: vel cum S. Athanasio Tract. *De definitionibus*, Angelum, et animam appellari posse æternos; *Quia*, inquit, *licet initium habuerint, immortales sunt, et æternum vivunt*: vel cum S. Basilio in *Psal.* 44. dicente Angelos non esse mutabiles in suo esse, *quia in quo statu creantur, in eo perpetuo remanent, servata simplici, et eadem immutabili propriæ naturæ substantia, etc.* Quibus omnibus constat communem Ecclesiæ fidem, ac doctrinam esse quod Angeli sint incorruptibiles, et immortales.

Dices: Deus solus in sacris Scripturis dicitur immortalis 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem:* ergo immortalitas nec Angelis nec rationalibus animabus convenit. — **Respondeo**, vocabula *mortale*, et *immortale* trifariam posse accipi: *Primo* quidem pro re mutabili ab uno statu ad alterum, quo sensu S. Augustinus Epist. 28. animam hominis partim mortalem, partim immortalem esse demonstrat: *Anima*, inquit, *hominis immortalis est secundum quemdam modum suum, non enim omnimode sicut Deus, de quo dictum est*, quia solus habet immortalitatem; *Nam de Animæ mortibus sacra Scriptura multa commemorat, quale est illud* sinite mortuos sepelire mortuos, etc. Unde secundo *De Trinitate* c. 9. *Ipsa*, inquit, *mutabilitas non inconvenienter mortalis dicitur, secundum quam et anima dicitur mori; non quia in corpus, vel in alteram aliquam substantiam mutatur, et vertitur; sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est, aut fuit, secundum id quod destitit esse, vel quod erat, mortale deprehendatur.* — *Secundo*, immortale dicitur, quod non a se, sed aliunde habet ut mori non possit; qua ratione Angeli partim mortales, partim immortales dicuntur a nonnullis sanctis Patribus, quia licet ex se sint incorruptibiles, possunt tamen vi divina in nihilum redigi. — *Tertio* denique illud immortale dicitur, quod nec ex se, nec per alium deficere potest: quo sensu solus Deus est immortalis.

Conclusio secunda. — Angeli non sunt absolute incorruptibiles, et respectu potentiæ extraordinariæ Dei. Ita Doctor Subtilis in 1. distinct. 8. q. 5. num. 22. ubi affirmat nullum ens præter Deum esse necessarium; *Dico*, inquit, *quod nihil aliud a Deo est immutabile, loquendo de mutatione quæ est versio, quia nihil aliud est formaliter necessarium.* Cum itaque Angelorum existentia non sit absolute necessaria, sed contingens; quippe Deus potuit eos non producere; ideirco dici nequeunt absolute incorruptibiles: sicut enim ex nihilo formati fuerunt, ita per extraordinariam Dei potentiam iterum potuerunt in nihilum abire.

Hoc ipsum probat sanctus Cyrillus lib. 20. *Thesauri*, ubi demonstrat Filium Dei Angelis esse præstantiorem, quod ille necessario, et immutabiliter existat; illi vero volente Creatore possint in nihilum redigi. *Nam etsi*, inquit, *Angelus immortalis quædam res est, propter ita constitutam de eo Conditoris voluntatem, et gratiam: nihilominus quoniam existendi principium habet, posset utique finem etiam sortiri, naturales enim prærogativæ habentibus quidem validæ sunt; non autem earum opifici Deo. Quemadmodum ignis urendi vim habet, sed non*

Deo: et Angelus immortalis est quidem, sed non Deo. Quibus verbis Cyrillus duo intendit: *Primum*, quod sicut ignis naturaliter ita est combustivus, ut ejus vis a nullo agente creato suspendi possit, sed tantum a Deo: sic Angelus ita est immortalis, ut a nullo alio quam a solo Deo possit impediri ne perpetuo sit. *Secundum*, quod licet Angelus ex natura sua sit incorruptibilis, tamen Deo volente destrui possit, nempe si ab eo conservando Deus desisteret; *Nam* (inquit S. Augustinus Epistola 56.) *non ob aliud res habent deficere vel posse deficere; nisi quod ex nihilo factæ sunt: ut quod in eis est quod sunt, et manent.... ad ejus bonitatem omnipotentiamque pertineat, qui summe est, et Conditor.*

Idem docent plurimi e sanctis Patribus, qui Angelos non natura, sed sola Dei gratia, immortales esse docent, quia ut initium per divinam potentiam, sic et exitium habere possunt; quippe solius Deī propriam esse immortalitatem volunt, cujus creatæ res fiunt participes quamdiu Deo placitum fuerit. Quod egregie docet sanctus Ambrosius lib. 3. *De fide* cap. 2. *Nec,* inquit, *Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est Creatoris.* Subscribit Sanctus Damascenus lib. 2. cap. 3. *Immortalis est,* inquit, *Angelus, non natura, sed gratia; nam quidquid initium habuit, et desinere suapte natura potest.* Favet etiam S. Hilarius in Psalm. 148. ubi explicans illud: *Præceptum posuit, et non præteribit,* ait: *Ut hoc quod sunt* (Angeli, et animæ rationales) *id est, maneant in æternum, non naturæ suæ esse intelligant, sed præcepti ejus sit qui potens sit rebus ex nihilo substitutis naturam æternitatis afferre: non enim, inquit, præteribit præceptum, idest, mandati ejus non erit finis: in æternum manent, quibus æternitatem virtus æternitatis indulsit.*

Hæc veritas etiam Philosophos Platonicos non latuit; nam ipse Plato in Timæo introducit Deum summum Deos minores, nempe Angelos, sic compellantem: *Hæc vos qui Deorum satu orti estis, attendite quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito. Quamquam omne colligatum solvi potest. Sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere: sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, et indissolubiles non potestis. Neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis facta periment, nec fraus valentior, quam consilium meum; quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini colligati.*

Conclusio tertia. — ANGELI SUNT INCORRUPTIBILES, ET IMMORTALES EX SUIS PRINCIPIIS INTRINSECIS. Hæc Conclusio sequitur ex præcedentibus.

Probatur insuper: illud est incorruptibile ab intrinseco, quod intrinsece non constat materia, quæ est principium corruptionis: sed, ut dictum est in priori quæstione, Angeli sunt omnino immateriales: ergo et incorruptibiles. — *Secundo*, illud omne quod nihil habet in se, ratione cujus postulet destrui, nihilque potest accipere quod ejus existentiam evertat, est incorruptibile ab intrinseco: sed Angeli nihil habent in seipsis, ratione cujus postulent destrui, quia non constant aliquibus contrariis, vel subjecto admittente qualitates contrarias suæ substantiæ

corruptivas, cum sint prorsus incorporei ; nec possunt etiam quidquam recipere, quod eorum destruat existentiam, quia non possunt ullam recipere qualitatem disponentem ad formam substantialem cum angelica forma in eodem subjecto incompatibilem ; sic enim constare deberent materia, quæ idcirco dicitur principium corruptionis, quatenus habens propensionem ad omnes formas, potest admittere contrarias qualitates, quæ præsentem formam destruant, et ad alterius introductionem præparent : igitur Angeli sunt ab intrinseco incorruptibiles. — *Tertiam rationem* subministrat sanctus Maximus martyr in Opuscolo *De animæ immortalitate*, ubi probat animam esse immortalem, ex eo quod sit simplex. Quod utique sic probat : *Nulla res*, inquit, *omnino seipsam potest corrumpere, alioqui ne omnino quidem constituta fuisset : quæ enim corrumpuntur, ex contrariis corrumpuntur ; ideo omne quod corrumpitur, dissolubile est ; quod autem dissolubile est, plures habet partes ; quod vero ex partibus compomitur, nimirum diversis iis constat : jam quod diversum est, non est idem. Quamobrem anima cum sit simplex, neque ex differentibus constans partibus, non est composita, neque dissolubilis, ideoque corruptionis erit expers, et immortalis.* Quæ omnia multo magis de Angelis dici possunt, cum excellentiore natura constent.

Dices 1: SS. Patres laudati supra Concl.2 affirmant Angelos esse immortales, non natura, sed gratia : ergo censent eos non esse naturaliter, et intrinsece incorruptibiles. — **Respondeo**, particulam *ex natura* dupliciter posse accipi: *Primo*, ut significet idem quod ex vi suæ essentiæ, et a se ac independenter a cujusvis alterius influxu; quo sensu Angeli dici nequeunt immortales ex natura sua, hoc enim esset dicere, eos esse omnino independentes, quod est hæreticum. Idcirco huic sensui opponunt SS. Patres esse per gratiam, hoc est per beneficium creationis, et conservationis, quæ quia gratis a Deo conceditur, etiam gratia vocatur a Patribus Concilii Africani apud S. Augustinum Epistola 95. *Non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, ut non nihil essemus.... quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.* Nec refert quod concursus conservativus Angeli videatur ipsi naturaliter debitus, si sit natura immortalis ; nam exinde non sequitur eum non posse gratiam appellari, quippe cum sit quid sequens ad creationem quæ fuit gratuito, et sine ullis præcedentibus meritis concessa ; quæ enim ad donum gratuitum sequuntur, gratia etiam interdum nominantur : sic quamvis gloria æterna debeatur ut merces bonis operibus, eam nihilominus gratiam appellat Apostolus ad Rom. cap. 6. — *Secundo*, vocabulo *ex natura*, ut significent naturalem inclinationem, et exigentiam ad semper subsistendum, et nusquam deficiendum ; quo sensu non negant SS. Patres Angelos esse natura sua indefectibiles : siquidem cum sint incorporei, nullumque corruptionis, et defectionis in se principium includant, naturaliter exigunt perpetuo subsistere, ita quod interitus, et defectio ipsis esset omnino contra naturam, sicut igni violenta foret a nativo calore spoliatio, et causis secundis privatio concursus divini ipsis naturaliter debiti ad operandum.

Instabis : Ideo sancti Patres affirmant Angelos esse natura corruptibiles, quia creati fuerunt ex nihilo, et ad nihilum natura sua pro-

pendent : at quod ita ad nihilum vergit, dici nequit esse incorruptibile secundum inclinationem naturalem, nec interitus ipsi potest esse contranaturalis, et violentus, imo conformis est ipsius nativæ propensioni : ergo, etc. — **Distinguo minorem** : quod ad nihilum propendet ex aliquo principio intrinseco, corruptioni, et defectui obnoxio, potestque vel a causis corruptivis destrui, vel desinere per negationem ulterioris concursus Dei agentis secundum exigentiam causarum secundarum, dici nequit intrinsece incorruptibile, concedo : quod solum destrui potest per extraordinariam potentiam Dei utentis suo supremo in creaturas dominio etiam contra earum naturalem ordinem, et exigentiam, ita dici nequit incorruptibile, nego. Fateor itaque quod Angeli natura sua sint in potentia obedientiali ut a Deo possint destrui : at nego quod hæc destructio foret conformis eorum principiis intrinsecis, et eis connaturalis ; adeoque revera semper dicendi sunt natura sua incorruptibiles.

Urgebis 1.: Quod est alicui naturale, infert secum in eo repugnantiam ad oppositum : sed Angelus non habet repugnantiam, ut per extraordinariam Dei potentiam possit deficere, et interire : ergo immortalitas, et indefectibilitas non est ei connaturalis. *Major* constat, quia enim vis calefactiva est igni connaturalis, ideo ignis habet repugnantiam ad non calefaciendum : ergo a pari si immortalitas esset Angelo connaturalis, inferret in eo repugnantiam, ut mori et deficere posset, etiam per extraordinariam Dei potentiam; quæ enim repugnant, etiam divinitus fieri nequeunt. — **Distinguo majorem**: infert repugnantiam ad oppositum, quod accidat rei per causas agentes juxta naturæ ordinem, et exigentiam, concedo : quod accidat via præternaturali, nego; itaque immortalitas, quæ est Angelo connaturalis, infert in eo repugnantiam, ut deficere possit, vel a se, vel per causas extrinsecas naturaliter illius corruptivas : non tamen propterea dicit repugnantiam, ut a Deo præter naturam agente destrui possit, et annihilari. Sicut enim ignis, licet habeat vim calefactivam innatam, tamen potest non calefacere, si nempe Deus cum eo ad calorem producendum non concurrat; ita a simili, poterit Angelus deficere, si Deus eum ultro non conservare statuat, licet aliunde vim innatam ad incorruptionem habeat.

Subsumes: Angeli non habent repugnantiam, ut a Deo annihilentur: sed hæc non repugnantia est vera potentia naturalis, saltem passiva ad non esse: ergo ex natura sua possunt deficere; adeoque non sunt naturaliter indefectibiles. — **Nego minorem** : hæc enim non repugnantia solum infert potentiam obedientialem, qua quælibet creatura subditur Deo, ad hoc ut in ea vel ex ea faciat quidquid contradictionem non implicat. Unde sequitur quod Deus Angelum annihilando non faceret illi violentiam, quia licet tunc ageret contra inclinationem particularem, quam habet Angelus ad semper durandum; non tamen ageret contra inclinationem universalem, quam ut pars Universi habet ad obediendum Creatori : sicut gravia non dicuntur pati violentiam, dum sursum petunt, ut vacuum impediant: quia licet juxta suam particularem inclinationem non agant, subserviunt tamen bono Universi, ad quod magis, quam ad suum particulare commodum, inclinantur.

Urgebis denique: Non repugnantia, seu potentia logica in Angelo, ut producatur, sufficit ut possit naturaliter a Deo creari: ergo eadem non repugnantia ad destructionem sufficiet, ut possit naturaliter annihilari. — **Nego consequentiam**: et ratio disparitatis est, quod Angelus ante productionem non exigebat ex natura sua, ut produceretur, quippe tunc nihil erat: at ubi semel productus est pure spiritualis, ex se postulat, et exigit perpetuo subsistere, et a Deo conservari, quippe cum nullum in se habeat principium corruptionis, et defectionis; qua de causa illius productio fieri potest naturaliter, non ita annihilatio.

QUÆSTIO TERTIA.

AN ET QUOMODO ANGELI AB ANIMA RATIONALI DISTINGUANTUR.

Notandum 1. Nos hic non inquirere, an Angeli hominibus antecellant; certo namque certius est Angelos secundum naturalia hominibus longe esse præstantiores, quippe S. Paulus ipsum etiam Christum Dominum, qua homo est, *Paulo minus ab Angelis minoratum* affirmat, ad Hebræos 1. Unde S. Petrus 2. cap. 2. docet *Angelos virtute, et fortitudine esse majores*, nempe hominibus; nam, ut ait S. Hieronymus eum textum expendens, *Tanta est dignitas Angelorum, ut omnis natura humana illis comparata, puerilia nuncupetur*. Hinc S. Augustinus lib. 9. *De Civit.* c. 13. *Homo medium quoddam est inter pecora, et Angelos, inferior Angelis, superior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem cum Angelis*. Quibus oraculis ipsa etiam ratio theologica suffragatur: tum quia Angeli majorem cum essentia divina habent affinitatem, nullum enim eis est cum materia commercium, suntque omnino simplices, omnimodamque compositionem, et componibilitatem physicam, Dei instar, excludunt; non sic homo qui terrena simul, et cælesti parte constat, anima videlicet immortali, et corpore corruptibili. *Insuper*, ut superiori Quæstione probatum est, Angelus incorruptionem, et perpetuam durationem exigit: homo vero ait Job, *Quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nusquam in eodem statu permanet. Denique* Angeli rerum omnium naturalium notitiam a sua origine habuerunt, nihilque tam abstrusum, et nobis impervium (si futura, et cordium secreta excipias) quod penitissime non conspiciant; inde volunt efficaciter, immobiliter eligunt, et tanta celeritate moventur, ut in momento Cælum, terramque obtineant. At homo prorsus imbellis, stolidus, et rudis, sibi dum vivit semper dissimilis, nec usquam idem vespere, qui mane fuerat. Summa igitur est Angelicæ naturæ supra humanam dignitas, et præstantia. ✻ " Si vero divina beneficia supernaturalis ordinis Angelis et hominibus gratuito a Deo concessa spectemus, citra dubium est " ✻ naturam humanam in pluribus donis gratuitis, et supernaturalibus Angelica esse superiorem. Ista namque ad unionem hypostaticam evecta fuit, et assumpta a Verbo divino, quod, ut loquitur Apostolus ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Unde merito Angelus Joannis Evangelistæ Rector, et Doctor, Apocal. 19. noluit ab eo adorari. *Cave*, inquit, *ne feceris, conservus enim tuus sum*: quod expen-

dens S. Ambrosius ait: *Pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum.* Insuper non Angelis, sed hominibus Sacerdotalem dignitatem Deus contulit, qua auctoritatem habent in triplex Christi corpus videlicet Morale, Mysticum, et Naturale. Habent, inquam, Sacerdotes auctoritatem in corpus Christi morale, nempe animas, quas censuris ligare possunt, et solvere a peccatis. *Secundo*, jurisdictionem obtinent in corpus Christi mysticum, videlicet Ecclesiam, illam enim illustrant, perficiunt, et veluti deificant: idcirco a S. Dionysio in libris *De Eccles. Hier.* Sacerdotes dicuntur *Theurgi*, idest, Deos facientes. *Tertio* denique Sacerdos in Christi verum corpus et naturale imperium tenet. Ipsum namque conficit sacramentaliter, et ad ejus verba præsens alteri sistitur ipsum Dei Verbum, per quod omnia facta sunt *Obediente Deo voci hominis,* ut dicitur Josue 10. Hinc S. Ephrem Sacerdotium appellat *Omnium ornamentorum præstantissimum, bonorum omnium, quæ in hominibus sunt apicem, divinum quoddam; et omnium, quæ inter homines expetuntur velut extremam metam.*

His ita præmissis, solum hic superest discutiendum, an et qua ratione Angeli ab anima rationali ✻ "secundum proprios cujusque naturæ characteres et suam entitatem distinguantur, quod ut evidentius statuatur,

Notandum 2. Theologos omnes (si paucos minoris notæ excipias) in hoc invicem convenire, quod animæ rationales specie distinguantur ab Angelis; idque probat Doctor *in 2, dist. 1, q. 5, num. 2,* hac ratione: *Formæ ejusdem rationis habent eamdem rationem perficiendi vel non perficiendi: sed anima naturaliter est perfectiva corporis ut forma; Angelus autem naturaliter est non perfectio alicujus materiæ: igitur etc.* Quæ vero adversus istam assertionem possunt objici, leviora sunt, et ex dicendis facile dissolventur. At ex quo præcise repetenda sit hæc specifica distinctio, gravis est inter ipsos Theologiæ principes controversia. Etenim Seraphicus Doctor *in 2, dist. 1, parte 2, artic. 3. q. 2.* eam distinctionem repetit ex eo quod anima sit unibilis corpori; angelus vero non sit ita unibilis. S. Thomas *in 2, dist. 3, q. 1, artic. 6, ad. 2.* et alibi sæpe, Henrici Gandavensis vestigiis insistens, hoc discrimen statuit in diversa intellectualitate, seu gradibus intellectionis, vel potentia intelligendi; quod videlicet Angeli potiori virtute intelligendi donentur pleniusque ac præstantius intelligant quam animæ: siquidem, inquit, Angeli apprehendunt dictissime omnia quæ ipsis offeruntur objecta sine ulla inquisitione et discursu; anima vero res certe cognoscit tantum cum discursu; et ideo *rationalis* dicitur, quia de rebus ratiocinatur. Alensis vero noster *1. 2, collatione de substantia, q. 2,* specificam distinctionem Angelos inter et animam rationalem desumit ex majori vel minori gradu intelligendi, qui videlicet in Angelo major est, et minor in anima. Si enim, inquit, diversus gradus sentiendi major vel minor in brutis, sufficiat ad eorum distinctionem specificam; quidni eadem diversitas in vi intellectiva, etiam diversam speciem efficiet? Aliam tamen hujus distinctionis causam venatur, quam infra subjiciemus. Has autem sententias egregie refellit Subtilis Doctor, quartamque longe probabiliorem ipse statuit, quæ ut evidentius pateat" ✻

Notandum 3. Speciem dupliciter spectari posse: *Primo* proprie, pro re, quæ per se, ac directe ponitur sub genere, et quæ de pluribus numero differentibus prædicatur in *quid*, v. g. homo, qui sub genere animalis constituitur, et de singulis hominibus dicitur in *quid*. *Secundo*, sumitur minus proprie, pro re quæ per se non reponitur sub genere, sed in prædicando se habet ad modum speciei; sic materia, et forma, ut seorsim considerantur, sub nullo genere reponuntur, cum sint tantum partes compositi; sed solum ad modum specierum in prædicando se habent, nam materia in universum considerata dicitur de hac, et illa materia; et forma materialis de hac et illa forma; sicque dicuntur species prædicabiles solum, et non subjiciles. ✻ " Nihilominus tamen species illæ secundum entitatem suam metaphysicam spectatæ, et prout constant genere et differentia, cum veram habeant rationem alicujus entis totius metaphysici, possunt etiam sic consideratæ, dici prædicabiles: nam anima rationalis, v. g. licet physice sit pars cum humano corpore concurrens ad hominis constitutionem; attamen metaphysice est quoddam totum constans genere, nimirum, gradu substantiæ spiritualis, in quo cum Angelo convenit; et suo charactere differentiali, per quem ab Angelo essentialiter differt: adeoque sic spectata, prædicatur specifice de hac et illa anima, habetque veram rationem et denominationem speciei prædicabilis. — Advertendum insuper ex Doctore supra laudato, *num. 5*, diversitatem specierum desumendam esse ex differentia essentiali ultimo contrahente genus, cum qua stare possunt alii gradus differentiales superiores, qui generi concipiuntur communes, antequam concipiatur per hanc ultimam differentiam ad speciem contrahi et determinari; ut constat exemplo hominis et equi, nam licet duæ sint distinctæ species invicem pugnantes per rationale et irrationale, attamen facultates sensitivæ, puta nutritiva, visiva etc. sunt in utroque ejusdem speciei, quia tendunt in idem objectum. Facultates enim et potentiæ distinguuntur per operationes, et operationes per objecta, saltem ex parte termini extrinsece specificativi; illæ namque potentiæ sensitivæ non emanant proxime et immediate ab ultima differentia contrahente genus, nimirum gradum sensitivitatis, seu animal, et constituente speciem proxime hominis et equi; sed ex differentia remota contrahente genus superius, nimirum corpus vivens ad substantiam corpoream animatam sensitivam, et constituente eam in esse sensibili. His ita prælibatis, jam resolvenda est proposita quæstio.

Conclusio prima. — Differentia specifica distinguens naturam angelicam ab humana, non est repetenda ex eo quod anima rationalis sit unibilis corpori, angelus vero non ita sit unibilis. Hæc est Doctoris Subtilis sententia loco supra laudato, *num. 2*, eamque sic probat: differentia specifice distinctiva peti debet a gradu primo constitutivo et distinctivo speciei: at unibilitas non est gradus primo constitutivus animæ rationalis a priori " ✻; illa namque unibilitas denotat aptitudinem, quæ essentiam rei præsupponit, et ideo nequit esse primaria ratio distinctionis specificæ, licet a posteriori eam denotet sicut proprietates rerum differentias specificas plerumque indigitant. ✻ " *Confirmat* istam rationem ex eo quod anima (idem esto judicium de

12337

cæteris rebus substantialibus) prius est in se essentialiter constituta, quam dicat ordinem ab aliud cui uniatur; ac proinde habet in se differentiam qua ab aliis rebus distinguatur. Quæ sane Doctoris ratio " ✳ videtur optima, si fiat sermo de unibilitate formali, et prout est respectus aptitudinalis resultans ex natura animæ; secus autem foret si fieret sermo de unibilitate radicali, quia illa unibilitas radicalis est ipsamet differentia essentialis animæ, ex qua sequitur aptitudo ad unionem; sicut e contra non unibilitas radicalis Angeli, consistit in aliquo prædicato essentiali ipsius, ad quod sequitur negatio unibilitatis tam radicalis, quam formalis.

Videtur autem S. Bonaventura de radicali unibilitate locutus, dum eam in primariam rationem specificandi distinctionis animæ ab Angelo assignavit, ait enim: « hoc quod est animam uniri corpori humano, sive « vivificare corpus humanum, non dicit actum accidentalem, nec dicit « actum ignobilem. Non accidentalem, quia ratione illius anima est « forma substantialis: non ignobilem, quia ratione illius anima est no- « bilissima forma omnium, et in ipsa stat appetitus totius naturæ: cor- « pus enim humanum nobilissima complexione, et organizatione, quæ « sit in natura, est organizatum, et complectionatum, ideo non com- « pletur, nec natum est compleri, nisi nobilissima forma, sive natura: « illud ergo, quo anima est unibilis corpori tali, dicit quid essentiale « respiciens, quod est nobilissimum in anima: et ita penes illud recte « sumitur specifica differentia secundum quam differt anima a natura « angelica. » Quibus verbis Seraphicus Doctor videtur loqui de unibilitate radicali, siquidem illam appellat nobilissimam, et essentialem; talis autem non est unibilitas formalis, adeoque de ipsa non est intelligendus, sicque valida, et efficax est ejus ratio, coinciditque cum ratione Doctoris in tertia conclusione proferenda.

Conclusio secunda. — ✳ " ANGELORUM AB ANIMA RATIONALI DISTINCTIO SPECIFICA NON PROVENIT EX EO QUOD HABEANT DIVERSUM MODUM ET VIM DISTINCTAM INTELLIGENDI. Hæc est contra auctores secundæ et tertiæ sententiæ, præsertim vero contra Thomistas qui suam assertionem cum Angelico Doctore hoc potissimum ratiocinio confirmant:" ✳ Formæ intellectuales, quæ sic se habent, quod una in intelligendo discurrit, et alia non discurrit, non sunt ejusdem speciei: sed anima in intelligendo discurrit, Angelus vero minime: ergo non sunt ejusdem speciei. *Confirmatur* a simili, quia anima sensitiva non videtur distingui in brutis, nisi penes diversos gradus sentiendi, et tamen ibi est differentia specifica: igitur debet colligi specifica differentia inter Angelum, et hominem penes diversos intelligendi modos, et gradus, quod videlicet anima in intelligendo discurrit, non vero Angelus.

Hanc rationem impugnat Doctor: tum quia non est *a priori*, nam diversi gradus, et modi intelligendi in anima, et Angelo sunt aliquid posterius ipsorum essentiis: specifica autem entium distinctio petenda est ex naturis. Insuper prius res distinguuntur secundum facultates, et actus primos, quam in ordine ad actus secundos: intelligere cum discursu, et non intelligere cum discursu, sunt actus secundi tantum, qui præsupponunt in Angelo, et anima facultatem, et vim in-

EX LIBRIS PROVINCIÆ PRO STUDIIS THEOL. S. S. CORDIS JESU.

tellectivam diversam: ergo ab eis primario non est desumenda eorum specifica distinctio. Tum quia illa ratio non etiam concludit *a posteriori*, quia inquit Doctor, si discurrere, et non discurrere arguunt diversas naturas intellectuales, cum anima discurrat circa conclusiones, quas infert ex principiis per se notis, non autem discurrat circa eadem principia, sequeretur animam esse a seipsa specie distinctam. Insuper anima beata circa objectum beatificum non discurrit: discurrit autem circa objectum naturaliter cognitum: igitur si a virtute discurrendi, vel non discurrendi colligenda esset specifica distinctio animæ ab Angelo, sequeretur animam beatam a seipsa specie distingui, quippe circa unum objectum discurrit, non ita circa aliud. Nec exemplum allatum in confirmatione quidquam juvat; bruta enim non distinguuntur per varios gradus magis aut minus sentiendi; sed per formales, et specificas differentias, quæ cum nobis ut plurimum ignotæ sint, cogimur eas explicare per diversas earum proprietates, diversosque sentiendi modos. Hic autem proprietates Angelorum ab animabus peculiares non inquirimus, sed essentiales differentias quibus invicem sp cie discrepant, quas contendimus a virtute discurrendi vel non discurrendi nullatenus inferendas.

* " **Conclusio tertia.** — DISTINCTIO SPECIFICA ANGELORUM AB ANIMA RATIONALI NON EST PETENDA AB EORUM MAJORI VEL MINORI INCLINATIONE ET PROPENSIONE AD BONUM. Hæc est contra Alensem qui *quæst. 20. memb. 5.* utriusque naturæ angelicæ et humanæ discrimen repetit ex eo " * quod Angelus sit substantia libera vertibilis immutabiliter, anima vero sit vertibilis mutabiliter. Deus namque (inquit) est essentia libera invertibilis in bonum, et malum: Angelus vero, et anima rationalis est essentia libera vertibilis in utrumque; sed in hoc differunt essentialiter, quia intelligentia angelica ubi vertitur in bonum vel malum, ad id determinatur ex natura sua, et ideirco Angelus malus non est capax pœnitentiæ, quia non est avertibilis a malo: anima vero rationalis vertibilis in bonum, et malum, post suam ad alterutrum conversionem semper remanet libera, et ideo est convertibilis, et pœnitentiæ capax. Verum huic rationi quamquam eximiæ non fidit ipsemet Alensis, subdit enim: *Hoc dicitur sine præjudicio potioris sententiæ: si quis enim in esse theologico potuit convenientiorem differentiam invenire, quiescendum est: cum res hujusmodi sint altissimæ speculationis.* Igitur hæc ratio differentiam specificam Angeli ab anima rationali non melius indicat quam præcedentes; siquidem illa vertibilitas aut invertibilitas, seu mutabilis vel immutabilis, et invariata adhæsio voluntatis alicui objecto vel proposito, sequitur tantum ad operationem intellectus, et voluntatis Angeli, et animæ; adeoque supponit facultates eorum, et essentias diversas: alia igitur inquirenda est ratio *a priori* specificæ distinctionis Angeli ab anima, quam aperiet

* " **Conclusio quarta.** — ANGELUS ET ANIMA RATIONALIS SPECIFICE DIFFERUNT EX PROPRIIS EORUM NATURIS, QUIA NEMPE ANGELUS EST NATURÆ COMPLETÆ, ET ANIMA NATURÆ INCOMPLETÆ. Ita Doctor *loco laudato numero* 4. * " ubi ait: dico quod quia Angelus est talis natura ad se, et anima talis natura ad se, ideo primo distinguuntur

specie: non quidem sicut duæ species, sed sicut species et pars speciei; et tamen ipsa est prima ratio distinguendi suam speciem (cujus pars est) ab Angelo; et ideo prima ratio distinctionis specificæ ex parte speciei suæ, est ipsa. Quasi diceret " * quod habet secundum se speciem, non potest esse ejusdem speciei cum eo quod non habet secundum se speciem, sed est pars speciei: at vero Angelus habet per seipsum speciem, anima autem tantum est pars speciei humanæ, et * " est ratio seu causa formalis cur homo specifice distinguatur ab Angelo: corpus enim humanum est quidem causa materialis hujus distinctionis; at anima est ipsius causa formalis et magis præcipua; cum enim ipsa sit potior pars constitutiva hominis, est pariter potissimum illius distinctiva. " * Ergo impossibile est quod anima sit ejusdem speciei cum Angelo; sed differt ab illo sicut pars speciei a specie. Adeoque primaria ratio eorum distinctionis petenda ex eo quod anima sit natura incompleta, et Angelus natura completa. — *Deinde*, ex eo præcise petenda est distinctio specifica Angelorum ab anima rationali, quo posito, cæteris etiam non intellectis, revera percipiuntur esse diversæ speciei: sed posita ratione naturæ completæ in Angelis, et incompletæ in animabus, sufficienter intelliguntur specie differre, etiamsi non percipiatur unibilitas vel non unibilitas etc.: ergo primaria ratio eorum specificæ distinctionis petenda est a conceptu naturæ completæ vel incompletæ. *Major* constat. *Minor* probatur: sive enim Angelus, et anima concipiantur intuitive, sive abstractive, certum est quod qui deprehendit Angelos esse naturas completas, nullum ad aliud dicentes ordinem cum quo totum aliquod constituant, revera percipiat ipsos specie differre ab anima quæ ex sua natura est incompleta, dicitque habitudinem ad corpus cum quo hominem constituat; etiamsi non apprehendat eos esse discursivos vel non discursivos etc. Ergo primaria ratio distinctionis eorum desumitur a conceptu naturæ completæ vel incompletæ. * " Quod utique confirmatur exemplo ipsorum angelorum, qui, ut conveniunt theologiæ Principes, inter se distinguuntur specie, ac subinde habent distinctas specie facultates et potentias; non possunt enim distingui specie, nisi distinctas habeant proprietates a diversis differentiis specificis promanantes. Non possunt autem assignari quæ proprietates possint uni competere, non vero alteri, nisi ipsi eorum intellectus et modus intelligendi sit specifice distinctus. Quæ enim aliæ facultates in Angelo cogitari possunt quam intellectus et voluntas? Igitur etiamsi intellectus angelici versentur circa idem objectum, nihilominus revera sunt specie distincti; multo magis specie etiam distinguuntur ab humano, minor est enim convenientia intellectus unius Angeli cum humano, quam cum intellectu alterius Angeli. " * — *Denique*, illa dicenda est primaria ratio utriusque distinctionis, ex qua oriuntur proprietates specie distinctæ: sed Angeli, et animæ proprietates diversæ proveniunt ex eo quod anima sit natura incompleta, Angeli vero natura completa: inde enim sequitur quod anima sit unibilis corpori, Angelus vero ipsi non sit unibilis: ergo etc. — * " Itaque substantia spiritualis generice sumpta immediate dividitur in substantiam spiritualem completam ad modum actus substantialis et spiritualis ex integro per se existentis ac subsistentis, et in substantiam spiritualem incompletam ad modum formæ ad alteram compartem, hoc est ad cor-

pus humanum ordinatæ ac proinde non ex integro existentis nec subsistentis. Illa prima species est Angelus; secunda vero est anima. Prima dicitur spiritus completus per modum actus: secunda spiritus incompletus per modum potentiæ; nam illud esse formæ, cum exigat materiam, est veluti quiddam potentiale: unde Angelus dici potest actus in actu, anima vero actus in potentia. Quod utique luculenter significat Doctor verbis supra laudatis, cum ait num. 5: *Angelus est talis natura ad se, et anima talis natura ad se, hoc est talis substantia spiritualis, ideo primo distinguuntur specie, non quidem sicut duæ species, sed sicut species et pars speciei; quia anima non est proprie species, sed pars speciei:* quasi diceret: natura angelica integram efficit speciem, quia est actus completus.

Dices 1: Si hæc ita sint, inde sequitur Doctoris Subtilis hac in re sententiam coincidere cum opinione sancti Bonaventuræ quam ipse impugnat. Quid enim aliud est unibilitas animæ cum corpore nisi illa ratio substantiæ spiritualis incompletæ? Et quid aliud est illa non unibilitas in Angelo nisi ratio entis completi? Idcirco enim anima dicitur unibilis corpori, quia est substantia incompleta et forma ordinabilis ad materiam; et vice versa est substantia incompleta quia est unibilis cum corpore. — **Respondeo** negando hanc illationem: aliud enim est esse substantiam incompletam, et aliud esse unibilem corpori: siquidem ratio substantiæ incompletæ est præcise quid absolutum, et attenditur in ordine ad se; ratio vero unibilitatis est quid relativum, et attenditur penes ordinem ad aliud cui sit unibile. Deinde ratio unibilis sequitur rationem incompleti, supponit enim rem unibilem jam in suo esse constitutam, atque adeo in suo esse distinctam: forma enim prius concipitur habere esse entitativum et secundum se quam concipiatur ordinari ad aliud. Denique ratio non unibilitatis cum sit negatio, non potest esse constitutiva et distinctiva naturæ angelicæ. Igitur nec unibilitas potest esse ratio constitutiva et distinctiva animæ. Cum enim Angelus et anima sunt distinctæ species substantiæ spiritualis, debent habere oppositas differentias et invicem e diametro pugnantes. Accedit quod unibilitas vel est non repugnantia ut anima uniatur alteri, et sic est quid negativum; vel inclinatio ad unionem, et sic supponit rem constitutam. Anima vero non integram speciem constituit, quamvis ipsa sit prima ratio distinctionis specificæ in homine quem cum humano corpore constituit. — Igitur ex mente Doctoris prima ratio distinctionis specificæ inter naturam angelicam et humanam est quia una est substantia spiritualis completa, alia vero incompleta. Cui utique gradui substantiæ spiritualis deinde conveniunt ratio intellectiva et volitiva, seu intellectus et voluntas quæ sunt ipsius substantiæ spiritualis facultates et potentiæ ac veluti proprietates ab ipsa substantia promanantes et de ea prædicabiles *in quale*. Si enim quæratur qualis sit illa substantia spiritualis, apposite respondetur quod sit actus spiritualis substantialis, intellectivus et volitivus." ✻

Dices 2.: Angelus, et anima sunt in natura pares: ergo sunt ejusdem speciei. Consequentia patet; quæ enim specie differunt, diversam habent naturam, adeoque non sunt natura pares. Probatur antecedens ex S. Augustino lib. 3. *De Libero arbitrio*, ubi ait, *animas*

rationales superioribus potestatibus esse officio impares, natura vero pares: ergo etc. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico S. Augustinum dixisse Angelum, et animam esse natura pares, non per respectum ad prædicata quibus constituuntur, sed per ordinem ad beatitudinem in quam ordinantur, tum quia unus plus habet de beatitudine ex natura sua quam alius: tum quia etsi non sint ejusdem perfectionis naturalis, possunt tamen æqualem habere beatitudinem: tum denique quia habent idem objectum beatificum in quo solum quietari possunt, et satiari; adeoque ex natura sua æque ordinantur ad Deum videndum, et amandum.

Dices 3: Operationes, et potentiæ Angeli, et animæ rationalis sunt ejusdem speciei: ergo similiter Angelus, et anima specie non differunt. Sequela patet, potentiæ enim, et operationes consequuntur naturas rerum quarum sunt; operari enim sequitur esse, non solum secundum ordinem existentiæ, sed etiam secundum rationem essentiæ, et entitatis dignitatem. — **Respondet** Doctor *num. 6.* bifariam: *primo* quidem quod si Angelus, et anima considerentur absolute, et secundum proprias naturas, revera specie differunt; non tamen propterea intellectus, et intellectio Angeli specie distingui debent ab intellectu, et intellectione animæ; non enim implicat (inquit) quod aliqua specie differant secundum naturam, non vero secundum potentiam et operationem; siquidem anima bovis, et aquilæ invicem specie differunt, non tamen potentia visiva et visio bovis differt specie a visione et potentia visiva aquilæ dum versantur circa Solem v. g. quia sunt circa idem objectum. Hinc possibile est quod continentia aliqua differant, licet contenta invicem non discrepent; animal enim in homine e bruto idem est, licet brutum et homo specie differant. *Respondet* 2. potentiam intellectivam Angeli et animæ differre specie ex parte fundamenti, non tamen ex parte objecti dum circa idem objectum versantur, sicque actus possunt esse diversi quando proveniunt a naturis, et fundamentis distinctis potentiarum; licet sint ejusdem speciei in quantum dependent ab objectis circa quæ versantur; ideoque intellectio Angeli, et hominis dici possunt ejusdem speciei ex parte objecti, diversæ vero ex parte fundamenti. Cum autem diversitas ex parte fundamenti sit diversitas simpliciter; identitas vero ex parte obiecti non sit identitas simpliciter, sed secundum quid; quæcumque enim differentia sufficit ad distinguendum, sed non quæcumque identitas sufficit ad perfectam identitatem aliquorum: hinc dicendum est quod intellectio Angeli, et hominis, etiam de eodem objecto, et similiter eorum potentiæ intellectivæ specie differant.

Dices 4: Si Angelus, et anima essent diversæ speciei, sequeretur quemlibet Angelum esse perfectiorem qualibet anima, et consequenter quod capacitas cujuscumque Angeli respectu beatitudinis esset major capacitate cujuscumque animæ: sed beatitudo satiat totam capacitatem naturæ: ergo major beatitudo tribui debet majori capacitati: et consequenter beatitudo cujuscumque Angeli esset major beatitudine cujuscumque hominis; quod tamen falsum esse non solum Theologi, sed etiam sancti Patres affirmant. — **Respondet** Doctor concedendo utramque sequelam, et negando subsumptum; nam beatitudo (inquit) non datur cum proportione ad naturam præcipue, sed ad me-

rita; et consequenter non satiat totam capacitatem naturalem animæ aut Angeli, quia possent habere majorem beatitudinem, si nempe haberent ampliora merita, licet æqualem capacitatem naturalem obtinerent. Posset etiam negari consequentia secunda: Angelus enim majorem habere posset perfectionem naturalem, quamvis non haberet majorem capacitatem ad beatitudinem.

ARTICULUS TERTIUS.

DE NUMERO, ET ORDINE ANGELORUM.

Mirabundus ajebat aliquando sapientissimus Sirachi filius Eccli. 1. *Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumerabit?* At certe majori laborare debet inscitia humana mens in definienda ingenti ac stupenda Angelorum multitudine: nam inquit Sapiens c. 9. *Si difficile æstimamus quæ in terra sunt: et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt quis investigabit?* Quoniam tamen cæteris Theologis morem gerentes suscepimus aperiendam Angelorum naturam, multitudinem, ordinem, operationem et excellentiam, ideirco declarata, quantum licuit, ipsorum natura, jam investigandus est eorum numerus, et diversus ordo delineandus. Quocirca tria in præsenti Articulo sunt determinanda: *Primum*, an, et quæ sit ingens Angelorum multitudo: *Secundum*, qualiter invicem differant: *Tertium*, quis, et qualis sit eorum ordo.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CERTO COGNOSCI POSSIT MULTIPLEX ANGELORUM NUMERUS.

Notandum 1. Angelos maximo esse numero, ingentique ac prorsus stupenda multitudine passim in Scripturis doceri; sic Daniel. 7. cap. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei:* Apocalypsis 5. *Audivi vocem Angelorum multorum, et erat numerus eorum millia millium:* et ad Hebræos 12. *Accessistis ad multorum millium Angelorum frequentiam:* constans ergo est veritas ingentem esse, ac maximam Angelorum multitudinem. — Valde autem conveniens fuit creari Angelos maximo numero: *tum* ut Deus liberalissime perfectioribus creaturis sese communicaret: *tum* etiam ut omnipotentiam suam magis ostenderet, tot simul spiritus, tamque nobiles unico instanti creando: quod utique animadvertens S. Chrys. hom. 2. *De Incompre.* ait: *Decies sunt millia myriadum Angelorum supra, et decies centena millia Archangelorum: Item Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates, et infiniti populi corpore carentium Virtutum, ac gentes innumerabiles; et tamen has omnes Virtutes tanta facilitate condidit, quantam sermo nullus assequi potest.* Accedit alia ratio congruentissima, quod Principem summum ac potentissimum Imperatorem deceat habere numerosissimam familiam, et copiosum exercitum; nam Prov. 14. *In multitudine populi gloria Regis, et in paucitate plebis ignominia Principis:* sed Deus est Rex maximus,

nempe *Rex Regum, et Dominus Dominantium*, Apoc.: decuit ergo ipsum plurimos habere sibi assistentes Angelos.

Notandum 2. Dupliciter inquiri posse quantus sit numerus Angelorum: *Primo* absolute, et præcise: *Secundo* comparative, puta sitne major tota multitudine hominum, vel etiam omnium substantiarum corporearum. Certum est autem Angelorum numerum non posse absolute, et præcise a nobis designari. Scriptura enim verbis supra relatis cum certum ponit numerum Angelorum, non loquitur de omnibus, bonis æque ac malis, et determinatum numerum ponit pro indeterminato, ut Interpretes et sancti Patres ibidem agnoscunt: alia vero traditio certa nulla profertur: imo ipsimet sancti Patres fatentur numerum illum præcise nobis esse ignotum, et ita ingentem, ut respectu nostri innumerabilis, et infinitus dici possit, ut infra patebit: restat ergo investigandum, an sciri possit determinatus Angelorum numerus ex facta comparatione, tum cum hominibus tum cum cæteris entibus creatis.

Notandum 3. Circa hanc determinationem, variam et multiplicem esse Auctorum sententiam. Sunt enim qui putant Angelos esse numero infinitos: volunt aliqui eos esse plures omnibus creaturis corporeis, tam in specie, quam in individuo consideratis. Refert etiam Auctor quæstionum ad Antiochum, (quæ inter Athanasii opera extant) quosdam existimare Angelos ita haberi ad homines, ut nonaginta novem ad unum, ex parabola *centum ovium:* alios sic ut novem ad unum, secundum alteram parabolam *Drachmarum decem;* alios denique æquali ambos esse numero putant. Sunt etiam qui electos ad æternam felicitatem homines totidem fore censent, quot Angeli prolapsi sunt. Quid autem in tam multiplici, et ancipiti sententia verius nobis appareat, ut distincte aperiamus, tria sunt in hac Quæstione determinanda: *Primum*, an Angelorum numerus revera sit infinitus: *Secundum*, an plures sint Angeli quam res omnes corporeæ, tam in specie, quam in individuo consideratæ: *Tertium* denique, an saltem numerum hominum excedant.

Conclusio prima. — Angeli non sunt numero infiniti. Hæc est communis apud Theologos, eamque egregie probat Guillelmus Parisiensis *par.* 2. *secundæ partis de Universo cap.* 17., ex eo quod rerum creatarum numerus necessario sit determinatus ac limitatus. « *Primo* quidem (inquit) ipsa determinatio adeo essentialis est « numero, ut omni additione, vel diminutione nova ipsius species « constituatur. Verbi gratia, si ternario unitatem addideris, alius nu« merus quam sit ternarius, et alterius speciei constituitur, videlicet « quaternarius: si vero ei unitatem detraxeris, alius numerus, et al« terius speciei, ex eo relinquitur, videlicet binarius. Hæc igitur de« terminatio, quam essentialem dixi, prohibet omnem numerum reci« pere magis et minus, et majoritatem et minoritatem. *Secundo*, hæc « determinatio constituit unumquodque numerorum in sua specie. « Quapropter ubi determinatio mutatur, et species numeri cujuscum« que mutatur, idest, alia est a priori: quia igitur necesse est unum« quemque numerorum in aliqua specie numeri, vel sub aliqua esse, « utpote individuum: necesse est unumquemque numerorum determi-

« natum esse, et limitatum, et esse binarium vel ternarium vel ali-
« quem aliorum determinatorum : quapropter impossibile est modis om-
« nibus esse numerum aliquem infinitum. *Tertio*, si esset numerus hu-
« jusmodi substantiarum infinitus, cum esset numerus, esset ex ne-
« cessitate vel par, vel impar : quod si esset par, haberet medietatem,
« quæ vel esset finita, vel infinita : si finita, totus numerus igitur es-
« set finitus, cum esset aggregatus ex partibus finitis : si infinita esset,
« non esset minor toto suo, quoniam non esset reperire numerum vel
« etiam cogitare, qui excederetur a toto suo. *Quarto*, omne quod re-
« cipit additionem super se est finitum, et terminatum additione hu-
« jusmodi, cum totum sit citra eam, et nihil omnino habens ultra.
« Quia igitur numerus omnis recipit additionem unitionis supra se,
« vel etiam numeri alterius speciei, necesse est omnem numerum fi-
« nitum esse. Quare impossibile est hunc numerum esse infinitum.
« *Quinto*, necesse est omnem numerum, et omnem mensuram genere
« esse quantitatem, quantitas autem est omne faciens quantum, et
« numerus est faciens quot : totus igitur cœtus hujusmodi substantia-
« rum, et numero quantus est et numero quot, idest aliquot ; que-
« madmodum non est aliquis, de quo non est assignare vel respon-
« dere *quis*, neque *qualis*, neque *aliqualis*, de quo non est assignare,
« et respondere interroganti *qualis*. Quia igitur non potes assignare
« vel respondere de toto cœtu sive de universitate substantiarum de
« quibus agitur, quantus est vel quanta est numero, vel quot est ;
« manifestum est non esse numerum aliquem hujusmodi substantia-
« rum : non est igitur numerus infinitus. *Sexto* Creator omnia forma-
« vit in pondere, numero, et mensura : quæ autem in numero sunt,
« numerabilia sunt, et quæ numerabilia sunt, in aliquo numero de-
« terminato sunt ; neque enim intelligibile est aliqua esse in numero,
« et esse innumerabilia ». Cum igitur numerus infinitus repugnet, etiam repugnat res creatas esse numero infinitas. Adde quod Angelorum infinita multitudo nec ex Scriptura sacra, nec ex SS. Patribus, aut aliqua ratione suaderi queat.

Dices 1: Job cap. 25. ait: *numquid est numerus militum ejus?* Ac si diceret: non est numerus militum ejus, nempe Angelorum, quos ideirco Dei milites appellat, quia pro Dei gloria hominumque salute adversus Dæmones pugnant ab eo tempore quo factum est prælium magnum in cœlo a fidelibus Angelis contra perduelles : ergo cum Angelorum numerus non sit determinatus, necessario censeri debet infinitus. — Distinguo antec. : Angelorum numerus non est determinatus respectu nostri, concedo : respectu Dei, nego ; nam, inquit S. Gregor. Magnus in prætatum textum Jobi, *In cognitione humanæ rationis supernorum spirituum numerus non est, quia quanta sit illa frequentia invisibilis exercitus nescit.* : et lib. 27. *Moral.* cap. 9. conferens prætatum textum Danielis, cum hoc supradicto addit: *Supernorum civium numerus infinitus est, et definitus est, et exprimitur : ut qui Deo numerabilis est, esse hominibus innumerabilis demonstretur.* Fateor itaque illum ingentem Angelorum numerum a solo Deo determinate posse cognosci, et ideirco nobis quasi infinitum apparere, uti etiam non raro a SS. Patribus nominatur ; quamquam revera in se sit determinatus ac finitus.

* " Dices 2: Plurimi ex sacris Doctoribus existimant Angelorum numerum esse infinitum, nec ullatenus ab hominibus viatoribus posse deprehendi. Ita præ cæteris Origenes lib. 1. *De Principiis*, cap. 5, ubi expendens hunc Apostoli textum ad Ephesios 1, vers. 21: *super omne nomen quod nominatur non solum in sæculo hoc, verum etiam in futuro*, postquam commemorasset ab Apostolo declaratos Angelorum ordines, addit: *Ex hoc ridelicet*, inquit, *ostendit esse quædam præter hæc quæ commemoravit, quæ commemorantur quidem in hoc sæculo, non tamen ab ipso enumerata fuerint, forte nec ab alio aliqua intellecta: esse vero alia quæ in hoc sæculo quidem non nominentur, tamen nominabuntur.* Nec unus id sibi persuasit Origenes præter eos Angelorum ordines qui nominantur in Scriptura, alios esse numero infinitos, et hominibus ignotos. Scripsit siquidem Chrysostomus homil. 4 *De Incompr.*: *Sunt enim, sunt et aliæ virtutes, quarum ne nomina quidem scimus.* Quod paulo post ex supra memorato Pauli ad Ephesios loco se colligere profitetur, atque idipsum iterat *Orat. 5 contra Anomœos*, et *Homil. 3. in epist. ad Eph.* Assentiuntur Chrysostomo Theodoretus in eumdem ejus epistolæ locum et Œcumenius et Theophylactus. — **Respondeo**, præfatos scriptores in ea quidem fuisse sententia quod existimaverint alios esse Angelorum ordines præter eos qui in Scriptura sacra declarantur, quod nondum satis liquido constaret, uti jam constat apud Theologos Angelorum series et distributio in tres hierarchias et novem ordines, tametsi vero censuerint longe plures esse Angelos quam sint ii quorum characteres, officia et nomina nobis innotescunt. Inde tamen colligere non licet eos existimasse Angelos esse numero infinitos; aliud enim est asserere numerum aliquem rerum esse ingentem et maximum quam qui possit a mortalibus deprehendi, aliud vero quod ille sit infinitus ". *

Dices 3: Si finitus esset Angelorum numerus, maxime quia limitatus, et determinatus fuisset vel ex parte Dei creatoris, vel ex parte Angeli creabilis, vel ex utroque: at ex neutra parte videtur necessario Angelos produci debuisse in certo ac determinato numero. Non quidem ex parte Creatoris; id enim proveniret vel quia non potuit, vel quia noluit Angelos infinito numero producere: at neutrum recte videtur asserendum; « nullus enim (ait Guillelmus supra laudatus) adeo « imbecillis, et brevis intellectus fuit, qui de virtute et potentia Creatoris cogitaverit, quin ipsa sit in ultimitate tam amplitudinis, quam « fortitudinis, quam libertatis; et propter ultimitatem fortitudinis incogibilis, ad id quod non vult, et improhibilis ab eo quod vult, simi« liter infatigabilis, et indefectibilis. Ipsa etiam coarctatio seu deter« minatio non provenit ex parte bonitatis ipsius; cum enim æque fa« cilis fuerit ei creatio multarum, ut paucarum hujusmodi substan« tiarum, et infinitarum ut finitarum, quis hunc finem imposuit Crea« tori? quis eum sic limitavit, et stare fecit in numero finito? quis « cum prohibuit in infinitum extendi? quis vel modicæ largitatis, si « eadem facilitate posset dare magna, qua parva, et multa, qua pauca, « et infinita, qua finita, præsertim cum laudabiliter omnia dare pos« sit, restringeret se et arctaret ad bona finita? Quanto fortius igi« tur largitas Creatoris dare non potuit in numero aliquo vel etiam « quantitate donabilium? Non etiam illa limitatio, et determinatio re-

« peti potest ex parte Angelorum, cum inter eos nulla esset contra-
« rietas aut adversatio qua sese invicem ullatenus impedirent. Non
« enim apud eos est, quemadmodum apud substantias corporeas, loci
« angustatio, qua fit ut sese invicem expellant. — **Respondet** idem
Guillelmus, id equidem provenire non ex parte Creatoris, sed crea-
turæ, « quemadmodum (inquit) non defuit Creatori virtus sive poten-
« tia, ut mundum infinitum creare posset, sed mundo defuit potentia,
« cujus defectu infinitus creari non potuit; defuit enim ei receptibi-
« litas infinitæ magnitudinis. Corpus enim aliquod non potest esse in-
« finitæ magnitudinis, igitur mundus corporeus ut corpus esset, vel
« aggregatum ex corporalibus, necesse habebat esse finitus. Non igitur
« fuit arctata divina potentia, ut majorem ei magnitudinem præstare
« non posset. Sed cum videret eum non posse recipere infinitam, pro-
« vidit ei finitam naturæ suæ congruentissimam, quæ omnia alia cor-
« pora capere sufficeret, et inter se continere. Sic etiam providit om-
« nibus aliis corporeis naturis suis congruentissimas quantitates. Non
« enim sine causa formicam minorem esse voluit Elephante, et mu-
« scam tam longe a magnitudine gruis vel aquilæ. Si tamen multi-
« tudo infinita esse non possit, ex parte multidinis fuit ista finitio:
« quapropter stetit largitas et bonitas Creatoris in numero determi-
« nato, quoniam indeterminatus esse non poterat seu infinitus ».

Conclusio secunda. — ANGELI NUMERO PLURES SUNT QUAM SPECIES CORPOREÆ, ET PRÆSTANTIORUM SPECIERUM INDIVIDUA: NON VIDENTUR AUTEM TOT ESSE QUOT INDIVIDUA SPECIERUM CORPOREARUM MINUS NOBILIUM. Hæc videtur esse probabilior quantum ad utramque partem.

Primam indicat sanctus Dionysius cap. 14. *De Cœlesti Hierarchia* ubi ait: *Multi sunt beati cœlestium mentium exercitus, qui infirmum et contractum numerorum corporeorum quibus utimur modum superant, et transeunt, atque scienter definiuntur a sola earum summa, cœlestique intelligentia, ac scientia, quæ eis abundantissime concedituri a Divinitate, et infinitæ cognitionis causa, quæ simul universarum rerum modo naturam superante principium est, et causa deficiens essentiæ, et vis continens, et complectens determinatio.* Additque ibidem Dionysius Scripturam numerum Angelorum maximis numeris in se replicatis, et Myriadum Myriadibus explicare solere. Subscribit Æneas Gazæus tomo 2. biblioth. Græc. cujus in Theophrasto verba sunt ejusmodi: *Atqui intelligibilibus virtutibus plenum est cœlum universum, plena sunt terra, mare, et quæ sub terra sunt omnia, et quod quidam e nostris Sapientibus dixit, nihil est vacuum, ne tantillum quidem ut vel arista, et pilus immitti possit. Adeo ut etsi velit Deus ad decem annorum millia hominum propagare vitam, non tamen æquales numero futuras putem hominum animas, Angelorum, dæmonumque multitudini.*

Probatur etiam ratione theologica: quia cum perfectio Universi fuerit a Deo præcipue intenta in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu fuerunt creata. Quare sicut Deus corpora cælestia incorruptibilia, et perfectiora sublunaribus in eo modo essendi condidit, ut essent in mole infinities pene majori,

quam sublunaria, sic Angelos incorruptibiliter creavit longe majori quantitate: non quidem continua, sed discreta, idest majori numero, quam cætera omnia ipsis inferiora.

Secunda pars etiam constat; quis enim in animum inducet Angelos esse plures omnibus arenis maris, atomis aeris, olerum, et arborum foliis, culicibus, muscis, formicis, et omnibus fluviorum, marisque piscibus, necnon omnibus granis tritici, hordei, et omnium leguminum, quorum ingens numerus prope in infinitum vergit?

Conclusio tertia. — PROBABILIUS EST NUMERUM ANGELORUM EXCEDERE MULTITUDINEM HOMINUM, QUI SUNT, FUERUNT, ET EXTITURI SUNT.

Probatur primo ex illa parabola boni Pastoris, qui relictis nonaginta novem ovibus, quæsitum abit unam deperditam, et inventam humeris reportat, ut legimus Lucæ 15.; nam ovis illa unica, humana dicitur esse natura: Angeli vero undecentenæ reliquæ. Sic S. Hilarius in Matthæum: *Ovis* (inquit) *una, homo intelligendus est, et sub homine uno, universitas sentienda est: sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit: ergo nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum cælestium opinanda est, quibus in Cœlo est lætitia, et cura salutis humanæ.* Subscribit S. Amb. lib. 7. ad cap. 15. Lucæ; *Dives igitur pastor* (inquit) *cujus omnes nos centesima portio sumus, habet Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit, qui quoniam sunt rationabiles, non immerito hominum redemptione lætantur.* — Cyrillus quoque Hierosolymitanus cath. 15. non solum ex illa parabola idem colligit, sed hoc insuper argumento utitur, quod ex loci magnitudine, incolarum multitudo æstimari debeat: est autem universa terra puncti instar in unius cæli medio, in quo Angeli demorantur: *Nam pro locorum magnitudine* (inquit) *hominum incolatus cogitandus est, quod si hæc terra nostra est tamquam centrum in medio cæli, et tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit, et cæli cælorum? Immensam certe habent multitudinem.*

Suffragatur etiam alia ratio petita ex communi sententia Theologorum affirmantium singulis hominibus a Deo deputari custodem Angelum ex infimo ordine; ita quod unusquisque hominum qui fuerunt a mundi primordio, et ad finem sunt extituri, peculiarem suum habuerit, aut habiturus sit Angelum; imo legimus in *Revelationibus S. Brigittæ lib. 1. cap. 11.* tot esse in illo infimo ordine S. Angelos, ut ex illo plusquam decem singulis hominibus in custodiam deputari possent. Cum autem plures sint in superioribus ordinibus Angeli, haud dubium est eos omnes longe numerum hominum excedere.

DICES: Homines salvandi tot sunt, quot Angeli mali, quia tot erunt beati homines quot ceciderunt Angeli, ruinam eorum ex pari numero reparaturi: sed constat quod tertia pars Angelorum cecidit, quando Draco tertiam partem stellarum traxit, Apoc. 12. homines vero, qui beatitudine donabuntur non sunt tertia pars hominum, siquidem *Multi sunt vocati, pauci vero electi:* ergo videntur esse plures homines, quam Angeli; siquidem homines damnandi longe plures sunt, quam sal-

vandi, qui tertiam Angelorum partem exæquabunt. — **Respondeo primo**, falsum esse homines tantum ex accidenti ruinæ Angelorum, et non per se fuisse saluti destinatos; ideoque totidem præcise salvandos. — *Secundo* incertum est, an illæ Angelorum sedes sint per homines tantum in eodem numero, et secundum eamdem proportionem instaurandæ. *Fortasse enim* (inquit S. Augustinus in Enchiridio c. 29.) *civitas illa cœlestis, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit. Quia non scimus quantus sit vel salvandorum hominum, vel malorum Angelorum numerus.* — *Tertio* denique dico incertum esse, an Lucifer tertiam partem Angelorum præcise traxerit: nam Apoc. 12. numerus certus ponitur pro incerto. Et sensus litteralis est de Antichristo inducturo in errorem, et perniciem magnam partem fidelium etiam doctiorum, et præstantiorum, qui stellarum instar in firmamento Ecclesiæ fulgent, ut docent Interpretes capitis citati, maxime Richardus l. 4. in Apoc., noster Liranus in eumdem locum, et plurimi Recentiores post ipsos.

Dices 2: Tot sunt homines, quot Angeli: ergo Angeli hominum multitudinem non excedunt. Probatur antecedens ex illo Deuteronomii 32. *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*, ut legunt septuaginta Interpretes: nam pro eo quod est in Vulgata *Juxta numerum filiorum Israel* legunt *filiorum Dei*, quibus Angeli possunt intelligi, ita quod Deus constituerit numerum multiplicationis hominum juxta numerum Angelorum. — **Respondeo** lectionem Vulgatam esse præferendam, ut colligitur ex Hebræo septuaginta interpretum, ut testantur Origenes, et alii. Sensusque est Deum cum Babylonæ linguas confunderet, et in varias terræ partes homines dispergeret; jam tunc terram Chanaam filiis Israel destinasse in sufficientem et commodam habitationem: tum etiam quia licet proprie legatur. *juxta numerum filiorum Dei:* inde solum colligunt antiqui Patres humana Regna, et Imperia divina esse juxta numerum Angelorum, qui ad illorum custodiam deputati sunt, ut exponit Theodoretus Orat. 10. in Danielem circa verba illa; *Princeps regni Persarum restitit mihi, etc.* Et juxta eumdem sensum dixit Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. parum a principio: *Sunt jussu divino, et antiquo per Gentes distributi Angeli.*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN INTER ANGELOS PLURES SINT SPECIE, ET SOLO NUMERO DISTINCTI.

Notandum 1. Ex Doctore Subtili duplicem in re qualibet creata reperiri differentiam, nempe specificam, et individualem. *Prima* est inter illa, quæ differunt essentialiter, ut inter hominem, et equum, et hujusmodi differentia solum invenitur inter species distinctas, vel individua diversarum specierum: etiam inter ea, quæ nec specie, nec genere proximo conveniunt, ut inter hominem, et albedinem. *Secunda* est inter duo individua, ut inter duos homines, vel inter duos lapides, et universaliter inter ea, quæ conveniunt inter se specie specialissima, quæque plurificantur per differentias individuales. A quo autem sit petenda hæc differentia numeralis, varie invicem dissentiunt Auctores, ut constat ex nostra Logica *q.* 3. *De differentia individuali:*

quidam enim eam repetunt ab existentia rei : aliqui, cum S. Thoma, ex materia sive affecta quantitate et aliis accidentibus, sive tantum secundum se considerata ; alii aliter sentiunt; Doctor vero Subtilis in 2. *distinct.* 3. docet eam differentiam esse aliquam entitatem positivam, sed indistinctam formaliter a natura, quæ individuatur.

Notandum 2. Quod etsi Angelus non sit physice compositus ex materia et forma, nec ex partibus quantitativis ; tamen revera compositus est metaphysice ex actu et potentia, sive ex genere et differentia, sive ex natura et supposito. Nulla enim præter naturam divinam est substantia, quæ sit purus actus ; hoc namque sóli Deo convenit ex summa illius singularitate, et necessitate essendi, cum ipsum constituant in ultima actualitate, et unitate : inde essentia divina non est determinabilis, nec contrahibilis ad plura individua, quemadmodum naturæ specificæ in rebus creatis ; hinc implicat eam concipi, ut indifferentem ad plures Deos. An autem natura Angelica ita etiam sit singularis, ut non possit multiplicari in varia individua, controvertitur apud Theologos.

Notandum 3. Circa præsentem Quæstionem tres esse Theologorum sententias. *Prima* est S. Thomæ quæst. 50. art. 4. et in q. de spiritualibus creaturis art. 8., Cajetani de ente, et essentia c. 5. q. 9. et aliorum affirmantium omnes Angelos differre specie inter se : esseque impossibile dari plures Angelos solo numero diversos. Impossibile, inquam, vel absolute et simpliciter, ut sentiunt Cajetanus, et alii per eum citati, vel de potentia ordinaria, quod videtur sentire S. Thomas Opusculo 16. *Secunda* priori contraria, vult omnes differre solo numero. *Tertia* sententia, et media inter præcedentes, affirmat Angelos partim specie, partim numero solo differre.

Conclusio prima. — Admittenda est distinctio specifica inter Angelos.

Probatur primo ex S. Dionysio c. 5. *De Cœlesti Hierarchia*, ubi ait: *Enuntiant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes.* Differentia autem gradualis ad minus significat diversitatem specificam : nam plura individua solo numero differentia, non differunt inter se diversis gradibus, seu graduum celsitudine : ergo ex S. Dionysio inter Angelos potest esse distinctio specifica.

Conclusionem probat Alensis in 2. *Quæst.* 20. *membr.* 6. « Angeli « de suprema Hierarchia plus differunt respectu eorum, qui sunt in « infima, quam ab eis, qui sunt in suprema Hierarchia: sed illi, qui « sunt in eadem Hierarchia, vel specie sunt idem, vel idem genere, « et differunt specie; ergo Angeli, qui sunt in superiori Hierarchia, cum « plus differant ab his, qui sunt in infima, differunt specie. Item qui « sunt in ordine Seraphico, plus conveniunt inter se, quam conve- « niant cum illis, qui sunt de ordine Cherubim, aut Thronorum : ergo « cum illi, qui sunt de ordine Seraphim inter se conveniant in spe- « cie, et differant secundum numerum, vel conveniant secundum ge- « nus, et differant specie ; ita illi qui sunt de ordine Seraphim diffe- « runt ab his qui sunt de ordine Cherubim. Præterea ordines distin-

« guuntur secundum officia ; officia autem sunt differentia genere, vel « specie : ergo et Angeli ».

Probatur insuper : id maxime asserendum est Deum constituisse, quod magis cedit in ipsius divinæ potentiæ, ac sapientiæ commendationem, et Universi pulchritudinem, quodque ex natura sua non repugnat : sed plures Angelos esse specie distinctos, nullatenus repugnat, idque maxime vergit in Dei commendationem, et Universi ornatum, ergo etc. Probatur *minor* quantum ad primam partem, nempe quod non repugnet; etenim illa repugnantia repetenda esset, vel ex parte Dei, vel ex parte Angeli: at ex parte Dei nulla potest excogitari: siquidem Deus est infinitus in ratione substantiæ spiritualis, quemadmodum in omni alia perfectione : ergo in tali ratione est infinita varietate participabilis et imitabilis; adeoque conveniens est ut a pluribus speciebus substantiæ spiritualis participetur : adde quod incredibile videtur tantam specierum varietatem, et multitudinem in rebus corporeis creari potuisse, in gradu vero spiritali completo, unicam tantum. Non etiam repugnat ex parte Angelorum ; hæc enim repugnantia, si quæ esset, repetenda foret ex eo quod non possit explicari quænam esset illa diversitas specifica unius Angeli ab altero: sed hæc ratio nulla est, possunt enim facile concipi habere differentias specificas, quibus invicem distinguuntur : sicut enim differunt plusquam specifice, tum a Deo, tum ab anima rationali, utpote qui a Deo superantur perfectione substantiali intellectiva plusquam specifice, ipsique animas rationales excedunt, etiam quatenus spirituales et intellectivæ sunt ; sic alii alios excedere possunt specifice in gradu intellectuali completo, et consequenter in operatione, ita ut plura simul, et nobilius, perfectiusque intelligant : unde etiam species, sive intusas, sive acquisitas habeant ampliores, et consequenter majori polleant volendi et operandi facultate. Quod utique firmatur ex eo quod Theologi passim cum S. Damasceno lib. 2. *De Fide* c. 3. docent, Angelos accepisse gratiam proportionate ad sua naturalia, quatenus scilicet juxta naturarum differentiam, gratias Deus ampliores, aut minores ipsis contulerit. Id etiam maxime conducit ad Universi pulchritudinem, quemadmodum enim specierum corporalium diversitas mundum visibilem et sensibilem mirum in modum exornat ; sic substantiarum spiritualium varietas mundum spiritualem et intellectualem illustrat.

Dices 1 : Plurimi S. Patres affirmant Angelos esse ejusdem naturæ, et speciei : sic Athanasius vel quisquis est Auctor quæstionum ad Antiochum q. 3. affirmat eamdem esse Angelorum, et dæmonum essentiam, sicut et hominum : at homines specie non differunt : ergo nec Angeli. Subscribunt Damascenus lib. *De Decretis* cap. 1. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 21. Et Basilius lib. 3. *Contra Eunomium*, dicens, *Prioritatem in Personis non impedire unitatem essentiæ : Angeli enim priores sunt alii aliis, et tamen sunt ejusdem essentiæ.* — **Respondeo**, SS. Patres nomine essentiæ, naturæ, vel speciei, intelligere gradum speciei subalternæ, nempe spiritualitatem et intellectualitatem, in quibus omnes Angeli univoce conveniunt; qua ratione omnes creaturæ corporeæ dici possunt ejusdem naturæ, habent quippe rationem corporis, et materiæ communem.

Dices 2: Omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei : ergo etiam

et omnes Angeli. Consequentia videtur optima a paritate rationis; sicut enim animæ rationales in gradu rationalitatis, ita et omnes Angeli in gradu pure spiritualitatis, et intellectualitatis conveniunt. — **Nego paritatem**, et ratio disparitatis hæc proferri potest, quod animæ rationales cum sint formæ natura sua ordinatæ ad informandum corpus, ut cum eo constituant hominem, qui ex se mortalis est; ideirco, ne Universum unius, aut alterius hominis interitu, privaretur tota aliqua specie, vel pluribus, debuit tota hominum multitudo esse unius, et ejusdem speciei. Non sic autem est de Angelis, cum enim unusquisque ex natura sua sit incorruptibilis, nec ad sui conservationem indigeat multiplicatione, aut aliqua propagatione individuorum in sua specie infima, hinc est, quod Angeli potuerunt esse diversæ speciei.

Dices 3: Tota distinctio, quæ inter Angelos statuitur, nobis tantum apparet, vel ex donis ipsis a Deo concessis; vel ex officiis, ad quæ deputantur: sed hæc subsistere possunt in Angelis ejusdem naturæ, et speciei: ergo nulla inter eos videtur esse specifica distinctio. — **Respondeo**, equidem Angelorum distinctionem ex illis assignatis capitibus apparere, et colligi *a posteriori*, et quasi per quemdam locum extrinsecum: at vero longe melius nobis insinuatur illa Angelorum specifica diversitas, ex illis rationibus superius a nobis designatis.

Conclusio secunda. — Probabilius est Angelos plures esse ejusdem speciei, et solo numero differentes. Hæc est Doctoris, et omnium pene Theologorum, paucis demptis Thomistis, qui contrarium cum Cajetano propugnant. Eam prius docuerat Seraphicus Doctor in *dist.* 3. *prima parte distinctionis*, *art.* 2. *quæst.* 1. ubi ait: « quidam dixerunt, quod in Angelis est discretio personalis, sed num- « quam pure, imo sunt tot species, quot individua, similiter dicunt « in luminaribus. Sed licet hoc probabilitatem habeat in corporibus « cælestibus, non tamen videtur rationabile in spiritibus, ut nullus « communicet cum alio in natura spirituali, et specifica: sicut enim « innotescit per Scripturam, multi Angeli ad idem officium ordinan- « tur, et communem videntur habere operationem eamdem: non autem « per Scripturam, nec per dicta Sanctorum, nec per officia innotescit « tanta diversitas: ideo non videtur nisi præsumptio hoc dicere, ma- « xime cum non appareat in promptu aliqua ratio cogens. Alia est « positio sobria et catholica, quæ in Angelis distinctionem ponit « quantum ad personalitatem tantummodo, aut in omnibus, aut in « aliquibus ». Subscribit etiam S. Thomas *Opusc.* 16. *De unitate intellectus contra Averroistas,* ubi ait: « Sic ergo intellectus, si natura- « liter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam mul- « tiplicationis, posset tamen sortiri multiplicitatem ex supernaturali « causa, nec esset implicatio contradictionis: quod non tantum dici- « mus propter propositum, sed magis ne hæc argumentandi forma ad « alia extendatur: sic enim possent concludere, quod Deus non potest « facere, quod mortui resurgant, et quod cæci ad visum reparentur ».

Nec valet reponere cum Goneto, intentum Angelici Doctoris in prædicto loco, esse tantum, quod non repugnet intellectualem naturam, ex eo quod intellectualis est, multiplicari, dummodo dicat ordi-

nem ad materiam: de Angelis autem, inquit, nihil ibi tractat, quia repugnantia multiplicationis eorum non oritur ex natura intellectuali, ex eo quod immaterialis, et incorporea est, sed ex eo quod omnino separata, et irreceptibilis sit, ita quod nec materiam includat, nec ordinem dicat ad illam. Hæc, inquam, replica nulla est: siquidem Angelicus Doctor absolute pronuntiat, quod si intellectualis substantia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa. Hoc est, etsi non diceret ordinem ad materiam, quæ in ejus mente est causa naturalis individuationis, posset tamen virtute supernaturali multiplicari numero, quia id contradictionem non implicat: quidquid autem contradictionem non implicat, fieri potest a Deo. Adde quod anno 1325. a sacra Facultate Parisiensi, agente Stephano Episcopo, proscripti sunt, et damnati sequentes articuli 1. *Quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei:* 2. *Deus non potest multiplicare individua sub una specie, sine materia.* 3. *Formæ non recipiunt divisionem, nisi secundum materiam.* Et merito quidem prætati tres Articuli fuerunt proscripti: non est enim denegandum aliquid divinæ potentiæ, quod manifestam contradictionem non involvit; quia *non est impossibile apud Deum omne verbum.* Quamvis autem plene, et evidenter non percipiamus quomodo distinguerentur illi duo Angeli intra eamdem speciem; nihilominus plura novit Deus facere, quam nos intelligere; nam Philosophi reputant, quod a privatione perfecta et consummata ad habitum non est possibilis regressus; at Deus nos docuit mortuos posse resurgere, et cæcos ad visum reparari. Philosophi etiam impossibile reputant accidens posse esse sine subjecto, et quod Deus fieret homo, quod pateretur etc.; attamen philosophis licet reclamantibus, hæc omnia postmodum Deus opere complevit.

Probat conclusionem Doctor Subtilis *loco laudato numero* 3.: Nulli speciei infimæ repugnat communicari posse pluribus: ergo nec repugnabit habere sub se plura interiora solo numero distincta; subindeque poterit Deus plures Angelos numerice distinctos sub eadem specie atoma producere. Consequentia patet: probatur antecedens: si alicui speciei infimæ repugnaret communicari pluribus, vel hæc repugnantia proveniret ex perfectione, vel ex imperfectione talis speciei: non ex perfectione, quia communicabilitas convenit naturæ sive quidditati divinæ, quæ tamen est summe perfecta: non etiam ex imperfectione, quia communicari pluribus, convenit speciebus infimis substantiæ corporeæ, quæ tamen sunt imperfectiores speciebus infimis naturæ angelicæ: ergo nulli speciei infimæ pluribus communicari repugnat; adeoque nec angelicæ repugnabit.

Huic rationi ut respondeant Recentiores Thomistæ observant cum Cajetano *Opusculo de ente, et essentia cap.* 5. *quæst.* 9. triplicem esse speciei infimæ sive quidditatis communicabilitatem. *Prima* est, quæ fit cum limitatione ipsius ad certum gradum suæ perfectionis, et dicitur communicabilitas naturæ universalis respectu suorum inferiorum. *Secunda* est, quæ fit absque limitatione naturæ ad certum gradum suæ perfectionis, quo pacto natura, sive quidditas divina dicitur communicabilis tribus Personis. *Tertia* denique est illa, quæ fit per assumptionem alicujus naturæ ad hypostaticam unionem, et ita natura

humana dicitur communicabilis tribus Personis divinis, in quantum videlicet quælibet ex illis potest illam assumere ad unionem hypostaticam. Quibus præmissis, negant antecedens, de quocumque ex illis tribus modis accipiatur; nam si primo modo, est falsum, quia essentia divina non est communicabilis primo modo. Si secundo modo, etiam falsum est, quia nulla essentia sive quidditas, vel species infima creata, est communicabilis hoc modo. Si denique antecedens intelligatur de tertia communicabilitate, falsum est etiam, ut patet exemplo naturæ divinæ, quæ non potest assumi a pluribus suppositis ad unionem hypostaticam. — **Contra**, ratio Doctoris recte procedit; fundatur enim in illa maxima: *Quidquid competit generi sive prædicato, competit speciei sive subjecto:* nam *communicabile* in illo antecedenti accipitur in communi, et quatenus est indifferens ad illos tres modos: quasi diceret Doctor, omnis quidditas est communicabilis: natura angelica est quidditas: ergo est communicabilis; quod argumentum est optimum, quia est a toto, ut genus ad species, nam *quidditas* est genus, et essentia angelica est una species illius: ergo prædicatum, quod competit illi generi, nempe *quidditas,* debet competere quoque ejus speciebus; ex quo sequitur, quod cum natura angelica sit quidditas, etiam sit communicabilis altero illorum modorum; cum autem primo modo sibi repugnet communicari, a sufficiente divisione sequitur quod secundo modo communicetur, vel sit communicabilis. Nam licet a superiori ad inferius affirmative non valeat consequentia; non enim sequitur *est animal:* ergo *est homo:* bene tamen a superiori descendendo ad inferius per distributionem. Sequitur enim optime: *Petrus est animal:* ergo *est homo, vel brutum;* sed *non est brutum:* ergo *est homo:* ita in proposito, natura angelica, quæ est species, est communicabilis pluribus: ergo vel sine divisione, seu distinctione numerica sui, vel cum ea: sed non sine divisione numerica sui, quia hoc soli divinæ naturæ competit: ergo cum divisione sui numerica. — ✻ " *Confirmantur ista*: naturam aliquam specificam carere individuis et esse alteri incommunicabilem, vel importat et connotat perfectionem aut imperfectionem. Si imperfectionem, hæc non est tribuenda naturæ angelicæ omnium naturarum creatarum præstantissimæ; si perfectionem, inde inferre liceret naturam angelicam esse divina perfectiorem, quia esset magis incommunicabilis. Natura enim divina, licet sit incommunicabilis plurimis individuis, est tamen communicabilis pluribus personis. Natura vero angelica esset dumtaxat communicabilis uni personæ, ac subinde magis esset incommunicabilis quam divina. Accedit quod si natura speciei angelicæ, (verbi gratia), cherubim, sit tota simul et secundum omnimodam suam perfectionem in unico individuo, puta sancto Michaële aut Gabriele, erit infinitæ perfectionis. At hoc consequens est absurdum, igitur etc. Probatur sequela; quia idcirco Thomistæ negant individuorum multiplicationem in Angelis ex eo quod ista multiplicatio tenderet in infinitum; individua enim respectu ejusdem speciei sunt interminata: cum igitur Gabriel aut Michaël haberet naturam correspondentem infinitis individuis, inde fit manifestum quod ipse etiam æquipolleret infinitis Angelis, siquidem actu haberet speciem quæ ex sua communi ratione deberet extendere se ad infinitos Angelos.

At INQUIES: ratio ista nullatenus concludit, alioquin quodlibet in-

dividuum alterius naturæ quam angelicæ, puta humanæ, cum habeat totam naturam humanam in infinitum multiplicabilem, dici deberet infinitæ perfectionis, quia haberet naturam infinitæ virtutis in sua communicabilitate. — **Contra**, ista responsio argumenti vim non levat, est enim discrimen inter individuum naturæ humanæ et angelicæ quod individuum naturæ humanæ complectatur in se naturam quæ non est actu sed tantum potentia multiplicabilis in infinitum, ac subinde actu non habet omnimodam suam multiplicabilitatem. At vero si natura angelica sit incommunicabilis pluribus individuis, consequens est quod individuum in quo residet, continet omnimodam illius multiplicabilitatem, ac proinde habet multiplicabilitatem in infinitum. Siquidem natura in illo individuo habet id omne quod obtineret in infinitis individuis, si multiplicabilis esset in plura individua. " ✻

Probat secundo Doctor: omnis natura, quæ potest intelligi sub ratione universalis absque contradictione, est plurificabilis numero; si enim esset de se hæc, repugnaret ei intelligi sub ratione universalis, sicut repugnat essentiæ divinæ, quod intelligatur sub ratione universalis, quia essentia divina est de se hæc: sed omnis natura creata potest intelligi sub ratione universalis absque contradictione; quia nulla est de se hæc, alioqui per potentiam Dei absolutam non posset multiplicari, etiam specifice: ergo, etc. *Confirmatur:* licet enim Sol, v. g. sit unus numero in sua specie, tamen intelligitur in universali, siquidem de eo assignatur definitio, quæ competeret aliis individuis Solis, si darentur: ergo omnis natura creata est multiplicabilis numero.

Reponunt Thomistæ aliquid posse dici *universale* duobus modis, scilicet vel ex parte rei, vel ex parte intellectus: primo modo, quando res, quæ dicitur universalis, revera est in pluribus, ut animalitas in homine et bruto, vel humanitas in Petro et Paulo: secundo modo quando res illa ab intellectu percipitur secundum se, et absque eo quod inveniatur in pluribus, sed solum repræsentetur sine conditionibus individuantibus, quæ sunt materia, et quantitas: quibus præmissis, dicunt naturam angelicam non posse intelligi sub ratione universalis primo modo, sed tantum secundo modo, quia illa quidditas angelica intelligitur tantum sine conditionibus individuantibus, non tamen invenitur in pluribus individuis; unde non habet fundamentum universalitatis primo modo: illa autem propositio *major* est vera in primo sensu, sed tunc minor est falsa; in secundo autem sensu *minor* est vera, sed *major* est falsa. — **Contra**, omne ens creatum, vel est universale, et commune, vel particulare, aut individuum: sed quidditas Angeli non est de se hæc, et individua: ergo est universalis. *Major* est clara. *Minor* probatur: ubi non est ratio, et causa individuationis, ibi non est individuatio, nec talis res est individua: sed in quidditate Angeli, ut volunt Thomistæ, non est principium individuationis: ergo illa quidditas non est individua, neque de se hæc: ergo est universalis. Præterea, si esset de se hæc, esset, ut essentia divina, implurificabilis etiam per divinam potentiam in plures species, quod est absurdum. Consequentia etiam patet, siquidem inter universale et individuum non est medium, quia universale est id, quod est in multis, et dicitur de multis; singulare vero dicitur de uno solo, scilicet de seipso. Ex quo infero, quod non solum ex

parte intellectus, sed etiam ex parte rei, quidditas Angeli est intelligibilis sub ratione universalis, quia ex parte rei non est de se hæc, et individua : ergo est universalis, sive communis, et consequenter multiplicabilis in plura numero distincta. *Deinde,* (inquit Rada), distinctio Cajetani implicat, quia de ratione universalis est posse de pluribus dici, et in pluribus esse : ergo dividere universale in illud quod est in pluribus, et in illud cui repugnat esse in pluribus, est dividere universale in se, et in oppositum sui. — *Confirmatur:* non potest intellectus vere applicare alicui intentionem universalitatis, nisi reperiatur in re fundamentum, alias enim ita bene posset secunda intentio speciei applicari naturæ genericæ, sicut specificæ, et intentio generis individuo sicut generi : ergo necessum est aliquod esse in re fundamentum, ad hoc ut intellectus rem sub ratione universalis concipiat : ergo cum intellectus concipit naturam Angeli Michaëlis, v. g. sub ratione communis, vel communicabilis pluribus, fundamentum in ipso invenit, et absque contradictione, et repugnantia ei potest secundam speciei intentionem applicare.

Probat tertio Doctor: potest Deus, annihilato uno Angelo, ejus speciem reproducere in alio individuo. Non eodem, qui erat antea, quia idem numero Angelus annihilatus, non potest reproduci, in sententia Thomistarum asserentium, quod si eadem numero anima non remaneret incorrupta, sed simul cum ipso corpore anima destrueretur, non posset idem numero homo resurgere, ut expresse docet S. Thomas in 4. *distinctione* 44. *art.* 2. *qu.* 2. *ad tertium :* ergo in diverso individuo ab eo, quod fuerat prius; subindeque possibilia sunt plura individua sub eadem specie ultima naturæ angelicæ, saltem de potentia Dei absoluta.

Respondent Thomistæ concedendo, quod Deus, annihilato uno Angelo, possit ejus speciem reproducere in aliquo individuo : negando tamen, quod illud individuum non esset illud idem, quod fuisset annihilatum, sed diversum. Ad probationem in contrarium dicunt, quod licet non possit idem numero homo, annihilata anima rationali ipsius, resurgere, bene tamen iterum creari sive reproduci ; et ratio disparitatis est, inquiunt, quia resurrectio non vero reproductio, sive iterata creatio hominis, existentiam partis ipsius, scilicet animæ rationalis requirit. — **Contra** primo : Doctor Subtilis arguit ad hominem contra S. Thomam, nempe quod fieri non possit reproductio alicujus, nisi subsisteret ejusdem pars aliqua incorrupta ; si autem desineret esse Angelus, cum ipsius nulla pars incorrupta subsisteret, non posset Deus eumdem reproducere : deberet ergo alium ab ipso numero distinctum creare : et sic verum esset quod eadem natura specifica duobus Angelis numero distinctis esset communis. *Deinde,* vel Deus potest creare alium Angelum ejusdem speciei cum Gabriele, vel non: si sic, habetur intentum ; si non ; contra, Deus potest quidquid non implicat contradictionem : at duos Angelos esse ejusdem speciei non implicat contradictionem : ergo, etc. Assumptum probatur: si quæ esset contradictio, proveniret ex eo quod differentia numerica petenda esset a materia : sed hoc est falsum : tum quia unus Angelus non solum differt specie ab alio Angelo, sed etiam numero : sed nullus Angelus habet materiam : ergo differentia numeralis in Angelis non su-

mitur a materia; tum quia animæ rationales a corpore separatæ distinguuntur numero, nec tamen materiam habent; tum denique quia duo lumina gloriæ, duæ visiones beatificæ, duo actus intellectus aut voluntatis angelicæ circa idem objectum simili modo tendentes, similiter duo habitus supernaturales fidei, aut spei, aut charitatis, numerice differunt, et tamen carent materia.

Reponunt Thomistæ, quod licet illa non constent materia, eam tamen connotant, et respiciunt: nam animæ rationales dicunt ordinem ad diversa corpora quæ informant, accidentia vero spiritualia ad subjectum cui inhærent, quod licet immateriale sit, gerit tamen vices materiæ quatenus illa recipit, et sustentat. — **Contra**, si multiplicabilitas numeralis animæ oriretur ex habitudine illius ad corpus, sequeretur quod data illa habitudine poneretur etiam illa multiplicabilitas: sed hoc est falsum, nam si possibilis esset unica anima, haberet habitudinem ad corpus, nec tamen esset ab alia numero distincta. *Deinde*, inclinatio ad corpus est aptitudo unius ad alterum: ergo supponit aliquid prius, adeoque animæ substantia prius concipi debet numero distincta ab alia anima, quam concipiatur dicere ordinem ad corpus. *Denique* si animæ sint numero distinctæ, quia possunt informare diversa corpora; sic etiam poterunt dari diversi numero Angeli, quia possunt esse in diversis locis, et habere diversas operationes. — *Confirmat* has rationes Doctor Subtilis auctoritate S. Augustini in Enchiridio, ubi ait: *Placuit itaque universalitatis Creatori atque Moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, illa quæ perierat, in perditione perpetua remaneret: quæ autem cum Deo, illa deserente, perstiterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate gauderet. Alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis, et originalibus, et propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleretur.* Ex quibus sic arguo: ista totalitas, et partialitas in Angelis, non potest salvari nisi quia aliqua species angelica quantum ad omnia individua non perierat totaliter, et ita aliqui de quacumque specie corruerunt, et aliqui perstiterunt: ergo in eadem specie non solum possunt esse plura individua, sed de facto videntur esse plura.

Dices 1.: Repugnat quod forma simplex, et a materia tam actu quam aptitudine separata, seu quæ nullum dicit ordinem ad materiam, solo numero multiplicetur: talis est natura angelica: ergo repugnat illam intra eamdem speciem solo numero multiplicari. *Minor* patet ex dictis art. 1. *Major* vero quam negant adversarii, multipliciter ostenditur ex Aristotele 5. *Metaph.* c. 6. *circa finem* dicente: *Alia numero, alia specie, alia genere, alia analogice unum sunt.* — **Respondeo cum Doctore** quod Aristoteles ibi accipit *materiam* pro illa entitate individuali, quæ constituitur in esse materiali, non autem in esse formali, prout *quidditas* dicitur forma, quia ista entitas non est quidditativa: patet et ista expositio per illud quod subdit: *Specie unum sunt quorum ratio est una;* ratio enim ibi sumitur pro quidditate, quæ dicitur forma respectu esse individualis; quemadmodum enim materia non est præcipua pars compositi physici; ita differentia individualis non est præcipua pars in composito metaphysico: natura enim specifica

est tota individui natura. *Respondeo* 2, quod etsi revera Aristoteles loquatur de materia physica, propterea non est audiendus a Theologis; vera quidem esset illatio secundum ejus principia, nempe quod non possent Angeli multiplicari numero in eadem specie, quia docet substantias immateriales esse entia necessaria, et consequenter illas habere actu quidquid ipsis competere potest: unde si possent habere plura individua, illa necessario haberent: cumque nulla sit ratio cur habere non possint infinita (si, ut putat Aristoteles, essent entia necessaria), si plura habere possint individua, etiam et infinita possent habere, et sic necessario darentur infiniti Angeli: quod cum sit absurdum, etiam absurdum est ex principiis Philosophi, quod natura Angelica sit multiplicabilis numero. Cum autem principium ex quo talem illationem infert sit falsum, nempe quod omnis quidditas carens materia physica sit necessario existens, etiam et conclusio ex eo illata omnino falsa est, nec a Theologis usurpanda.

Dices 2: Omnis differentia formalis est specifica: sed Angeli invicem differunt differentia formali, quia sunt formæ distinctæ: ergo necessario omnes differunt specie, adeoque inter eos nulla differentia numerica. — **Respondet Doctor**, differentiam formalem posse bifariam accipi: primo quidem pro differentia quæ fit per formam: secundo, pro differentia formarum, seu pro formis ipsis quæ differentiam efficiunt. Primo modo *major* est vera; sed *minor* falsa: secundo autem modo *major* est falsa. *Ad probationem* autem quæ sic posset formari, Angelus differt ab Angelo qui est forma: ergo habent inter se differentiam formalem; dicit Doctor ibi esse fallaciam consequentis: non enim sequitur: formæ differunt; ergo formaliter seu per formam differunt: sicut non sequitur: plures homines invicem distinguuntur, igitur per humanitatem differunt, invicem enim differunt per suas differentias individuantes ab aliis, non per suam humanitatem. Unde aliud est aliquid distingui, et aliud esse rationem distinctionis: Petrus enim per humanitatem distinguitur a Bucephalo, non vero est ipse ratio distinctionis, sed ipsius humanitas.

Dices 3: Omnis forma separata a materia habet totam perfectionem suæ speciei: sicut albedo si esset ab omni subjecto separata, haberet totam perfectionem albedinis: sed Angelus est forma separata a materia: ergo habet totam perfectionem debitam suæ speciei; adeoque non possunt esse plures Angeli numero distincti in unica specie. Probatur *major*: si totam perfectionem suæ speciei debitam non haberet, deberet eam participare: sed id fieri nequit; quia ut participaret ipsa forma deberet habere rationem materiæ perfectibilis, siquidem perfectibilis esset per illam perfectionem quam acciperet. Quam rationem materiæ cum non habeat, etiam non potest participare perfectionem suæ speciei; adeoque debet illam omnimodam perfectionem suæ speciei in se continere, sicque non potest esse alius ejusdem speciei Angelus. — **Negat majorem Doctor**, cum sua probatione; ex eo enim quod aliquid careat materia, non sequitur præcise quod debeat habere omnimodam perfectionem suæ speciei, cum enim illa natura specifica sit multiplicabilis in infinitum, si unum ejus individuum deberet habere totam perfectionem suæ speciei, necessario haberet perfectionem infinitam, saltem extensive, quod est absurdum. *Respondet secundo,*

negata *majore*, distinguendo ejus probationem: si participaret perfectionem speciei, deberet habere rationem materiæ primæ physicæ quæ ordinatur ad formam physicam, negat: materiæ methaphysicæ, hoc est, naturæ specificæ, quæ ordinatur ad formam methaphysicam, nempe ad differentiam individualem per quam contrahitur, et determinatur ad esse individui, concedit: sed exinde nihil infertur contra veritatem conclusionis.

Dices 4: In entibus perfectis, qualis est Angelus, nihil est quod non intendatur per se a natura: sed pluralitas numerica non intenditur per se a natura, quia pluralitas talis, quantum est ex se, potest esse infinita; infinitum autem non potest per se intendi a natura, quia natura non intendit quod producere nequit: cum autem sit limitata in entitate, et operatione sua, nequit infinitum producere. — **Respondet** Doctor negando *minorem* cum consequentia probationis; quamvis enim pluralitas numeralis possit esse infinita, non tamen necessario debet esse infinita; et consequenter quamvis non intendat natura per se pluralitatem infinitam, non sequitur quin intendat pluralitatem aliquam quæ non sit actu infinita, qualis revera est Angelorum multitudo, ut probatum est in præcedenti Quæstione.

Dices 5: Multitudo individuorum solum intenditur propter conservationem speciei, quæ in corruptibilibus deficeret, nisi propagaretur in pluribus individuis, ut ait Aristot. 2. *De anima:* sed hæc ratio nulla est de Angelis; cum enim sint immateriales et incorruptibiles, salvari posset species in unico. *Confirmatur:* intra genus substantiæ corporeæ incorruptibilis, Deus unicum numero individuum produxit, puta unum Solem, Lunam unicam, et stellas singulas specie ab invicem distinctas: ergo a pari idem dicendum de Angelis, qui sunt substantiæ spirituales incorruptibiles. — **Negat majorem Doctor**; cum enim, inquit, rerum omnium Artifex præcipue intendat bonum, et ordinem Universi in rerum formatione, non solum debet intendere earum diversitatem secundum speciem, sed etiam multitudinem secundum individua; quia utrumque maxime conducit ad ordinem, et pulchritudinem Universi; *Nam*, inquit S. Augustinus lib. 19. *De Civit. Dei.* cap. 13., *Ordo est parium, et imparium rerum, unicuique sua loca distribuens congrua dispositio*: ubi per *res impares*, intelligit rerum essentias, quæ in pertectione quidditativa æquari nequeunt, alias non essent species, et essentiæ diversæ: per *res pares* autem intelligit individua sub eadem specie atoma contenta, quæ ob id dicuntur paria quia eamdem omnino pertectionem essentialem participant. Adde quod, inquit sanctus Damascenus *In Elementario* cap. 12., congruum fuit plures Angelos in eadem specie producere, *Ut communicantes ad invicem naturam, gaudeant invicem; et naturali beatitudine copulati, ad invicem secure, et amicabiliter disponantur.* — *Ad Confirmationem* nego *antecedens:* verosimilius enim est Cælos omnes, et stellas plurimas esse ejusdem speciei, quamvis etiam aliquæ specie differant, ut ex eorum influxu vario ac diverso colligi potest. Vel nego *consequentiam:* disparitas enim est quod productio plurium individuorum in illis rebus cœlestibus, aut esset inutilis, aut officeret Universo; esset, inquam, inutilis, cum quidquid lumini præstari posset per duos Soles, v. g. sufficienter per unicum profundatur: officeret etiam Universo: illi enim

duo Soles, cum non possent lucere simul, oporteret ut occidente uno alter oriretur, sicque nulla esset dierum ac noctium alternatio, nec proinde tempus quietis pro animalibus, nec refrigerationis pro terrenis, quippe cum alternantes Solis æstus omnia torrerent. Non sic autem de Angelis, qui cum distincta habeant munia erga diversos homines regendos, et varias res administrandas, etiam diversi esse possunt cum summa Universi utilitate. Hæc omnia luculenter expendit, et confirmat Guillelmus Parisiensis *in* 2. *parte primæ partis de universo* cap. 21. « Non est verisimile (inquit) sapientissimum Creatorem « omnes simplices ac spirituales substantias creasse per omnia æquales, « et in omnibus similes : quemadmodum neque in aliqua specie sen- « sibilium substantiarum hoc ei facere placuit, sicut neque omnes ho- « mines, neque equos, et eodem modo se habet in aliis omnibus spe- « ciebus substantiarum sensibilium. Prævidit enim atque prænovit « sapientia, et bonitas Creatoris, quod ex ipsa inæqualitate, dissimi- « litudine, atque varietate augeretur inæstimabiliter ipsa speciositas « illius præclaræ ac nobilissimæ Civitatis suæ supercœlestis. Quemad- « modum enim ipsam militiam ornat atque decorat diversitas, et que- « madmodum frequentiam ministrorum ac ornatuum varietas efficit « spectantibus gratiorem : sic donorum naturalium, hoc est, scientia- « rum, et virtutum, multiformis speciositas militias illas substantia- « rum simplicium atque spiritualium speciosiores efficit, et universi- « tati ipsarum plurimum delitiæ tribuit, et decoris ; instar amœnissimi « prati, cui florum quanto major est diversitas, ac multiformior va- « rietas, ac multiformior speciositas, tanto est oculis spectantium magis « grata, ejusdemque præstantior pulchritudo. Sic in veste se habet « colorum varietas ; sic et in picturis, et in omnibus aliis quæ fiunt « ad pulchritudinem, et decorem. Evidens autem de hoc exemplum « est Cæli stellarum fixarum varietas, quæ tantam pulchritudinis spe- « ciem ei præstat. ».

QUÆSTIO TERTIA.

QUID, ET QUOT SINT ANGELORUM HIERARCHIÆ, ET ORDINES.

Notandum 1. *Hierarchiæ* vocabulum græcum esse, quod sacrum principatum sonat, seu collectionem personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo Principe. Triplicem autem Hierarchiam distinguit sanctus Dionysius lib. *De cælesti Hierarchia* cap. 3. *Prima* (inquit Hugo Victorinus in explanatione ejusdem libri), « principalis omnium, et « forma, et exemplar reliquarum summa, et ineffabilis potestas est « Trinitatis: simplex, et una, et uniformis, sine gradu, et differentia, « et comparatione, summa, et æterna, et perfecta, et vera, in omnia « opera sua condenda, et regenda, propria virtute omnipotens; nihil « externum suscipiens, nihil suum amittens. *Secunda Hierarchia* in « angelica natura formata est, adoptione, et participatione, et digna- « tione a prima et suprema, et ad primam secunda similitudine sub- « limis gradum habens, et differentiam suscipiens, et comparationem « admittens: post summam Trinitatem secunda æmulatione, trina di- « visione distincta. *Tertia, et ultima Hierarchia* in humana natura or-

« dinata est: secundam primo, et primam secundo loco imitans, et « imaginem summam, et superexcellentem similitudinem per media « participantia suscipiens, et referens per id ipsum ut ab uno totum « sit, et ad unum totum, et totum unum. » — Adverte tamen in Deo non esse proprie Hierarchiam, cum nec inter tres divinas Personas sit principatus, nec ordo, nec superioritas aut inferioritas dignitatum. Unde ibidem docet S. Dionysius, *Deum esse extra, et supra omnem Hierarchiam*; *nam omnis Hierarchia ad illius imitationem, et similitudinem existit.*

Notandum 2. Triplicem a SS. Patribus, et Theologis distingui Angelorum Hierarchiam, nempe supremam, mediam, et infimam, quarum quælibet tribus distinctis ordinibus integratur. *Prima* namque, inquit noster *Le Petit* c. 6. *De Angelis*, complectitur Seraphinos, Cherubinos, et Thronos. *Seraphini* sic dicuntur, ab ardore dilectionis, et ferventissimo Dei amore in quo alios excedunt, et ad quem inferiores excitant; ita ut continuo sint ardentes, inflammati, et accensi amoris igne quo excellenti modo Deum prosequuntur, dum eum contemplantur proximiores tantæ, et admirabili ejus majestati, ut scribunt S. Gregorius, S. Dionysius, S. Thomas, etc. *Cherubini* dicuntur ob scientiæ plenitudinem, et excessum quo alios inferiores excedunt, illudque splendidissimum lumen tamquam lucidissimi Soles in alios effundunt. *Throni* sic appellantur, quia in illis Deus placidiori quodam modo specialiter quiescit; unde dicuntur sedes Dei ad divinos fulgores in se suscipiendos, et alios inferiores transfundendos. *Secunda Hierarchia* comprehendit Dominationes, Principatus, et Potestates. Dicuntur autem *Dominationes* ob excellentiam Dominii, quia videlicet alios excedunt in imperatione rerum agendarum. *Principatus* sic vocitantur, quia Regnis, et Provinciis præsunt, et respectu inferiorum Angelorum principes dici possunt, eos instruunt, illuminant, et movent in his quæ ad salutem omnium hominum pertinent, juxta Dei voluntatem sibi manifestatam. *Potestates* sic dicuntur, ob magnam, qua pollent, potentiam, et potissimum ad coercendos infernales Spiritus, ne incommoda hominibus inferant. *Tertia Hierarchia* complectitur Virtutes, Archangelos, et Angelos. *Virtutes* sic nominantur, quia ad illos spectat patrare miracula, et signa ac prodigia facere; nam licet omnes Spiritus miracula facere possint, hoc tamen Virtutibus *spiritualiter* tribuitur: illo præterea donantur nomine, quod mascula quadam fortitudine hi Spiritus prompti et expediti ad divinum sunt obsequium; ac etiam opem largiuntur aliis Angelis se inferioribus. *Archangeli* hominibus ex præscripto Dei majora nunciant, et graviora expediunt negotia, et personas graves custodiunt. *Angeli* vero, quia minora nuntiant negotia vel ea perficiunt, quia peculiare aliquod nomen non habent, communi nomine omnibus aliis Spiritibus donantur: eorum munus est homines custodire.

Notandum 3. Quod licet præfata nomina singulis Angelorum ordinibus peculiares characteres exprimant, nihilominus interdum accipiuntur ut omnibus communia, ita ut nomen proprium unius ordinis tribuatur Angelis alterius ordinis: sic promiscue omnes illos beatissimos spiritus *Angelos* appellat S. Chrysostomus Homilia 3. Contra Anomæos: Hilarius quoque Virtutes universe sic accipit lib. 3. *Virtutes*,

inquit, *in Cœlo plures sunt, et efficientes, et æternæ, sed unus Unigenitus est Filius.* Cur autem Angeli, et Virtutes sic omnes appellentur, prioris appellationis causam profert S. Gregorius Homil. 34. in Evangelia, quod per eos aliqua nuntiantur, nam non extremi tantum ordinis Spiritus, sed supremi etiam nonnumquam, ad homines, et nuntiorum fungi munere plures existimant. *Virtutes* autem omnes Angeli dicuntur, inquit S. Dionys. cap. 11. quod beatæ illæ mentes hæc tria habeant: *essentiam* sive substantiam, *vim* sive virtutem, et *efficientiam.* Hæc diserte explicat S. Gregorius Magnus Homilia 34. in Evangelium. *Plerumque,* inquit, *ipsi beatorum Spirituum ordines, vicinorum sibi ordinum vocabula sortiuntur: Thronos etenim scilicet sedes Dei, specialem beatorum Spirituum ordinem diximus, et tamen per Psalmistam dicitur* qui sedes super Cherubim appare: *quia videlicet dum in ipsis distinctionibus agmina Cherubim Thronis junguntur, sedere etiam super Cherubim Dominus ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Sic enim in illa summa civitate specialia quædam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnium, et quod in se ex parte quisque habet, hoc in alio ordine possidet: sed idcirco uno eodemque vocabulo communiter continentur, ut ille ordo vocari privato uniuscujusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit.* His prælibatis, determinandum est quibus momentis constet dari tres illas hierarchias, et novem Angelorum ordines.

Conclusio unica. — Revera sunt tres Hierarchiæ, et novem distincti sanctorum Angelorum Ordines. Hæc est comunis apud SS. Patres, et Theologos, eamque S. Dionysius expendit, et explicat toto libro *De Cœlesti Hierarchia* ubi cap. 6. ita loquitur de divinis illis Intelligentiis: « Has, inquit, divinus noster sacrorum ini-« tiator, S. Paulus, in tres terniones distribuit atque distinxit: ac pri-« mum quidem vult esse eorum qui semper Deum circumstant, et de « quibus traditum est, cum eo toto animo, et præ cæteris nulla re « interjecta conjungi, nam et sanctissimos Thronos, et quæ multos « oculos, et quæ multas alas habent, Cherubim, et Seraphim, Hebræ-« orum sermone vocata, quam proxime Deum circumstare, scriptis « divinis proditum esse dicit. Hanc igitur quæ ex tribus constat dis-« tinctionem ut unam, et ejusdem generis, ac vere primam Hierar-« chiam clarissimus Præceptor noster tradidit, qua non est altera Deo « similior, et quæ in primis Divinitatis in agendo illustrationibus, « sine intervallo majore studio occupatur. Alteram esse dicit eam quam « Potestates, Dominationes, Virtutesque expleant. Tertiam in extremis « cælestibus Hierarchiis Angelorum, Archangelorum, Principatuumque descriptionem. » — Eamdem veritatem luculenter exponit S. Bernardus lib. 5. *De Consideratione* cap. 4. ubi cum enumerasset omnes beatorum Angelorum ordines, ita scribit: « Quid ergo sibi vult gradualis « distinctio hæc? Putemus *Angelos* dici, nisi tu convenientius aliquid « considerasti, quia singuli singulis hominibus dati creduntur: *Missi « in ministerium,* secundum Pauli doctrinam, *propter eos qui hæredi-« tatem capiunt salutis.* De quibus Salvator: *Angeli eorum semper vi-« dent faciem patris.* Putemus his præesse *Archangelos,* qui conscii my-« steriorum divinorum, nonnisi ob præcipuas et maximas causas mit-

« tuntur; e quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur « ad Mariam; ob causam utique qua major esse non potuit. Putemus « super istos *Virtutes* esse, quarum nutu vel opere signa et prodigia « in elementis, sive ex elementis facta apparent ad commonitionem « mortalium. Inde est fortassis quod cum in Evangeliis legas; *Erunt « signa in Sole, et Luna, et stellis,* paulo post habes: *Nam Virtutes « cœlorum movebuntur.* Hi nimirum Spiritus per quos signa fiunt. Pu- « temus *Potestates*, superiores istis, quarum virtute potestas tenebra- « rum comprimitur, et coërcetur malignitas aëris hujus, ne quantum « vult noceat, nec malignari, nisi ut prosit, possit. Putemus *Princi- « patus* his quoque prælatos, quorum moderamine et sapientia omnis « in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mu- « tilatur, mutatur. Putemus *Dominationes* adeo cunctis supereminere « præfatis ordinibus, ut respectu horum cæteri videantur omnes admi- « nistratorii Spiritus, et ad istas tamquam ad Dominos referri regi- « mina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, re- « velationes Archangelorum, curam et providentiam Angelorum. Pu- « temus *Thronos* alto etiam ab his evolasse recessu, qui ex eo quod « sedent, Throni dicuntur, et ex eo sedent, quod sedet in eis Deus. « Neque enim sedere in eis, qui non sederent, posset. Quæris quid illam « sentiam sessionem ? Summam tranquillitatem, placidissimam sereni- « tatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet « in Thronis Dominus Sabaoth, judicans omnia cum tranquillitate, pla- « cidissimus, serenissimus, pacatissimus. Et tales sibi constituit Thronos, « simillimos sibi. Putemus *Cherubim* ex ipso sapientiæ fonte ore Altis- « simi haurientes, et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis. « Et vide an is sit, quem Propheta loquebatur; *fluminis impetus lætificans « civitatem Dei.* Putemus *Seraphim* Spiritus totos divino igne succensos, « succendere universa, ut singuli cives singulæ sint lucernæ ardentes, « et lucentes, ardentes charitate, et lucentes cognitione » — Hanc ipsam veritatem ex sacra Scriptura ita probat, et concludit S. Gregorius Papa, Homilia 34. « Novem (inquit) Angelorum ordines diximus, quia vi- « delicet tot esse, testante sacro eloquio, simul Angelos, Archangelos, « Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim « atque Seraphim novimus. Esse namque *Angelos*, et *Archangelos* pene « omnes sacri eloquii paginæ testantur. *Cherubim* vero atque *Seraphim* « sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque « ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat dicens: *supra « omnem Principatum*, et *Potestatem*, et *Virtutem*, et *Dominationem*. « Qui rursus ad Colossenses scribens ait *sive Throni sive Domina- « tiones, sive Principatus, sive Potestates*. Dominationes vero, et Prin- « cipatus ac Potestates jam ad Ephesios loquens descripserat. Sed ea « quoque Colossensibus dicturus præmisit *Thronos*, de quibus necdum « quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor quæ ad « Ephesios dixit, idest Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, atque « Dominationibus, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui « specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli, et Archangeli, Che- « rubim atque Seraphim adjuncti sunt, proculdubio novem esse An- « gelorum ordines inveniuntur. »

His constat quam fœde hallucinentur Erasmus, et Beza in Scholiis

ad 8. cap. Epist. ad Rom. dum negant illos Angelorum diversos ordines ex Apostolo posse colligi; nam prætatis verbis a S. Gregorio laudatis, certos gradus Angelorum, et ordines, omnes SS. Patres tam Græci quam Latini summa consensione docent. Imprimis vero S. Ignatius, Epist ad Trallianos: *Ego* (inquit) *quia intelligere possum cœlestia, et Angelicos ordines, necnon Angelorum et exercituum differentias, ac Virtutum et Dominationum discrimina, Thronorumque et Potestatum varietates, Æonum magnitudines, Cherubim et Seraphim excellentias... Hæc, inquam, quia cognosco, non propterea penitus sum perfectus, etc.* — S. Irenæus pariter eosdem ordines numerat, si Seraphinos et Cherubinos excipias; ait enim libro 2. cap. 54.: *Dicunt nobis quæ sit invisibilium natura, enarrant numerum Angelorum, et ordines Archangelorum, demonstrant Thronorum sacramenta, et docent diversitates Dominationum, Principatuum, Potestatum atque Virtutum.* S. Basilius in sua Liturgia hoc ordine eos recenset: *Te laudant Angeli atque Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, et multi oculi Cherubim, tibi astant in circuitu Seraphim.* Similiter S. Athanasius pluribi idipsum docet, sed maxime libro *De Communi essentia. Quemadmodum*, inquit, *discrimen in supernis Virtutibus agnovimus, ita et stationis ac cognitionis. Throni quidem, et Seraphim, et Cherubim immediate a Deo discunt, tamquam superiores omnibus, et Deo propinquiores. Hi porro docent inferiores ordines, et ita deinceps superiores docent inferiores. Infimus autem ordo est Angelorum, qui et hominum sunt magistri.* — Subscribunt etiam Latini. S. Augustinus libro contra Priscilianistas et Origenistas cap. 10. expendens illud Apostoli ad Coloss. 1. *Sive Throni, sive Dominationes, etc.* ait: *Esse itaque sedes Principatus, Dominationes, Potestates, in cœlestibus apparatibus firmissime credo, et differre aliquid indubitata fide teneo. Sed qui me contemnas, quem putas magnum esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant, nescio.* ✻ " Quin et horum disquisitionem non obscure damnat, dicens: *Magis in istis temerariam præsumptionem, quam cautam ignorationem culpandam videri*, et mox, satis clare significans eos sese supra divinos Scriptores efferre, qui de his aliquid se supra ea, quæ Scripturis *raptim tacta ac prescripta sunt*, sapere putant. Et in Enchiridio cap. 58. dubitat utrum Archangeli iidem sint, qui dicuntur *virtutes*, et *quid inter se distent* quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cælestem societatem *videtur et Apostolus esse complexus, dicendo*, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, *dicant*, inquit, *qui possunt, si tamen possunt probare, dicant, ego me ista ignorare confiteor.* Et lib. 2. contra Maximinum arianum, eum objurgans, quod Angelos ab Archangelis quidem videri, Archangelos autem ab Angelis non videri scripsisset, a quo, inquit, hoc audisti? unde didicisti? ubi legisti? nonne melius divinis Libris animum intenderes, ubi legimus, et ab hominibus Angelos visos quando voluerunt, et quomodo voluerunt videri? " ✻

In eadem ancipiti sententia videtur fuisse S. Hieronymus; siquidem cum libro 11. contra Jovinianum septem numerasset Angelorum ordines puta *Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Potestates, Cherubim, et Seraphim* subdit: *Et omne demum quod nominatur, non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro;* rem indefi-

nite complexus, quasi innumerabiles alii essent gradus Angelorum, et graduum nomina. Quod clarius indicat in comment. ad cap. 1. Epist. ad Ephesios, ubi cum inquisivisset unde Paulus acceperit inter Angelos esse Principatus, Virtutes, Potestates, et Dominationes, dixissetque id *quod de Regibus atque Principibus, Ducibus quoque, Tribunis, et Centurionibus innumeris, et in Regnorum libris refertur, imaginem aliorum Principum Regumque cognovisse*, subdit: *Quod scilicet in cœlestibus sint Principatus, sint Potestates, sint Dominationes atque Virtutes, et cætera ministeriorum vocabula quæ nec possumus nominare; nec ipsum Paulum puto, ut in gravi corpusculo constitutum, enumerare voluisse.* Quasi diceret nec S. Paulum compertos habuisse, nec enumerare potuisse omnes beatorum Angelorum ordines. — ✳ " Dubius etiam hac in re fuit S. Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 11. ad Illuminatos, ubi arianorum audaciam increpans de Filii generatione temere et curiose satagentium: *Dic mihi prius,* inquit, *homo audacissime,* quid thronus a dominatione differat, et tunc quæ ad Christum pertinent inquirere. Dic mihi quid sit principatus, quid virtus, quid angelus, et tum Factorem ipsum curiose perquirere. " ✳ — In eamdem dubitationem ivit S. Chrysostomus, Homil. 4. *De incomp.* ubi carpens Hæreticorum audaciam qui temere Dei naturam inquirunt; *Cogitate,* inquit, *animo quanta sit Hæreticorum insolentia: servorum ne appellationes quidem scimus, et illi Domini substantiam curiosius quidem inquirunt. Sunt enim Angeli, et Archangeli, et Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates: sed non soli isti sunt cœtus in cœlis, verum infinitæ gentes, et nationes ineffabiles, quas explicare non potest oratio.* Quod probat ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Sedere ipsum fecit supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro;* ex quibus infert: *Videtis uti sunt aliqua nomina, quæ manifesta illic erunt, cum sint ignota modo: nam propterea dixit, non solum quæ nominantur in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* His constat Angelorum ordines a plurimis SS. Patribus non fuisse definitos. — Quæ tamen non officiunt nostræ Conclusionis certitudini, quippe constanter alii SS. Patres contrarium edocent, et jam id indubitatum habemus ab omnibus Theologis, qui ipsam veritatem varie probant. In primis enim eam diserte deducit Guillelmus Parisiensis in 2. p. 2. partis *De Universo* cap. 112. comparatione facta cælestis Regni cum Ministris, Asseclis terreni Regis. « Visum « est mihi (inquit) quod proximi ac laterales Regis, necessario debent « constituere tres ordines hominum, quos necesse est indesinenter, et « lateraliter assistere ipsi Regi. *Primus* ergo est Amantissimorum, hoc « est, maxime Regem amantium, et amore ipsius super omnes ferven- « tium: et manifestum est, quia hæc est consuetudo Regum omnium, « scilicet ut et velint habere, et habeant juxta se, et proximos sibi, quos « sibi credunt amicissimos. *Secundus* est ordo Sapientium, quo ordine « nihil Regi convenientius, nihil decentius, præsertim cum ipsa sa- « pientia dicat, quia *per me Reges regnant*, et ille Rex Hebræorum « sapientissimus omnibus aliis donis sapientiam prætulerit, aliisque « postpositis illam singulariter petierit. Tu quoque scis, quam neces- « sarii sint sapientes gubernationibus regnorum, sicut et ille idem sa- « pientissimus Rex dixit, quia multitudo sapientum salus est orbis

« terrarum. Nosti etiam, quia per sapientiam conduntur leges, et « statuta salutaria, hominibusque perutilia eduntur. *Tertius* ordo est « Judicum, videlicet qui jura reddant, qui controversias, et lites diri- « mant. *Quartus* ordo est Excellentissimorum, atque Magnatum; inter « quos sunt Regis subditi, et tributarii Regis, vel illi, qui solent dici « Proceres regni, et Barones, in quibus consistit magna pars fortitu- « dinis, et potentiæ Regni. *Quintus* ordo, Præsides provinciarum. *Sextus* « ordo, Duces legionum, atque bellorum instructores, et Capitanei acie- « rum. *Septimus* ordo Centurionum, videlicet Ministrorum, qui vin- « dictas, et justitias exequuntur. *Octavus* magnorum Nunciorum, qui « Legati usu aliter nominantur, videlicet, quia magna nuntiant, et aliis « nunciis non revelanda, et de magnis rebus, atque negotiis deferunt, « ad quos Rex jusserit. *Nonus*, et novissimus ordo est minorum Nun- « ciorum per totum Regnum discurrentium, sive equitum, sive pedi- « tum, jussa Regis, et mandata deferentium. Quia igitur iste numerus « ordinum, et ista dispositio eorum, et Regni terreni tota hujusmodi « dispositio decentissima est, atque pulcherrima.... et omnis Rex bonus « exemplum est, et similitudo primi, ac summi Regis, qui est Creator « benedictus, erit necessario et omne Regnum bene dispositum ex- « emplum, et similitudo regni illius, et ordinatio hujus ordinationis, « et ordines hujus ordinum ipsius. Apparet etiam hoc evidenter in si- « militudine, et proportionalitate, atque comparationibus partium sive « ordinum ad partes, sive ordines, primi, ac nobilissimi ipsius. Ordo « enim prius, scilicet ordo amore Regis ferventissimorum, ordini *Se-* « *raphim* assimilatur, atque proportionatur, sicut apparet ex ipsa co- « gnominatione ipsius, quæ est *totus ardens*, sive *incendium amoris*. « Et ordo Sapientum, qui est secundus ordo, per similitudinem et « proportionem respondet ordini *Cherubim*, quod ostendit ejusdem co- « gnominatio ex Hebræo in Latinum interpretata, quæ est *plenitudo* « *scientiæ*, vel *fusio sapientiæ*. Similiter et tertius ordo, qui est Ju- « dicum, assimilatur, et proportionatur ordini tertio præclari illius ac « nobilissimi Regni, qui *Throni* vel *Sedes* cognominatur; in illis enim « tamquam in regno regalis excellentiæ suæ sedet Rex ille, et Domi- « nus sæculorum, et inde per illos judicia sua exercet. Quartus ordo « Potentissimorum, honoreque ac sublimitate potestatis in regno præ- « eminentium, respondet per easdem vias quarto ordini regni antedicti, « qui cognominatur *Dominationes*, quoniam in illis maxime relucet do- « minatio supereminentissima Creatoris, quemadmodum in ipsa po- « tentia, et gloria Magnatum maxime apparet regni terreni potentia. « Præsides vero provinciarum, per quos scilicet provinciæ reguntur, « *Principatibus* similitudine convenientissima comparantur.... Sexto « ordini, qui est *Potestatum*, rectissime comparantur Duces legionum, « instructores acierum, et Principes militiarum, quoniam per eos « in potestatem Regis reducuntur, et rediguntur, qui a potestate re- « cesserunt, vel eidem rebellant. Septimus ordo, qui est vindictas ex- « ercentium, et justitias sive judicia exequentium, quales solent esse « Centuriones, aptatur ordini *Virtutum*, qui adeo inimici debent esse « vitiis, ut in mortem eorum conjurati appareant, et eo usque adver- « sari videantur vitiis, ut non solum *Virtuosi*, sed etiam *Virtutes* no- « minari digni sint... Novissimi vero ordines duo, qui scilicet sunt

« majorum Nunciorum, atque minorum, evidentissimam habent pro-« portionem, atque similitudinem *Angelorum*, et *Archangelorum*. » Probant aliqui diversitatem Hierarchiarum in Angelis ex hierarchicis operationibus, qui sunt *purgare et purgari*, *illuminare et illuminari*, *perficere et perfici*, ut ait S. Dionysius c. 3.; juxta enim hoc triplex munus, Angeli tres in Hierarchias recte distribuuntur. *Prima* enim Hierarchia a solo Deo purgatur, illuminatur, et perficitur, et mediam inde purificat, illuminat, et perficit. *Media* vero a superiori purgata, illuminata, et perfecta, in inferiorem eosdem divinos effectus præstat. Vel *prima* a nulla alia Hierarchia superiore purgatur, illuminatur, ac perficitur, sed inferiores purgat, illuminat, et perficit; *Secunda* purgatur a superiori, illuminatur, ac perficitur, et tertiam purgat, illuminat, et perficit: *Tertia*, et ultima nullam aliam, nisi humanam perficit, illuminat, et purificat. Hæc autem purificatio non est accipienda quasi fiat a peccato, vel ab errore, vel ab ignorantia; hæc enim in Angelis sanctissimis, et Deum clare ac intuitive videntibus locum habere non possunt; sed fit a nescientia, quæ in illis reperitur. Quippe omnes veritates supernaturales non cognoscunt per activitatem suam naturalem, nec per ipsam visionem beatificam, quæ tantummodo terminatur ad objectum beatitudinis, videlicet ad essentiam divinam, divinasque ejus præcellentias; non vero ad ea, quæ sunt externa, quæve pertinent, vel ad Universi dispositionem, vel ad Ecclesiæ regimen, vel ad mysteria gratiæ, quæ inferiores Angeli a superioribus discere possunt, et Superiores a Deo ipso, ut Guillelmus Parisiensis *parte secunda primæ partis de Universo cap.* 198. erudite hunc tere in modum istud explicat; inter Angelos alii sunt splendidiores aliis, ac divino lumini propinquiores, adeoque puriores, non eo quod vel minus, vel nihil omnino sordium habeant, sed quod ab inexhausto lucis fonte largiores, ac liquidiores veritatis haustus excipiunt: quemadmodum si Soli objecta sunt aliquot crystalla, vel specula, quæ non eodem situ collocentur, sed illius radios plenius, ac directius aliis alia capiant; sic cum Angelorum aliqui Deus cæteris perfectius contemplentur, uberiore quam isti luce superfunduntur, eoque puriores sunt illis, et eosdem abundantia sui luminis illustrante; quæ quidem communicatio luminis copiosioris *purgatio* dicitur; non quod tenebrarum insit aliquid, et caliginis, quod majoris appulsu luminis extinguatur, sed quia lucis, ut dixi, ad lucem fiat accessio. Non enim luminis remissio, tenebrarum admixtione constat; uti neque motus tardatio quietis, neque visus hebetudo cæcitatis, ex quibus exemplis secundum maxime ad rem pertinet: siquidem cælestes orbes non omnes pari celeritate torquentur, sed supremus inter illos, quod primum mobile vocatur, rapidiori motu concitatur, ac cæteri deinde uti quisque propior est aut remotior, ita velocius agitentur aut lentius. Quod si minor illa celeritas quietis parte aliqua constaret, nusquam verus ac simplex motus esset; quoniam et suprema illa, ac celerrima conversione, celerior alia vel fingi a nobis, vel a Deo procreari potest; quamobrem sine ulla contrariæ quietis adjunctione motus alter altero est tardior; itidem lux una altera splendidior, nulla caliginis parte temperata. Ad eum itaque modum purgari dicitur Angelus cum novam quamdam cognitionis lucem accipit, qua carebat antea: et idipsum quod deerat

tamquam privatio quædam est, quam adveniens notitia pellit; ut ei propterea *purgationis* vocabulum sit inditum.

Quæres primo, *An singuli Angeli propria habeant nomina?*

Respondeo: verisimilius videri singulis quibusdam Angelis assignata fuisse a Deo propria nomina; non quidem ut per illa ab aliis Beatis cognoscantur, ut docet S. Gregorius, *Homilia de centum ovibus*, sed ut inter colloquendum illis utantur Beati, nam post judicii diem alii Beati de aliis et de Angelis loquentur; ergo eorum nomina usurpent necesse est, et nunc tam animæ beatæ, quam Angeli, de quocumque loquantur, egent nominibus ob eamdem causam. Et quod de Angelis bonis dicimus, idem de malis judicandum, alias frustra quemdam dæmonem interrogasset Christus quodnam esset ejus nomen.

Sanctorum autem Angelorum tantum septem sunt, quorum nomina memorantur a Catholicis Scriptoribus, suntque *Michaël*, *Gabriel*, *Raphaël*, *Uriel*, *Salathiel*, sive *Sealtiel*, *Jehudiel*, et *Barachiel*, ut probant Serarius in 12. cap. Tobiæ, et Salmeron tom. 3. Hi pluribus appellationibus mysticis designantur a sacra Scriptura; nam Apocal. 4. dicuntur *septem lampades ante thronum Dei;* quia summa claritate refulgent, et eos ad quos mittuntur insigni quodam splendore collustrant, cujus rei Symbolum exhibuit Angelus, qui cum astitit Petro, *Lumen refulsit in habitaculo, Act.* 12. Et in eadem Apocal. S. Joann. ait: *Vidi agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Dicuntur autem *cornua,* quia sunt fortissimi ad profligandos dæmones, ad tutamdam Ecclesiam, ad patranda miracula, ad defensionem justorum, et vindictam impiorum: iidem vocantur *oculi*, quia perspicacissimi sunt, et vigilantissimi ad Dei voluntatem cognoscendam, et explendam, ad Ecclesiæ, et hominum salutem procurandam; unde de his dicitur apud Zach. 4. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram:* de his quoque habetur in eadem Apocal. c. 8. *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.* Et alibi ejusdem libri septem Angeli memorantur quasi curam habentes universæ terræ. Hinc Tobiæ 2. Raphael se ex illis septem dicebat: *Ego sum,* inquit, *Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Dicuntur autem adstare ante Dominum, vel in conspectu Dei metaphorice, ad eum modum quo Ministri præsto sunt Principi, et parati ad ejus mandata excipienda, et obeunda, et hoc etiam indicat quantum sint Deo familiares, adstare enim videtur familiaritatem quamdam significare, nam de familiaribus Salomonis Regina Saba in lib. Reg. 3. cap. 10. dicit: *Beati servi tui, quia stant coram te semper;* quia proprium est familiarium, et stipatorum adstare Principi, Principis vero sedere. Ista omnia confirmat Clem. Alex. lib. 6. Strom. ad finem. *Septem*, inquit, *sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes, ob sua munia nomen Dei secum præferentes.*

Horum autem nominum peculiaris significatio ita deducitur: *Michaël* interpretatur *quis ut Deus?* quod quidem nomen fuit illi impositum postquam generoso animo Luciferum debellavit, et a Cælo empyreo cum suis malis expulit, et pro hominibus contra illum quotidie pugnat, et quia etiam Dei honorem, maximamque ejus gloriam defendit, et tue-

tur, nec permittit de ea quidquam quamvis minimum sit detrahi. Aliqui alii addunt ipsum præesse precibus, et oblationibus fidelium, et ob eam rationem vocari Michaëlem, idest, *quis ut Deus?* quasi diceret: solius Dei est exaudire preces pœnitentium, eorumque peccatis propitiari, necnon illos justificare, et salvare. — *Gabriel*, idest, *fortitudo Dei*, quia fortia Dei gesta, et bella annuntiavit Danieli, beatæ Virgini, etc. Rursum Gabriel dicitur Hebraice *Geberel*, idest *vir Deus*, quasi diceret: Deus incarnabitur, eritque homo quantum ad naturam, ac ætatis et corporis progressum: idem tamen erit vir, quia a primo conceptionis instanti, anima ejus erit plena omni scientia, gratia, fortitudine, etc. juxta illud Jeremiæ 31. *Fœmina circumdabit virum.* — *Raphael*, idest *Medicus*, vel *medicina Dei*, quia præest sanitati corporum. Unde Tobiæ cæcitatem curavit, et medelam spiritualem et corporalem nobis potest impetrare. — *Uriel*, idest *lux*, vel *ignis Dei*, quia homines Dei cognitione illuminat, et amore inflammat. — *Salathiel*, sive Sealtiel, idest *oratio Dei*, quia pro hominibus orat, illosque ad adorandum excitat. — *Jehudiel*, idest *Confessio*, seu *laus Dei*, quia homines ad confessionem, et laudem Dei exhortatur. — *Barachiel*, idest *benedictio Dei*, quia beneficia Dei nobis procurat, nosque ad Dei benedictionem et gratiarum actionem impellit. — Tres ultimi nulla traditione notantur, sed ab Hebræo accepta ad nos pervenerunt. Urielis mentio est apud Esdram lib. 4., sed hic liber non recensetur inter Canonicos; Salathiel, Gehudiel, et Barachiel, ab *Antonio Duca* viro egregio, qui floruit tempore Pauli tertii Pontif. Max. in Hymno de septem Angelis assistentibus celebrantur. Verum sive illis, sive aliis nominibus sint appellandi, certo certius est, quod sunt septem Angeli principes aulæ cælestis, qui stant in conspectu Dei, et quibus cura universæ terræ demandatur.

Hi porro SS. Angeli excitant nos ad amplectendas virtutes septem, totidem peccatis capitalibus oppositas, quæ sunt: humilitas, patientia, liberalitas, castitas, temperantia, diligentia, et charitas; et qui septem præcipui illi Angeli sunt ex ordine Seraphinorum, ut statim dicemus; propterea eorum speciale munus, et officium est septem præcipuos dæmones e Cœlo lapsos compescere, qui ad septem illa capitalia peccata perpetranda continuis suggestionibus nos inducunt, et heu! sæpe illis nos succumbere faciunt. At quinam sunt illi Principes angeli mali a Lucifero deputati ad tot suggerenda mala? S. Bern. in serm. 13. in Psalm. *qui habitat*, eos recenset. *Primus*, inquit, est Leviathan, Princeps superbiæ: *Secundus* Beerith, Princeps iræ: *Tertius* Mammon, Princeps avaritiæ: *Quartus* Beelzebuth, Princeps invidiæ: *Quintus* Asmodæus, Princeps luxuriæ: *Sextus* Beelphegor, Princeps gulæ, et *Septimus* Astaroth, Princeps acediæ, seu pigritiæ. Cum igitur hæc ita sint, Deus qui sua benignitate, et ineffabili bonitate vult omnium nostrorum salutem, totidem Principes ex Angelis bonis seligere, et instituere voluit, ut impios horum septem dæmonum adversum nos impetus retunderent. His adde, quod ultra quatuor primos Angelos ex septem prænominatis, venerabilis Beda in Collectaneis, duorum aliorum, videlicet *Rumielis*, et *Phanielis* meminit, seipsumque eis commendat his verbis: *Gabriel esto mihi logica: Michael esto mihi balteus; Raphael esto mihi scutum: Uriel esto mihi protector; Rumiel esto*

mihi defensor, Phaniel esto mihi securitas. Præter ista autem nomina addunt aliqui *Nurielem, Zamaelem, Zadeielem, et Caphzielem.* Sunt etiam aliqui ex præmemoratis, necnon et alii nominati in libro secundo Sybillinorum versuum, qui referuntur in tomo secundo Bibliothecæ Sanctorum Patrum:

Tunc Eromiel, Uriel, Samiel, Azaelque,
Quæ mala quisque hominum patraverit, ante scientes
E terris animas tenebris caliginis omnes
Judicio sistent, ad formidabile patris
Magni immortalis solium.

Verum quoniam hæc nomina, nec ex Scripturis inferuntur, nec a SS. PP. referuntur, idcirco nec usurpanda, nec invocanda sunt; maxime cum vocum novitates proscripserit S. Apostolus, et Concilium Romanum celebratum anno Domini 745., sub Zacharia summo Pontifice, damnaverit orationem cujusdam Aldeberti, in qua octo nomina Angelorum invocans dicebat: *Precor vos, et conjuro vos, et supplico me ad vos Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tabuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Limihel.* Qua lecta oratione dixit Zacharias Papa: « hæc no- « mina præter Michaelis, omnia sunt nomina dæmonum. Quid aliud « agendum nisi ut omnia quæ lecta sunt igni concrementur? annue- « runtque omnes Episcopi dicentes, non plusquam trium Angelorum « nomina agnoscimus, idest, Gabriel, Michael, Raphael ». Ita legimus in Actis Concilii. Atque hinc infert Baronius perspicuo intelligit librum quartum Esdræ nomine vulgatum, in quo frequens est mentio Angeli Urielis, ab Ecclesia Romana proscriptum penitusque rejectum. ✻ " Similis farinæ reputanda sunt ea quæ refert Rabbi Benidior in præfatione quam præmisit commentario super librum *Jetsira,* i. e. De creatione, ubi profert nomina eorum angelorum quos Thalmudistæ fabulantur fuisse magistros et præceptores Patriarcharum. Dicunt enim angelum *Raziel* fuisse doctorem et præceptorem Adami, *Jophiël* Semi, *Zaclekiël* Abrahami, *Raphaël* Isaaci, *Peliël* Jacobi, *Gabriël* Josephi, *Metraton* Moysi, *Malathiël* Eliæ. Adjicit idem auctor eorum præceptorum et doctorum quemlibet suum discipulum voce aut scripto Cabbalam seu traditionem docuisse, a quibus propagata fuerit in populo Dei. Sic angelus Raziël v. g. Adami pedagogus, ei consignavit ex parte Dei librum in quo sublimioris et abstrusioris sapientiæ arcana continebantur, cujus mirandi libri mentio in Zohar super Genesim. Verum hæc omnia nugæ sunt rabbinicæ, quibus nulla fides. " ✻

DISPUTATIO SECUNDA.

DE FACULTATIBUS, ET OPERATIONIBUS ANGELORUM.

Cum Angeli rerum omnium creatarum fastigium, et primas teneant, Deique majestatem, et præcellentias in se delineatas perfectius referant; etiam Dei instar triplici facultate et operatione donantur; nimirum intellectiva, volitiva, et effectiva; per quarum primam, veritatem omnem tam creatam quam increatam percipiunt: per secundam circa

bonum quodlibet avidissime feruntur, illoque veluti divino nectare recreantur: per tertiam vero tam seipsos quam cætera a se distincta movent, et locum occupant, ac per quælibet spatia quam citissime feruntur. Ut itaque harum facultatum, et operationum Angelicarum quantulamcumque notitiam possimus assequi, præsentem Disputationem tribus Articulis absolvemus. *Primus*, Angelorum vim intellectivam perspicacemque eorum cognitionem refert. *Secundus*, eorum voluntatem ejusque actus explicabit. *Tertius* denique, virtutem motivam qua seipsos, et alia movere possunt, ac subinde ipsorum motum localem, et ipsius motus terminum, nempe locum, seu ipsorum ubificationem, et consistentiam in loco declarabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INTELLECTU, ET COGNITIONE ANGELORUM.

Nemini dubium esse potest Angelos esse præditos intelligendi virtute, quippe cum sint substantiæ immateriales, liberi arbitrii compotes, perfectæ beatitudinis capaces, Deique imaginem, et similitudinem præstantissime referentes, quæ tot sunt veluti demonstrationes, et argumenta quibus in eis virtutem intellectivam esse suadetur, et evincitur. Constat pariter tantam esse tamque eximiam eorum sapientiam, et scientiam, ut non immerito Sophronius eos vocaverit *cognitionis fontes, et scaturigines*, quorum comparatione, exigua sane (quamquam sublimis videatur) est omnium hominum notitia. Etenim hæc etiam ipsa quæ nos scire arbitramur, parum profunde, imperfecte, et tantum in cortice vel superficie percipimus, necnon cum magna ingenii tarditate, et diuturno labore, ac non modica molestia modicum illud imperfectæ nostræ scientiæ assequimur. Hinc Hypocrates doctissimum librum suum Aphorismorum longa rerum experientia, et observatione conscriptum his verbis exorditur: *Vita brevis, ars longa, tempus præceps, experimentum difficile:* Angelicus vero intellectus summa facilitate, celeritate maxima, ac incredibili perspicacitate rerum omnium notitiam plenissime obtinet; et quæ tot Philosophi multis exantlatis laboribus non fuerunt adepti, ille sine labore assequitur. Quapropter nomine *intelligentiæ* Angeli donantur a Philosophis, nihil enim est in mundo, cum materia coneretum vel ab ea sejunctum, incorruptibile aut caducum, tempore finitum aut sempiternum, quod non intime, distincte, et penitissime intelligant ac percipiant. Itaque non opus est ampliori commendatione angelicum intellectum illustrare, solumque nobis incumbit ejus delineare characteres, et operationes: quapropter præsens Articulus quatuor potissimum Quæstionibus absolvetur, quarum *Prima* ipsius intellectus angelici vim aperiet: *Secunda* modum operandi illius declarabit: *Tertia* objectum cognitionis angelicæ proponet: *Quarta* denique diversas ejusdem cognitionis species explanabit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIS, ET QUALIS SIT INTELLECTUS ANGELICUS.

Conveniunt omnes Auctores Angelos esse cognitione intellectuali præditos; dissentiunt vero circa principium ejus intellectionis: quidam enim volunt Angelos intelligere per ipsammet suam substantiam, et essentiam, ut docuisse videtur Commentator 12. Metaph. text. 52., ubi affirmat quod in substantiis separatis essentia, et operatio non est quid distinctum, ac proinde quod intelligere Angeli sit ipsamet ejus substantia. Durandus vero in 2. distinct. 3. quæst. 5. asserit quod licet intellectio ista, qua Angelus intelligit alia a se realiter, distincta sit ab ejus substantia; illa tamen qua seipsum cognoscit, prorsus est indistincta. Thomistæ contendunt intelligere angelicum esse distinctum realiter ab ejus substantia; quippe cum sit purum accidens. Verum Subtilis Doctoris Discipuli cum eo volunt intellectum angelicum, sicut et humanum, esse virtutem formaliter solum distinctam a substantia ipsius Angeli vel animæ, elicitivam tamen intellectionis realiter distinctæ. Quocirca tria maxime sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum*, quod Angelus non intelligat per suammet substantiam, sed per vim intellectivam formaliter a sua substantia et essentia distinctam. *Secundum*, quod illa vis intellectiva habeat rationem intellectus agentis, et possibilis. *Tertium*, quod intellectus angelicus fiat intelligens formaliter per verbum mentis a se productum.

Notandum 1. Hoc esse discrimen inter intellectum, et intellectionem, quod ille sit actus primus intelligendi, seu virtus, et activitas substantiæ spiritualis ad percipiendum, et cognoscendum objectum intelligibile; hæc autem est actus secundus, seu ipsamet operatio substantiæ spiritualis, qua de facto objectum intelligibile percipit. Ille autem dicitur *actus primus*, quia nimirum est prima ratio cur substantia spiritualis sit capax percipiendi objectum intelligibile; hæc vero dicitur *actus secundus*, quia nimirum emanat ab ipsamet vi, et capacitate intelligendi, velut effectus a causa. Unde prior non solum dicitur *actus*, sed etiam *potentia*, eo quod ordinetur ad ulteriorem actum qui ab eo emanat, et eum ultimo perficit: posterior vero simpliciter *actus* nominatur, quia nimirum est ipsius virtutis intellectivæ quasi forma eam ultimo perficiens in ratione intelligendi.

Notandum 2. Duobus modis *intellectum agentem* dici posse. *Primo* late prout est facultas quomodocumque activa, sive productiva propriorum actuum, sive specierum vel habituum intellectualium; et hoc sensu nemo Theologorum negat esse in Angelis intellectum agentem. *Secundo*, stricte, prout est facultas solum, et immediate productiva specierum intelligibilium in intellectu possibili carente illis, sive abstrahendo species illas a phantasmate, sive agendo aliter. ✳ " Igitur intellectus agens est interna facultas animæ per modum principii intellectivi in actu primo; ideo ipsum *activum* et *factivum* appellat Aristoteles lib. 3. *De anima*, *textu* 17 et 18, ubi scribit, *intellectum agentem omnia facere, et possibile omnia fieri*, ut observat Subtilis Doctor Quodlibet. 5. arte. 1. Hujus autem intellectus agentis duo præsertim sunt munia, nimirum illuminare et præparare species intelligibiles.

Hæc autem illuminatio non est præcise solum respectu phantasmatis a sensibus hausti et intellectui præsentati, sed etiam respectu speciei intelligibilis, undecumque illa veniat, et intellectus possibilis, quatenus ei species ad intelligendum obligatur, quod utique indicat Doctor in primum dist. 3. quæst. 6. ubi scribit, *intellectum agentem nihil revera causare in phantasmate per illustrationem; sed tantum in intellectu possibili imprimendo speciem intelligibilem.* Itaque licet nullum adesset phantasma illustrandum ab intellectu, nihilominus hoc illius munus adhuc subsisteret respectu specierum intelligibilium. Quod utique confirmat Aristoteles loco laudato, textu 28. cum scribit: *intellectum agentem se habere ad intelligibilia, sicut lumen ad colores quos facit visibiles in actu*, cum tantum essent visibiles in potentia. Itaque sicut lux illustrat colores, et ipsammet visivam potentiam, ita et intellectus agens, etiam secluso phantasmate, illuminat species intelligibiles excitando eas, et proponendo illas expeditas in actu primo ad intelligendum intellectui possibili, qui ab eo dicitur illuminari, quia principium intellectionis suæ accipit ab illo. Unde apparet secundum munus illius intellectus agentis. Utrum vero ipse intellectus agens intellectionem producat etiam in actu secundo, non levis est inter quosdam Scotistas controversia, ut videre est apud Mastrium disput. 6. *De anima*, quæst. 5. art. 3. At cum de his egerimus in Physicis, ab ampliori hac de re disquisitione supersedimus. Ex his autem apparet alterum munus ipsius intellectus agentis, nimirum præparare species intelligibiles, eas illustrando et efficiendo idoneas ut in intellectu patiente recipiantur. " * — Similiter *intellectus possibilis* vel patiens dupliciter accipitur: *Primo* late, pro facultate quomodocumque passiva, et receptiva, vel existente in potentia ad patiendum, et recipiendum. Sicque intellectus Angelorum est passibilis quatenus est in potentia ad actus proprios, et species, et habitus intellectuales, qui ex ipso educuntur, et in eodem recipiuntur. Atque eo sensu S. Bonaventura *in secundo, distinct.* 3. intellectum Angelorum possibilem vocat. *Secundo* stricte, prout sumitur ab Aristotele lib. *De anima c.* 4. pro facultate quæ sit prius nuda potentia in genere intelligibilium, posteaque fiat omnia intelligibilia per susceptionem specierum vel verbi mentis.

Notandum 3. Intellectionem inchoative consistere in illa intellectus actione qua producit eam qualitatem quæ *verbum mentis* dicitur; *consummative* autem in ejusdem qualitatis receptione: in eo siquidem formaliter consistit intellectio, quod intellectum assimilat rei intellectæ, eumque formaliter intelligentem efficit: sed id præstatur inchoative per actionem illam verbi mentis productivam, complete vero per ejusdem verbi receptionem; illa siquidem qualitas, cum sit rei intellectæ expressa similitudo, proculdubio intellectum informando, et ei adhærendo cum objecto cognito assimilabit, ac proinde complete intelligentem efficiet. Est autem verbum mentis *actus intelligentiæ productus a memoria fœcunda non habens esse nisi dependenter ab actuali cognitione;* ita Doctor in primum dist. 27. q. 3. Dicitur primo *actus intelligentiæ*, quia constituit animam formaliter intelligentem, sicut calor constituit calidum. Secundo *a memoria fœcunda*, idest, ab intellectu informato, et quasi gravido specie intelligibili objecti. Tertio

non habens esse nisi dependenter ab actuali cogitatione, quia est ipsamet completa intellectio.

Conclusio prima. — ANGELUS NON INTELLIGIT PER SUAMMET SUBSTANTIAM, SED PER VIRTUTEM AB IPSA SUBSTANTIA SALTEM FORMALITER DISTINCTAM, QUAM INTELLECTUM APPELLAMUS. Hæc duas partes complectitur, quarum

Probatur prima, primo quidem auctoritate SS. Patrum, nam S. Dionysius lib. *De cœlesti Hierarchia* cap. 11. distinguit in summis Spiritibus substantiam, virtutem, et operationem, *In tria*, inquit, *omnes divinæ Mentes cœlesti ratione sua divisæ sunt, in Essentiam, in Virtutem, et in Actionem*. Et S. Anselmus libro *De conceptione originali* cap. 4., hæc tria similiter distinguit. Et libro *De casu Diaboli* cap. 8. affirmat voluntatem Angeli non esse substantiam, licet sit aliqua essentia. Et S. Augustinus lib. 6. *De Trinitate* cap. 6. dicit animam humanam deficere a simplicitate divina, propter multitudinem operationum, et virtutum.

Probatur etiam ratione: si substantia Angeli esset suum intelligere, esset etiam actus purus, quia sibi identificaret ultimam actualitatem ordinis intellectualis, ac proinde nihil haberet potentialitatis admixtum: sed nulla substantia creata potest esse actus purus: ergo substantia Angeli non potest esse suum intelligere. *Secundo*, si substantia Angeli esset ei ratio cognoscendi omnia, sequeretur quod Angelus semper, et necessario intelligeret omnia: at certum est, ut patebit infra, Angelum non omnia intelligere vel necessario, vel semper, et aliqua posse fugere cognitionem ejus: ergo Angelus non intelligit omnia a seipso distincta per suam substantiam. *Tertio* denique, si Angelus per suam substantiam esset sui ipsius intellectio, etiam per suam substantiam foret sui ipsius amor; etenim inter intellectionem, et amorem naturalis est proportio: sed Angelus esse nequit essentialiter ac substantialiter sui amor: ergo nec sui intellectio. *Minor* probatur: si enim Angelus esset amor sui per substantiam, talis amor esset essentialiter ac invariabiliter rectus in Angelo: sed hoc dici nequit: ergo nec illud. Sequela *majoris* patet; tota siquidem substantia Angeli est creata a solo Deo; quæ autem a solo Deo sunt, necessario, et essentialiter ordinata sunt. *Minor* vero suadetur; nam Angeli mali non habent rectum et ordinatum sui amorem; cum rectus et ordinatus sui amor non possit subsistere cum peccato, et odio Dei; unde Psalmo 10. dicitur: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam:* ergo in Angelis amor sui non est essentialiter, et invariabiliter rectus.

Probatur secunda pars a Doctore in secundum distinct. 15. ubi demonstrat facultates animæ non esse realiter ab ipsa distinctas, illis omnibus rationibus philosophicis, quas in nostra Philosophia *quæst.* 3. *conclusione* 2. *de Anima* jam expendimus. Sufficit itaque nunc illam veritatem firmare SS. Patrum oraculis. In primis itaque S. Augustinus lib. 1. *De Trinitate* cap. 11. hæc habet: *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia, et voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ, sed una substantia:* ergo illæ facultates non sunt accidentia seu qualitates realiter ab anima diversæ, ut volunt Thomistæ. Insuper S. Ber-

nardus sermone 11. *Super Cantica* dicit: *Quædam in anima intueor, memoriam, intelligentiam, et voluntatem, et hæc tria ipsa anima sunt:* sed quod est distinctum realiter ab anima, non est ipsa anima. Denique Hugo Victorinus lib. *De Spiritu, et anima*, hæc habet: *Anima secundum sua opera variis nominibus nuncupatur, dicitur namque* anima *dum vegetat,* sensus *dum sentit,* animus *dum sapit,* mens *dum intelligit, etc.: ista vero non differunt in substantia quemadmodum et in nominibus, quoniam omnia una essentia, proprietates quidem diversæ.* His constat intellectum humanum revera ab essentia animæ esse distinctum; non quidem realiter, nec nomine tenus; adeoque est tantum formaliter ab animæ substantia diversus. Sed eadem est ratio de intellectu angelico, ut patet, adeoque constat ipsum non realiter, sed formaliter esse distinctum ab essentia.

Dices 1: Angeli sunt puri actus, et intellectivi essentialiter: ergo nihil distinctum a sua substantia possunt recipere quod cum illorum intellectu efficiat cognitionem rerum ab illis distinctarum; sed sola eorum substantia supplebit ejusmodi medium. — **Distinguo:** Angeli sunt puri actus, puritate excludente solam materiam, cum qua recte potest aliqua forma spiritalis in illis recepta consistere, quæ cum illorum intellectu efficiat in illis cognitionem rerum omnium ab illis distinctarum; similiter sunt essentialiter cognoscitivi, et intellectivi in actu primo et radicali, concedo: sunt actus puri puritate excludente potentialitatem facultatis; similiter sunt in actu proximo, et in actuali cognitione, quæ sit de intrinseco conceptu illorum, nego; hoc enim esse nequit ex præcisa ratione creaturæ, quam Angeli intrinsece includunt, et quæ necessario admittit compositionem ex actu et potentia.

Dices 2: Idcirco anima nostra non intelligit per substantiam nec est sua intellectio, quia est intelligens solum in potentia, eo quod ita sit conjuncta corpori, et ita ab ipso pendeat in operando, ut nonnisi eo mediante rerum species acquirat, et per eas constituatur intelligens: ergo cum Angelus non sit intelligens solum in potentia, sed actu, consequens est ut sit ipsa sua intellectio, seu quod sit intelligens per seipsum. — **Respondeo** *concesso antecedente*, negando consequentiam, natura enim intellectualis tripliciter se habere potest ad suam intellectionem: *primo*, ita ut sit intelligens solum in potentia: *secundo*, ita ut actu intelligat, sed per actum distinctum ab ipsa: *tertio*, per actum, qui sit eadem natura intelligentis. Primum, et secundum conveniunt animæ nostræ, et Angelis: tertium vero est proprium Deo, qui est actus purus. Unde negari debet consequentia simul cum suo antecedente.

Conclusio secunda. — Admittendus est in Angelo intellectus agens et patiens proprie dictus. Hæc est Doctoris in secundum distinctione tertia quæst. 11. n. 4. Eamque sic

Probat. 1. Omnis activa potentia, quæ absque imperfectione tribuitur naturæ inferiori, non est deneganda superiori: sed intellectus agens in hominibus, qui sunt Angelis inferiores, est ejusmodi: ergo non est Angelis denegandus. *Major*, et consequentia per se constant. *Minor* probatur: maxima est perfectio in qualibet natura quod habeat

in se virtutem, et principium, quo sibi convenientem perfectionem possit acquirere, si eam aliunde non habeat: sed intellectus agens est principium, per quod homo potest assequi veram notitiam, et scientiam, quæ est summa sui intellectus perfectio: ergo perfectionis est in homine habere intellectum agentem. — *Confirmatur:* natura nobilissima debet in se eas complecti virtutes, quibus suam assequi possit perfectionem, si aliunde eam non habeat: ergo natura angelica, quæ omnium rerum creatarum primas tenet, debet in se habere principium, quo possit sibi comparare cognitionem rerum universalium, si eas ab initio suæ formationis jam non novisset per sibi inditas a Deo earum species, quo pariter possit acquirere cognitionem plurium rerum singularium, quarum notitiam non habet congenitam. Patet antecedens, necnon et consequentia; rerum etenim cognitio est Angeli perfectio, quam nonnisi intellectus agentis beneficio sibi comparare potest.

Reponunt Thomistæ *majorem* argumenti esse quidem veram de perfectione simpliciter, quæ nullam in suo conceptu imperfectionem includit, et præsupponit, falsam autem de perfectione illa, quæ tantum comparatur ad supplendam imperfectionem: intellectus autem agens (inquiunt) non est perfectio simpliciter, sed tantum conceditur in homine ad supplendam in eo imperfectionem, nempe carentiam cognitionis rerum, quam tenetur emendicare a rebus ipsis dependenter a phantasmatibus, qua imperfectione cum careant Angeli, etiam in eis non est admittendus ille intellectus agens, sicut nec admittitur in eis generatio, quæ tamen in hominibus perfectionem importat, nempe speciei propagationem. — **Contra**, qua ratione admittitur intellectus agens in hominibus, eadem concedi debet in Angelis; quamquam enim rerum præstantissimarum habeant species sibi concreatas, tamen rerum omnium, maxime singularium, notitiam sibi congenitam non obtinent; adeoque vel eam sibi comparare possunt, et sic egent intellectu agente; vel si non possint, haud dubie sunt deterioris conditionis, quam homines: nam illa natura perfectior censenda est, quæ cum non habeat ab intrinseco suam perfectionem, habet tamen facultates, et vires naturales, quibus eam possit acquirere. *Deinde,* quamvis Angeli ab eorum formationis exordio habuissent sibi concreatas rerum omnium etiam materialium, et singularium species, non minus tamen habere deberent intellectum agentem et passibilem: nam (inquit Doctor) licet Christus Dominus rerum omnium cognitionem habuerit ab instanti suæ conceptionis, omniaque viderit in Verbo, nihilominus habuit intellectum agentem et passibilem, alioqui perfectus homo non extitisset, quippe cum non habuisset utrumque illum intellectum, quem in omnibus hominibus etiam Adversarii concedunt. *Denique* actio, qua agens superioris ordinis prævenit operationem agentis inferioris, non aufert ab eo potentiam activam respectu suæ operationis; si enim Deus nunc crearet aquam, cui calorem inderet, eumque continuo servaret, non propterea diceretur aquam spoliasse sua virtute frigefactiva: etenim si Deus decerneret eum calorem conservare, statim aqua ex se sibi naturaliter debitum frigus compararet non minori facilitate, quam ipsum frigus repetit, ubi semovetur ab igne, qui in eam calorem induxerat. Ergo a simili, quamquam Deus

indiderit Angelis species rerum statim ab eorum creatione, non propterea dici debet eis abstulisse intellectum agentem, quibus ea possent comparare, si tales species in eis conservare desineret. Nec quidquam juvat exemplum de generatione; siquidem imperfectio, ad quam tollendam, vel supplendam conceditur generatio, nempe corruptibilitas, non reperitur in Angelis, adeoque nec reperiri debet illius reparativa generatio. Secus est autem de intellectu agente; siquidem imperfectio, quam tollit, et supplet, nempe carentiam notitiæ plurium rerum, maxime singularium et materialium, æque reperitur in Angelis ac in homine: ergo in utrisque est admittendus.

Reponunt 2. Præfatum Doctoris Subtilis argumentum concludere quidem in rebus, quæ non habent perfectiones sibi coævas, non tamen in eis, quæ ex natura sua, et a sua origine perfectiones sibi vindicant, quales sunt Angeli: quod probant exemplo cælorum, qui cum habeant naturales perfectiones sibi congenitas, frustra ponerentur in eis virtutes, et instrumenta, quibus ipsas possent assequi. — **Verum hæc responsio** Doctoris Subtilis argumentum nec infirmat, nec frangit; aliquid enim potest dici habere sibi coævam suam perfectionem alterutro ex his tribus modis: primo scilicet quia talis perfectio ex ejus natura, et principiis intrinsecis emanat, sicut ex natura hominis risibilitas oritur, et ex substantia animæ facultates erumpunt: secundo, quod cum talis perfectio ab aliqua virtute naturali produci nequeat, necessario exigat causari ab Auctore naturæ cum ipsa re, quæ producitur; sicut v. g. Cælorum qualitates, quæ a causis naturalibus produci nequeunt, ab ipsorum Administratore et Auctore cum Cælis ipsis formari debuerunt: tertio denique, aliquid dici potest habere coævam sibi perfectionem ex beneplacito Creatoris volentis ipsi tribuere illam perfectionem ab ipso formationis exordio, quam tamen res ipsa propriis viribus, et temporum decursu sibi posset comparare: sicut anima Christi habuit sibi coævam rerum omnium cognitionem ab ipsius conceptionis initio per infusas sibi divinitus species, quas successu temporis potuisset sibi comparare. Quibus præmissis, dico, quod natura, quæ vel primo, vel secundo modo habet sibi coævam suam perfectionem, non indiget equidem mediis, vel instrumentis, quibus eam possit assequi, quippe cum perfectiones illæ, vel ab ipsius substantia oriantur, vel ab Auctore naturæ fuerint ipsi concessæ: quæ vero tantum hanc perfectionem tertio modo obtinet, nempe ex beneplacito et arbitrio Auctoris naturæ eam pro libito concedentis, quam tamen res aliunde posset sibi vindicare, nego quod ad eam obtinendam res ipsa habere non deberet facultates et virtutes intrinsecas, quibus illam perfectionem sibi vindicare posset, si ab Auctore naturæ primitus non fuissent concessæ. Cum igitur Angelus habeat notitiam rerum universalium sibi coævam tantum hoc tertio modo, non videntur ipsi denegandæ facultates, quibus illam possent assequi, si Deus illi hanc notitiam non indidisset.

Probat 2. Doctor Conclusionem ratione ipsa, qua S. Thomas oppositum Conclusionis stabilitæ contenderat, quam vero Doctor deducit in oppositum. Objectum adæquatum intellectus Angelici vel est quid singulare, vel quid universale per prædicationem, ita quod complectatur sub se omnia prorsus intelligibilia: non primum; res enim sin-

gularis creata, quantumvis perfecta, continere nequit formaliter, aut eminenter omnia intelligibilia ab Angelo: objectum autem primum, et adæquatum alicujus facultatis omnia, quæ ab ipsa percipi possunt continere debet formaliter, aut eminenter, adeoque objectum intellectus Angelici necessario debet esse aliquid universale et commune per prædicationem et attributionem: ita quod sub se contineat omnia intelligibilia ab Angelo, sive immaterialia, sive materialia: sed objecta sensibilia non sunt proxime et actu intelligibilia: ergo ut illa percipiat angelus, necessario indiget intellectu agente, cujus virtute, et operatione possit a rebus ipsis materialibus species excipere, easque proxime, et actu intelligibiles efficere.

Reponunt Thomistæ, objectum adæquatum intellectus angelici non esse quid abstractum a sensibilibus, sed tantum speciem universalem naturaliter inditam intellectui angélico, qua percipere potest res singulares, sive materiales, sive immateriales. — **Contra** primo, falsum est dari tales species universales ejusmodi rerum singularium expressivas, ut infra demonstrabimus. Secundo, objectum adæquatum intellectus angelici, quod est commune per prædicationem iis omnibus, quæ ab Angelo cognosci possunt; vel sic est commune, ut conveniat omnibus rebus intelligibilibus, sive materialibus, sive immaterialibus; vel quod tantum rebus immaterialibus quadret. Non secundum, quia sequeretur res materiales, et corporeas, v. g. cælos et elementa non posse ab Angelis cognosci, nulla enim facultas versatur circa id quod sub objecto suo adæquato non comprehenditur. Si vero primum admittas, cum sensibilia, et materialia non sint per se proxime, et actu intelligibilia, quia non sunt proportionata objecta facultati pure intellectuali, necessum erit ad ea percipienda, quod Angelus habeat intellectum agentem, quo mediante species a rebus ipsis materialibus excipiat, et earum ope res ipsas materiales cognoscere possit, si earum notitiam aliunde sibi inditam non haberet.

Probat 3. Doctor: in Angelo admittendus est intellectus passibilis: ergo et intellectus agens. Patet consequentia; intellectus enim non dicitur passibilis, nisi respectu agentis: ergo admisso uno, alter est necessario admittendus. Probatur antecedens: intellectus Angeli recipit species, quas Deus ab initio suæ formationis indidit: ergo habet in se potentiam, et facultatem earum specierum receptivam. Antecedens admittunt Thomistæ; necessum est ergo etiam consequentiam admittant, omne siquidem recipiens formam aliquam opus est habeat potentiam receptivam ejusdem formæ; nec refert, quod recipiens non præcedat duratione, sed tántum natura, formæ receptionem; nam si Deus animæ nostræ concreasset species omnium intelligibilium, nihilominus in ea esset potentia receptiva, quam intellectum patientem appellamus, adeoque non est necessum, quod recipiens tempore præcedat formam in se receptam, ut dicatur habere facultatem ejus receptivam.

Reponunt Thomistæ, quod licet in Angelis admittatur illa facultas receptiva specierum, vocari tamen non potest intellectus possibilis, quia est semper sub actu, et nunquam sub statu potentiæ ad ipsum actum ordinatæ. — **Contra**, Angelus revera potest recipere species plurium rerum, puta singularium, quas a primordio suæ formationis non habuit: ergo saltem respectu ipsarum habebit potentiam, quæ intellectus

possibilis appellatur. Consequentia patet ex terminis: antecedens probabitur inferius, suadeturque nunc ex eo, quod Deus potuit non tot concedere species infimo Angelo quot superiori contulit; adeoque inferior ille Angelus illas species sibi non coævas de novo recipere poterit, vel ab ipso Deo, vel a superioribus Angelis ipsum illuminantibus, et consequenter respectu earum habebit potentiam receptivam, quia vere erit in potentia ad notitiam illarum rerum, quarum species de novo excipit: sicque habebit vere intellectum possibilem. Deinde non opus est ad hoc ut potentia proprie dicatur receptiva, quod aliquando non sit sub actu, seu quod actualiter non habeat formam, ad quam ordinatur; sed sufficit quod naturaliter illa forma destitui possit. Etenim materia cæli et elementorum est coæva suis formis, nec usquam extitit sine illis; nullus tamen dixerit eam in se non habere potentiam receptivam illarum formarum: ergo a simili quamvis Angelus habuisset ab initio suæ creationis sibi coævas species rerum omnium, non minus propterea dicendus esset habere potentiam earum receptivam, adeoque etiam intellectum possibilem, et consequenter intellectum agentem.

Dices 1: Ideo anima nostra dependet in operando a corpore, quia dependet ab ipso in essendo: sed Angelus non dependet in essendo a corpore: ergo nec in operando: at accipere species a rebus ipsis corporeis est operatio pendens a corpore: ergo illam elicere non potest Angelus, nec consequenter habere intellectum agentem, cujus primarium munus est species cudere, sua corporeitate detæcare, easque spirituales efficere. — **Distinguo majorem**: ideo solum dependet a corpore in operando, quia dependet in essendo ab ipso, nego *majorem*: ideo dependet in operando ab ipso mediantibus sensibus, et phantasmatibus, concedo *majorem*; et concessa *minore*, similiter distinguo consequens: Angelus non dependet a corpore in operando, quasi necessario operari deberet mediantibus sensibus et phantasmatibus corporeis, concedo; non dependet in operando a rebus corporeis, ut ab eis excipiat species, quarum ope res illas corporeas intelligat, nego. Itaque Angelus dependet a corpore non tamquam a principio, et concausa suæ cognitionis, sed tamquam ab objecto, a quo cognitionem rei materialis debet excipere.

Dices 2: Intellectus agens et passibilis solum ita nominantur et distinguuntur per comparationem ad phantasmata: sed in Angelo non sunt ulla phantasmata: ergo nec admitti debent illi intellectus. — **Nego majorem**: proprium enim munus intellectus agentis est cudere species spirituales rerum quas intelligit; unde quando objecta intelligibilia corporea sunt, possuntque solum species corporeas emittere, necessario Angelus ad earum specierum materialium præsentiam spirituales debet effingere, quarum beneficio res ipsas materiales percipiat; nec ad id opus est ullo phantasmate, sicut contingit in nobis, qui cum nihil percipere possimus nisi dependenter a sensibus, hinc est quod intellectus noster phantasmatibus egeat ut ad eorum conspectum rerum intelligibilium imagines spirituales effingat.

✳"Dices 3: Intellectus agens et possibilis dedecent dignitatem naturæ angelicæ: igitur neuter eorum ipsi est attribuendus. Antecedens constat, nam intellectus agens servilis est; illius enim functio et officium in eo potissimum consistit ut conficiat, aut accipiat species, easque in-

star bajuli deferat et ministret intellectui possibili. Hic autem intellectus possibilis ita dictus est, quod patiatur et recipiat istas species, quo prodit suam imperfectionem, nimirum negationem actualitatis; ipsius enim passibilitas seu possibilitas in essendo negat actualitatem et efficaciam, ac subinde suam imbecillitatem et inertiam prodit. — **Nego antecedens**; nam munus species suppeditandi et conferendi non est servilis opera; alioquin Deus dicendus esset serviliter agere et operari, dum rerum species intelligibiles creato intellectui confert et suppeditat. Unde, sic retorqueri potest argumentum: summa dignitas est idipsum exequi, quod Deus ex infinita bonitate et potentia operatur et molitur: at intellectus agens conferendo species id exequitur quod præstat Deus: igitur etc. — *Confirmatur* haec responsio ex eo quod indecorum non sit facultatibus et potentiis sibi invicem opitulari et adminiculari; imo valde honorificum; nemo enim dedecus imputabit intellectui quod voluntati subserviat, eam illustrando, eique proponendo bonum colligendum et malum fugiendum. Neque Angelis superioribus vertitur in opprobrium quod inferioribus ministerium suum impendant, eos illuminando et regendo. Itaque quantum ad *primam partem*, evidens est antecedentis falsitas. Patet etiam quantum *ad secundum;* non enim dedecus est intellectui patienti quod ejus operatio sit quoddam pati, cum enim sit potentia ad intelligendum, quæ non est purus actus ut est Deus, necessum est quod aliunde accipiat principia intelligendi, undequaque illa veniant, sive a Deo concreentur, sive ab intellectu agente subministrentur, sive ab objectis profluant. Igitur nulla ex parte indecorum est quod in angelis admittantur intellectus agens et patiens. " ✻

Cœtera quæ possent objici dissolventur in Quæstione sequenti.

Conclusio tertia. — Intellectus Angelicus discurrere potest, et ex rebus cognitis alias ignotas legitimo discursu concludere. Hæc est Doctoris quæst. 4. et 5. Prologi: et in 2. dist. 1. quæst. 1. numero 3. et dist. 7. num. 7. ubi asserit non videri probabile Angelis esse denegandum omnem discursum: contra S. Thomam qui 1. p. q. 58. art. 3. et alibi docet intellectum Angeli non esse discursivum, ita ut procedat a principiis ad conclusiones seorsim eas intelligendo.

Probat conclusionem Doctor: ideo Angelus non esset discursivus, vel quia non haberet virtutem deducendi conclusiones ex præmissis, ex hypothesi quod conclusiones non essent ipsi notæ; vel quia omnes conclusiones ipsi fuissent notæ ab initio suæ creationis; vel denique quia saltem habitualiter eas novisset ab ipso suæ formationis exordio: sed nullum horum rite potest affirmari. Non quidem *primum*, esset enim imperfectio in Angelo, si non haberet virtutem colligendi ignotum ex cognitis deducibile. Non etiam *secundum;* falsum enim est quod Angelus actu omnes conclusiones simul intellexerit, alias infinita pene cognovisset virtute naturali; infinitæ siquidem sunt propemodum conclusiones ex rebus creatis deducibiles: Angelum autem infinita cognoscere implicat. Non denique *tertium*, quamquam enim habitualiter omnia novisset ab initio, quatenus nempe habuisset habitum ac species divinitus inditas, quibus mediantibus posset pro libito quamcumque cognitionem intelligere; tamen inde non sequeretur quod ex se non

esset discursivus; sicut a pari homines non minus forent discursivi, licet omnes conclusiones per inditas sibi species cognoscerent, ut constat de anima Christi, quæ etsi habuerit notitiam omnium rerum sibi divinitus inditam, non minus vere discursiva extitit, seu vim discurrendi habuit, alioquin per omnia nobis non esset assimilatus in naturalibus.

Probat 2. Doctor: si Angelus discurrere non posset, maxime quia in illa virtute discursiva sequeretur nullum inter ipsum, et animam rationalem esse discrimen: sed hæc ratio nulla est: ergo concedenda est Angelis virtus discursiva. *Major* est præcipua, et fundamentalis ratio S. Thomæ: *Minor* vero probatur: quamquam Angeli, et animæ rationales in virtute discursiva convenirent invicem, non minus aliunde possent specifice distingui: ergo ex eo quod vis discurrendi utrique tribueretur, non sequitur nullum inter utrumque fore discrimen. Probatur antecedens: licet Angeli in sententia Adversariorum non discurrant, non minus invicem specie distinguuntur in ratione intellectivi: ergo a simili licet Angeli, et anima invicem non discreparent per virtutem discursivam, non minus aliunde habere possent differentiam specificam: non enim est major ratio cur intra gradum intellectivi absque discursu possint admitti variæ species distinctæ, quam admittantur intra gradum intellectivi cum discursu.

Objicies 1. SS. Patres expresse negantes in Angelis discursum, eisque simplicem notitiam attribuentes. Sic S. Dionysius c. 7. *De Divinis nominibus* ait: *Simplices, et beatas Intelligentias non indivisibilibus aut divisibilibus, sive sensibus, sive verbis, et rationibus divinam colligere scientiam:* et infra: *Pure spiritualiter, et extra materiam unico divisibilem penetrant:* ergo negat in eis esse multiplicitatem actuum qui in discursu desiderantur. Unde postea de anima nostra subdit: *Per divinam item sapientiam, et animæ ratiocinandi vim habent discursione, et longo habitu ad rerum veritatem admitentes, atque in eo singularibus illis Spiritibus inferiores.* Quibus verbis satis aperte discrimen inter animam et Angelum videtur constituere, quod anima discurrendo, Angelus vero simpliciori modo scientiam obtineat. Subscribit S. Bern. serm. 5. in Cantica, ubi docet Angelos non cognoscere spiritualia ex corporalibus sicut nos ea cognoscimus, sed inquit *sola sua virtute ac vivacitate naturæ, summa et infima penetrant.* — **Respondeo** ex iis SS. Patrum sententiis solum inferri quod Angeli non intelligant divina ex corporalibus, modo corporeo, nempe per phantasmata, nec ea laborant difficultate qua nos plerumque desudamus in colligenda veritate, vel effectuum ex causis, vel causarum ex effectibus, propterea quod utriusque necessaria connexio nobis aperte non affulgeat. Secus autem est de Angelis, nam, ut subdit S. Bernardus loco laudato, *Eo ille cœlestium habitator ingenita subtilitate ac sublimitate sua, omni velocitate facilitateque pertingit.*

Objicies 2. In hoc maxime distingui videntur intellectus angelicus et humanus, quod hic discurrendo, ille simplici intelligentia seu intuitu rerum veritatem deprehendat: unde nostri spiritus rationales solent nominari: Angeli vero sublimes intelligentiæ: ergo revera Angelus non est discursivus. — **Nego antecedens,** in quo certe petitur principium; Angeli enim inter se specie distinguuntur, quamquam in sen-

tentia Adversariorum non sint discursivi; quidni ergo etiam specie distinguerentur ab anima, quamvis eamdem cum ipsa discurrendi virtutem haberent?

Objicies 3. Ita comparantur Angelici Spiritus ad humanos, sicut cælestia corpora ad sublunaria: ergo sicut corpora cælestia distant a terrenis quod hæc sine motu suam perfectionem obtineant, illa vero per motum eam adipiscantur, sic homines indigent discursu, qui est veluti spiritualis motus, ut ad veritatis cognitionem perveniant; cælestes vero Spiritus sine discursu illam intuentur. — **Distinguo antecedens:** comparantur quoad omnia nego: quantum ad aliqua, transeat, possunt enim invicem comparari vel in incorruptibilitate vel in aliqua alia proprietate. Cæteræ rationes D. Thomæ vel petunt principium, vel facile ex præcedentium solutione dissolvi possunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUALITER ANGELI RES INTELLIGANT PER EARUM SPECIES.

Celebris est inter Angelici, et Doctoris Subtilis discipulos controversia hac in resolvenda Quæstione: licet enim Subtilis Doctor in 2. d. 3. q. 10. et 11. concedat Angelum a suæ formationis exordio habuisse sibi divinitus infusas rerum universalium species, imo et eorum individuorum quæ cum ipso tunc temporis extabant, ac proinde eas non acceperit ab ejusmodi objectis; contendit tamen species illorum singularium, quæ decursu temporis producuntur, nec ipsi ab initio fuerunt cognita, mutuari ab ipsismet individuis: imo quod posset etiam Angelus indita sibi intelligendi virtute omnes omnino species ab objectis desumere, si aliunde sibi eas non haberet infusas. Contrariam vero sententiam docet Angelicus Doctor in 2. d. 3. q. 2. art. 1. et 2. contra Gentes c. 96. quem sequuntur omnes ipsius discipuli. Ut autem evidentior appareat hujusce Quæstionis resolutio, præsensque controversia faciliori calculo dirimatur

Notandum 1. Duplicem solito distingui rerum cognitionem, Intuitivam videlicet, et Abstractivam. Intuitiva est cognitio rei præsentis, et moventis ut præsens est in sua actuali existentia. Abstractiva vero est cognitio objecti moventis secundum quod abstrahit ab omni præsentia, et existentia actuali. Hanc autem duplicem cognitionem Angelis inesse fatentur omnes. Primo namque res aliquæ sunt illis præsentes in sua actuali existentia easque intuitive cognoscunt, nec indigent aliqua specie ad eas percipiendas, sufficienter enim ad illam intellectionem concurrit objectum præsens ut causa efficiens cum intellectu, juxta illud vulgare effatum: ab objecto, et potentia paritur omnis notitia. Res vero quæ non sunt præsentes nec per suam actualem existentiam debite proportionatam movent intellectum angelicum ad sui notitiam, eas Angelus tantum abstractive cognoscit, nempe in specie impressa rem ipsam repræsentante. Ut enim objectum concurrat simul cum potentia, inquit Doctor quæst. laudata 10., debet esse præsens vel in se, vel in alio. Objectum autem respectu cognitionis abstractivæ cum non sit in se præsens, necessario debet præsens effici per sui speciem, et imaginem. Unde cognitio intuitiva præcise

est cognitio rei existentis, et moventis intellectum ad sui notitiam quatenus præsens est: abstractiva vero est cognitio objecti præsentis tantum in specie, et imagine per quam repræsentatur.

Notandum 2. Seu resumendum ex his quæ diximus sect. 2. q. 1. de visione beatifica, duplicem solito distingui speciem objecti repræsentativam: alia enim dicitur impressa, alia vero expressa. Prior est virtualis similitudo alicujus objecti, seu qualitas quædam intentionalis effective concurrens cum intellectu ad producendam cognitionem, complendo nimirum ipsam potentiam, et illam determinando ex parte objecti ad hanc cognitionem producendam. Dicitur *similitudo*, quia repræsentat objectum, illudque potentiæ cognoscenti præsens exhibet: dicitur *virtualis*, non enim repræsentat objectum formaliter, sed virtualiter, quia vice objecti concurrit ad cognitionem formandam. Cum enim cognitio omnis ex potentia et objecto nascatur, potentia quidem per seipsam semper concurrit ad formandam cognitionem, objectum vero interdum per vicariam sui speciem, ut jam dictum est. Dicitur *qualitas intentionalis*, quia ordinatur ad cognitionem, et intellectum, cujus operatio interdum intentio appellatur. Posterior species, nimirum expressa, est terminus internus cognitionis, qui in intellectu dicitur *Verbum* mentis, in imaginatione *phantasma*, estque ipsa ab intellectu et objecto concurrente formata ut ipsius objecti imago et expressio.

Notandum 3. Omnes Theologos concedere Angelis fuisse concreatas rerum saltem universalium species, necnon et præstantiorum individuorum, quæ Deus vel formaverat vel formaturus erat: hæc enim veritas deducitur primo ex Sacra Scriptura quæ Ecclesiastici cap. 17. affirmat Deum primos Parentes replevisse disciplina intellectus, creasse illis scientiam spiritus, et sensu implevisse cor illorum: æquum autem est idem sentire de Angelis, de quorum uno nempe Principe SS. Patres interpretantur allegorice illud Ezechielis 28. *Tu Cherub... signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti, etc. Tu Cherub extentus, et protegens.... perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Hinc S. Dionysius c. 5 et 7. docet rationes rerum, et exemplaria fuisse a divina Mente Angelis indita, et communicata; et S. Augustinus, lib. 4. *De gen. ad litteram* c. 24. expresse docet prius tempore vel natura quam conderentur res materiales, Angelos habuisse rerum omnium notitiam, non solum in Verbo, sed etiam in genere proprio seu per ipsarum rerum species. Quod utique firmari potest hac ratione S. Thomæ q. 55. art. 2: ita, proportione servata, se habere debuit intellectiva potentia ad formas intelligibiles, sicut materia prima ad formas substantiales, utraque enim est de se pura potentia, indigetque forma, per quam reducatur ad actum: ergo quemadmodum materia rerum interiorum et corruptibilium non semper sub actu extitit, sed successive actuatur per diversas formas; materia vero corporum cælestium incorruptibilium accepit ab initio suas formas substantiales sibi congenitas: sic Angeli cælestes spiritus et immortales, species seu formas intentionales ad suam perfectionem necessarias ab initio habuerunt sibi congenitas; humani vero intellectus sensim eas a rebus accipiunt.

His prælibatis, tria maxime veniunt hac in Quæstione determinanda:

Primum, an Angeli necessario opus habeant speciebus intelligibilibus ad res quaslibet percipiendas: *Secundum,* an habuerint singularum rerum singulas species, an vero per unicam, aut non ita plures species universales, res omnes perceperint: *Tertium,* an excipere potuissent species rerum ab objectis, si Deus eas non indidisset; possintque de novo aliquas a rebus ipsis individualibus, quæ in dies formantur, mutuari: *Quartum,* an seipsos per suam substantiam, vel per species intelligant.

Conclusio prima. — ANGELUS INDIGET SPECIEBUS IMPRESSIS AD COGNITIONEM ABSTRACTIVAM RERUM POSSIBILIUM, AUT PRÆTERITARUM, AUT FUTURARUM, AUT NON SUFFICIENTER PRÆSENTIUM: NON VERO AD COGNITIONEM PRÆSENTIUM. Hæc est Doctoris in 2. dist. 3. q. 10. n. 16. quantum ad utramque partem, quarum

Probatur prima. Ad rerum possibilium, et non debite præsentium notitiam intellectus humanus exigit species intelligibiles: ergo et angelicus. Probatur consequentia, quia facilius apparet qualiter intellectus humanus posset determinari ad earum rerum cognitionem absque specie, quam angelicus: ergo si hoc non obstante admittantur species in intellectu humano, multo magis in angelico sunt admittendæ. Probatur antecedens: si intellectui humano non adessent species intelligibiles, dici posset ad rerum notitiam determinari per species phantasticas: nihil autem assignari potest in Angelo quod seclusis speciebus determinaret ejus intellectum ad rerum notitiam: ergo si necessariæ videantur species in intellectu humano respectu rerum abstractive cognoscendarum, multo magis erunt necessariæ in intellectu angelico. *Deinde,* objectum omne debet influere in facultatem, et eam ad cognitionem determinare, vel per se, vel per aliquid aliud ipsius vices gerens, illudque repræsentans: sed res illæ abstractive cognoscendæ per seipsas movere nequeunt intellectum, cum nec sint realiter existentes, nec ipsi debite præsentes: ergo, etc. *Denique,* Angelus non intelligit necessario omnia possibilia, hoc enim absque dubio infinitam in eo virtutem argueret: ergo ut aliquod eorum intelligat, debet admitti aliquod determinativum illius, quo rem illam possibilem percipiat: sed illud determinativum non potest esse res possibilis secundum se, quia res possibilis, ut talis, est necessario possibilis, et quantum ex natura sua eodem modo semper applicatur; nec aliud determinativum assignari potest præter speciem impressam: ergo est concedenda. — Idem ferendum judicium de rebus absentibus; quod enim Angeli res corporeas existentes videre non possint in quacumque distantia, insinuare videtur Scriptura sacra pluribi, maxime Job. 1. v. 7. *Circuivi terram, et perambulavi eam, etc. Numquid considerasti servum meum Job?* Et Matth. 12. v. 43. ubi Christus ait, quod spiritus immundus, idest diabolus, cum exierit ab homine ambulat per loca arida ad requiem captandam, eaque non inventa, revertitur in domum qua exierat: *Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius* (energumeni) *pejora prioribus.* Quibus patet, Angelis res non esse compertas in quacumque distantia: si enim, inquit Martinonus disp. 36., dæmon undi-

que videt omnia, poterat Jobum considerasse attente, terra non peragrata, cujus tamen peragrationis præsuppositæ causa vel occasione Deus dæmonem interrogat num Job servum suum consideraverit. Neque erat quod alter locum aridum peteret ad requiem quærendam, si antequam eo se conferret, videre poterat non esse ibi quieti locum; nec ut reverteretur ad antiquum hospitium, cognitaque ipsius dispositione commoda rediret ad socios, illisque assumptis in illud simul iterum intraret. Quid enim tot peregrinationibus, si ex arido loco poterat hospitii dispositionem cernere, indeque socios advocare, tuncque simul in illud se recipere? Nec obest quod opponunt aliqui, divitem Epulonem ex inferno vidisse Abrahamum et Lazarum existentes in limbo; nam vel hæc distantia magna non fuit physice, licet moraliter sit magnum chaos interjectum, propter impossibilitatem commeatus vel opis: aut potius hæc visio non fuit naturalis quoad modum, sed supernaturalis, sicut alia multa ad justitiam divinam, et Beatorum ac damnatorum statum pertinentia.

Dices: Quamvis Angelus haberet species plurium rerum, non deberet necessario ferri circa objecta istarum specierum, nec ea necessario intelligeret: ergo ad ea speciatim intelligenda determinari deberet per aliquid aliud distinctum a speciebus: sed illud aliud determinativum tam posset ipsum intellectum determinare seclusis speciebus quam ipsis præsentibus: ergo illæ species non videntur necessariæ. Patet antecedens, si enim Angelus necessario res intelligeret quarum habet species, cum omnium pene rerum species habeat inditas, sequeretur eum res omnes simul intelligere, quod certe majorem quam intellectum angelicum deceat perfectionem importaret. Consequentia pariter est evidens: cum enim intellectus sit facultas, et potentia ex se velut indifferens, et indeterminata ut versetur circa hoc vel illud objectum, non potest uni præ ceteris intelligendo applicari, nisi ad hanc cognitionem per aliquid determinetur. — **Dist. antec:** non deberet necessario ferri circa objecta quorum habet species, quando species illæ ipsi intellectui debite representantur, et in eo relucent actu, ipsique dilucide obversantur tamquam imagines rerum, quarum sunt species, nego: cum enim intellectus sit facultas naturalis, etiam naturaliter, et necessario fertur in cognitione rerum sibi debite præsentium, vel per se, vel per sui speciem: non fertur necessario circa objecta quorum species ita in se actu relucentes non habet, concedo antec, et nego conseq. Quamquam enim intellectus noster plurium rerum species in se reconditas habeat; quia tamen non omnes, sed solum aliquas in eo alternante successu actu relucentes apparent, ipsique conspiciendæ obversantur, inde fit quod solum aliquarum, non vero omnium rerum, quarum species complectitur, notitiam habeat. Idem a pari dicendum de intellectu angelico, qui licet plurium rerum species sibi divinitus inditas complectatur conservetque; quia tamen omnes ejus intuitu non æque objiciuntur conspiciendæ, inde fit quod non omnia simul objecta percipiat, quorum species in se complectitur.

Instabis: ideirco noster intellectus omnes quas in se reconditas species complectitur, actu non percipit, quia nempe a phantasmatibus, et objectis de novo appositis determinatur ad unius præ alio cognitionem: at hæc dici nequeunt de intellectu angelico, quippe, ut diximus,

nihil præter species habet a quo moveri, et determinari possit ad objecti notitiam: ergo, etc. — **Respondeo**, concessa *majore*, distinguendo *minorem*: nihil simile corporeum et sensibile habet intellectus angelicus, concedo: immateriale et spirituale, nego. Cum enim angelicus intellectus sit finitæ entitatis, nec possit omnia simul cognoscere, necessum est quod alternante conceptu objecta percipiat, vel per eorumdem objectorum præsentiam de novo ipsi exhibitam, vel per excitationem specierum quæ fit aut a superioribus Angelis illustrantibus, aut a voluntate ejusdem Angeli; quæ cum sit semper illustrata, et summe libera, nec ut nostra veluti offuscetur, captivetur per phantasmata, aut per sensuum tam internorum quam externorum operationem, pro libito movere potest intellectum Angeli cum, ut hoc vel illud objectum in specie, quam ipsi objicit, intueatur.

Dices 2: Si Angelus haberet species, vel ipsas acciperet a rebus, vel a Deo inditas: sed neutrum potest asseri: ergo, etc. *Major* constat: *minor* probatur: si species illas Angelus a rebus exciperet, deberet moveri ab objectis externis ad illas species excipiendas: sed objecta ipsa per se sufficienter concurrere possent cum intellectu angelico ad sui cognitionem, etiam seclusa specie: ergo hac ratione non videntur admittendæ. Non etiam videntur illæ species a Deo infusæ, nam vel illæ species productæ ab initio cum Angelo, ipsi fuissent divinitus inditæ; vel sicut debitæ perfectiones naturæ angelicæ, aut sicut formæ fluentes ab ejus substantia ad modum proprietatis: primum non videtur admittendum, sequeretur enim quod Deus posset Angelis species negare absque ullo naturæ angelicæ præjudicio; nec violentum et imperfectum foret Angelo nullius rei cognitionem habere, sicut violentum ipsi non est, Deum non videre naturaliter, licet alio lumine supernaturali illum possit intueri. — **Nego minorem**: etenim Angelus species illas posset a rebus excipere, ut mox probabimus, vel eas habere a Deo sibi divinitus inditas: nec inde sequeretur ipsas supernaturales formas esse dicendas; siquidem formæ naturalitas vel supernaturalitas præcise non attenditur ex parte principii producentis; nam si Deus de novo produceret calorem in aqua, calor ille non propterea diceretur forma supernaturalis, nec specie distinctus ab eo, qui ab igne produceretur: sed attenditur, vel penes potentiam receptivam, quæ ex natura sua talem formam non exigit ad perfectionem et operationem suam, vel ex parte finis et objecti naturæ vires transcendentis, quod videlicet virtute sua naturali nequaquam posset attingere. Hæc autem dici nequeunt de speciebus rerum Angelis a Deo inditis; siquidem species illæ possent naturaliter acquiri ab intellectu angelico, si aliunde eas sibi inditas non haberet: nec sunt præter statum naturalem ipsius, cum enim sit naturaliter intelligens, etiam rerum cognitionem tamquam naturalem suam perfectionem exigit, et illa cognitio, quam mediantibus speciebus habet de objectis, pure naturalis est.

Probatur secunda pars: nempe quod ad cognitionem rerum existentium, et præsentium Angelus non egeat speciebus; objecta enim sive corporea, sive spiritualia sint, sufficienter movere possunt, ac determinare intellectum angelicum, sive per modum causæ partialiter concurrentis ad formandam cognitionem, sive per modum termini, vel

conditionis sine qua non: ergo ad eorum objectorum notitiam non videntur necessario desiderari species. Conseq. patet: si enim sint frustraneæ, nihil necessitatis est eas concedere; quippe nihil vacuum, et frustraneum natura patitur. Prob. anteced. Qua ratione objectum præsens concurrere posset ad producendam sui speciem quando intellectui angelico præsens sistitur, eadem virtute posset concurrere ad producendam, seu terminandam sui ipsius cognitionem: ergo ad illius notitiam non videntur species desiderandæ.

Dices 1: Si absque specie posset Angelus objecta præsentia intelligere, Angelus inferior superiorem, vel superior inferiorem cognosceret per se: sed neutrum potest affirmari. Non quidem primum, quia principium determinativum ad cognitionem debet commensurari potentiæ, nec ipsam excedere in immaterialitate; hac enim ratione essentia divina videri nequit ab Angelo naturaliter: sed Angelus superior non est commensuratus interiori: longe enim ipso est immaterialior, seu perfectior, adeoque non potest cum ipso naturaliter ad cognitionem concurrere. Non etiam secundum; quia objectum natum concurrere cum facultate intellectiva ad cognitionem sui, debet esse æque immateriale, ac ipsemet intellectus: sed Angelus inferior non est æque immaterialis ac superior. — **Nego minorem**; qua enim ratione objectum non posset concurrere cum potentia, quæ esset magis vel minus materialis, etiam non posset cum ipsa concurrere ad sui speciem producendam, nec talis intellectus ejusmodi speciem naturaliter exigeret: hoc autem nemo dixerit: ergo nec quod exinde sequitur admitti debet. *Vel dico*, probationem illius *minoris* esse distinguendam: objectum debet esse ejusdem perfectionis, et æque immateriale, ac potentia, secundum entitatem suam, nego: debet esse immateriale, et commensuratum secundum modum operandi, ita quod scilicet ad operationem spiritualem objectum quantumlibet perfectum aut imperfectum debet concurrere juxta modum facultatis operantis, et ipsi ita attemperari, ut objectum præstantius cum minus perfecta facultate præstantiorem operationem non efficiat, quam efficeret minus perfectum, concedo. Dignitas enim operationis non ex parte objecti tantum, sed etiam ex parte facultatis operantis deducenda est.

Instabis: Si unus Angelus posset determinare immediate intellectum alterius Angeli ad sui cognitionem (idem dicendum de quolibet alio objecto), necessum esset, ut menti ejus illaberetur, quippe cum ei deberet fieri intime præsens, ipsumque realiter immutare: sed nulla creatura potest alteri creaturæ illabi: hoc enim soli Deo proprium est ratione suæ divinæ immensitatis: ergo, etc. — **Nego majorem**: etenim ut objectum moveat potentiam, non debet illi fieri præsens substantialiter, et per illapsum substantiæ; sed sufficit, quod fiat præsens per intimam et immediatam sui motionem etiamsi hæc fiat per solam objecti externam appositionem et præsentiam. Adde quod, ut unus Angelus alterum determinare possit, et movere, non requiratur ea præsentia, quæ fiat veluti per modum contactus physici, qualis esse debet intima corporum præsentia. Etenim Angelus cum non dependeat a medio materiali, ut in alterum suam virtutem exerat, potest etiam ab ipso physice, et substantialiter distans, eum movere, ac determi-

nare ad sui notitiam, ut plenius infra docebimus agendo de locutione angelica.

Dices 2: Ut objectum causet intellectionem cum intellectu, debet esse unum cum ipso, adeoque forma ipsius: at non potest objectum esse tale secundum se immediate, sed solum mediante specie: ergo necessario requiritur species objecti. — **Nego majorem**: quemadmodum enim phantasma cum intellectu agente potest concurrere ad speciem impressam, quamvis non sit forma ipsius, nec unum cum ipso, nisi eo modo quo duæ causæ partiales dici possunt esse una causa, ad quod non requiritur, ut una sit in altera, aut sit forma alterius: ita plane in proposito dicendum est, quod ut objectum proportionatum causet cum intellectu possibili ipsam intellectionem immediate, non sit necesse, ut alio modo faciat unum cum intellectu, aut sit in ipso tamquam forma ipsius.

Conclusio secunda. — Angelus non habet species universales quibus plura distincta cognoscere possit, sed ad rerum diversarum notitiam diversis eget speciebus. Ita Doctor laudata qu. 10. num. 8.

Probat 1. Nulla res creata potest esse ratio cognoscendi plura numero infinita: sed species universalis si daretur esset ratio cognoscendi plura infinita numero: ergo, etc. *Minor* constat, cum enim individua specierum sint possibilia numero infinita, consequens est, quod si detur species universalis, v. g. omnium hominum tam existentium quam futurorum et possibilium repræsentativa, illa debet habere vim repræsentandi infinita. Probat *majorem* Doctor: implicat aliquam admitti posse creaturam, quæ sit infinitæ perfectionis: sed species repræsentativa infinitorum, necessario deberet habere perfectionem infinitam; nam ubi pluralitas numeralis perfectionem importat, major pluralitas majorem perfectionem connotat; adeoque infinita pluralitas perfectionem infinitam arguit. Etenim si virtus capax portandi duas libras sit perfectior, quam quæ potest portare unicam, et capax portandi sex perfectior quam quæ duas portat, consequens est, quod quæ infinitas portare potest, infinitæ erit perfectionis: ergo a simili cum species repræsentativa duorum sit perfectior ea, quæ tantum unicum refert; consequens est, quod ea quæ haberet vim repræsentandi infinita, etiam foret infinitæ perfectionis. *Confirmat* a simili, quia ex eo quod essentia divina sit repræsentativa omnium intelligibilium, colligimus eam esse infinitam: ergo a pari si aliqua species posset repræsentare infinita, revera foret etiam infinitæ perfectionis.

Probat 2. Si aliqua species repræsentare posset plura distincta, maxime species naturæ communis, v. g. species naturæ hominis, quæ omnes omnino homines repræsentaret: sed id dici nequit. Probatur: ut species naturæ humanæ repræsentare posset omnes omnino homines, oportet ut omnes homines in natura humana continerentur: sed hoc est falsum. Probatur: si natura humana contineret omnes omnino homines sibi inferiores, maxime, vel formaliter, vel eminenter: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, quod enim continet aliquid formaliter, est etiam formaliter illud ipsum: sed nulla natura est formaliter omnia sua individua: ergo illa non continet formaliter. Non

etiam secundum: continens enim eminenter longe præstantius est eo quod continet; si ergo aliqua natura eminenter contineret omnia sua individua tam existentia, quam possibilia, cum hæc numero sint infinita, sequeretur ipsam naturam esse infinite perfectam: hoc autem implicat: ergo et illud unde sequitur. Deinde, ut aliquid repræsentet aliud perfecte, debet omnes ejus characteres, et gradus involvere, alioquin tantum ex parte et imperfecte illud repræsentabit: sed nulla species naturæ universalis potest referre omnes characteres inferiorum. Probatur: non potest aliud nec aliter ulla species naturæ universalis repræsentare, quam quod ipsa in se entitative continet, et repræsentandum exhibet: sed nulla natura communis, vel universalis entitative continet omnes gradus suorum inferiorum, quippe individua addunt distinctam entitatem, et differentiam supra naturam specificam: ergo cum gradus individualitatis non contineatur in natura specifica, etiam per eam non poterit repræsentari.

Probatur 3. Species illæ universales videntur inutiles, et superfluæ: ergo non sunt admittendæ. Probatur antecedens: quidquid posset Angelus intelligere per speciem universalem, longe præstantius cognoscere posset per speciem particularem illius; perfectius enim species rei particularis ipsam repræsentat, quam repræsentaret species tantum communis. Ergo ad id non videntur utiles species universales. Deinde, per illas species universales, vel Angelus necessario intelligeret omnia, quorum species habet, vel non intelligeret omnia simul, sed nunc hæc objecta nunc illa, prout vel a sua voluntate, vel aliunde movebitur ac determinabitur. Si primum, certum est quod species particularis tam perfecte id posset præstare, quam species universalis. Si secundum, longe facilius intellectus poterit ab uno objecto ad aliud intelligendum diverti, ubi varia illa objecta per diversas species repræsentabuntur, quam si per unicam; qualiter enim fieri posset, ut intellectus unam, eamdemque entitative speciem intuendo, quatenus esset repræsentativa albedinis, v. g. jam amplius ipsam non ut albedinem referentem intueretur, sed ut nigredinem, cum illa, eademque species ipsi invariata exhibeatur præsens?

Probatur 4. Illæ species Angelo sunt ascribendæ, quæ videntur ipsi magis connaturales: sed species particulares sunt ejusmodi: ergo etc. *Major* patet; naturæ namque præstantissimæ, qualis est Angelus, concedendæ sunt perfectiones, quæ naturalem ejus activitatem et entitatem deceant. *Minor* probatur: illæ species videntur magis connaturales Angelo, quas Angelus ipse virtute propria sibi comparare posset, si aliunde eas sibi non haberet inditas: sed Angelus posset sibi comparare species particulares ab ipsis rebus, sicut de facto acquirit illas species rerum particularium, quæ ipsi non fuerunt concreatæ: non posset autem ullatenus species universales acquirere: volunt enim Thomistæ esse tales in entitate sua, ut nec ab ipsomet Angelo, nec ab ulla alia causa creata produci possint: ergo species particulares sunt magis connaturales, quam universales.

Dices 1: Illæ species concedendæ sunt Angelo, quæ magis ejus naturam decent: sed species universales magis naturam angelicam decent, quam particulares: ergo, etc. Probatur *minor:* Angeli sunt in supremo gradu substantiarum creatarum intellectualium: ergo maxi-

mam debent habere efficaciam et virtutem intelligendi, adeoque intelligendi plura per unam speciem: virtus enim unita perfectior est divisa: præstantior ergo erit virtus intellectiva angelica, si plura per speciem unicam percipiat, quam per plures species rebus diversis correspondentes. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, maximam intelligendi virtutem Angelorum ex eo non esse repetendam, quod plura per unam speciem intelligere posset potius, quam per plures species, sed ex eo quod evidentius, et perspicacius res intelligant, quam naturæ intellectivæ sibi inferiores, vel quod plura cognoscere possent, quam homines, sive illa cognoscant per plures species, sive per unicam. Adde quod non majoris foret perfectionis in Angelo plura per unam speciem intelligere magis, quam per plures, nisi illa cognitio quæ fieret per unicam perfectior esset illa quæ fieret per plures: sed non apparet qualiter perfectius sit per unicam speciem intelligere res diversas, v. g. albedinem, et nigredinem, quam per particulares earum species, ut jam diximus. Ad id autem, quod additur, virtutem unitam esse perfectiorem non unita: equidem verum est, quando defectu unionis, seu unitatis sequeretur minor applicatio intellectus ad objectum; quod non contingit in præsenti, siquidem tam perfecte imo efficacius applicaretur intellectus ad intelligenda plura objecta per distinctas eorum species, quam per unicam.

Dices 2: Idcirco videntur proscribendæ species universales, quia maxime repræsentarent omnia ejusdem naturæ inferiora: sed exinde nihil sequitur absurdi: ergo propterea non debent negari. *Major* patet ex dictis. *Minor* prob: si non posset species aliqua naturæ communis repræsentare omnia ejusdem naturæ individua, maxime quia illa finita est, hæc vero numero infinita; infinitum autem per finitum repræsentari nequit, quippe cum repræsentans debeat repræsentato assimilari: sed hæc ratio nulla est: siquidem Deus perfecte et distincte repræsentatur per speciem, aut qualitatem creatam et finitam, nempe per lumen gloriæ, aut speciem impressam essentiæ divinæ repræsentativam, quam possibilem esse probavimus in Disput. de Visione beatifica: ergo, etc. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico nullam esse paritatem: *Tum quia* hic sermo est de repræsentatione naturali, non autem de supernaturali, quæ fit per medium supernaturale, puta per speciem illam impressam divinæ Essentiæ, quæ a Deo supernaturaliter agente crearetur, et infunderetur, vel per lumen gloriæ, quod est superioris ordinis, et divini: hæc autem repræsentatio infinitorum individuorum supponitur omnino naturalis, et fieri in intellectu angelico naturaliter operante: adeoque inter utramque repræsentationem non est paritas. *Tum quia* facilius repræsentari, et videri potest objectum entitative infinitum numero unicum, quam infinita numero, et secundum entitatem finita; quia, inquit Doctor in 1. dist. 2. quæst. 2. « cognitio eo perfectior est, quo plura cognoscit, « cognoscere enim aliqua est perfectio, cognoscere autem plura sonat « majorem perfectionem, et speciem impressam perfectiorem: ergo co- « gnoscere infinita dicit infinitam perfectionem: non sic autem quando « objectum est unicum numero, sed entitate infinitum, quia tunc per- « cipitur tantum sub ratione objecti infiniti, non vero secundum omnes « gradus infinitæ perfectionis. »

Conclusio tertia. — ANGELI POSSUNT ALIQUID DE NOVO COGNOSCERE, ET SPECIES A REBUS EXTERNIS EXCIPERE. Hæc est Doctoris in 2. d. 3. quæst. 11. num. 11. ubi ✻ " tria statuit: primo quod Angelus possit de novo cognoscere aliquod singulare cujus non habet concreatam notitiam; non potest autem hoc singula aut singulare cognoscere per concreatam speciem universalis ac subinde debet illam notitiam sibi comparare per speciem de novo acceptam. Secundum quod etsi haberet notitiam singularis aliunde, adhuc deberet accipere notitiam existentiæ et accidentium quæ comitantur existentiam, quia, inquit, ex notitia quidditatum et universalium quæ sunt necessaria, non potest cognosci complexio contingens; sed existentia rerum vel non existentia sunt contingentes; ergo non sufficit habere notitiam quidditatum et universalium ad hoc quod cognoscat hoc singulare esse. Tertio quod quantumcumque haberet concreatam sibi notitiam singularis et existentiæ contingentis, tamen cognitionem intuitivam singularium necessario recipit a rebus; non enim omnis cognoscens existentiam alicujus, cognoscit ipsam intuitive, quia potest ipsam cognoscere abstractive. His adjicit quartam rationem, nimirum quod etsi Angeli non haberent species rerum universales sibi concreatas, nihilominus possent res omnes creatas cognoscere opera et beneficio intellectus agentis et patientis. Priusquam vero has omnes Subtilis Doctoris rationes expendamus, auctoritate " ✻

Probanda est conclusio, primo quidem ex Scriptura sacra; nam S. Paulus ad Ephesios 3. ait; *Misit me illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit*, hoc est ut annuntiarem mysterium Incarnationis non solum hominibus, sed etiam, inquit, *ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei*. Quasi diceret se a Deo deputatum, ut Incarnationis mysterium, non solum homines, sed etiam Angelos doceret; nam, inquit S. Chrysostomus in ipsum locum, *Mysterium istud ignorabant Angeli: nam si Principatus ignorabant, utique multo magis Angeli. Unde ergo cognituri, quo revelante, quando videlicet illud cognovit Paulus, tunc per illum et isti: Paulus Angelorum Evangelista, hic eos illuminavit*. Cui concinit S. Ambrosius in eumdem locum, dicens quod Deus *Paulum non solum magistrum dedit Gentibus, sed etiam Angelis*. Subscribit Cyrillus Alexandrinus, affirmans quod *Paulo prædicante, Evangelii mysteria didicerunt Angeli*. Favet etiam huic veritati S. Augustinus lib. 12. cap. 7. ubi docet quod dum res aliqua fit de novo, afficiantur sensus carnales hominum, et animalium, necnon et cælestes Angelorum. *Deus*, inquit, *non ad tempus videt nec aliquid novi fit in ejus visione, atque scientia cum aliquid temporaliter geritur. Sicut inde afficiantur sensus, vel carnales animalium, et hominum, vel etiam cælestes Angelorum*: sed hæc nova affectio Angelorum fieri nequit a rebus illis, nisi Angeli ab ipsis species excipiant: ergo, etc.

Probatur Conclusio: Primo, Angelus habet intellectum agentem, et passibilem: ergo potest acquirere, et in se recipere de novo species a rebus ipsis. Antecedens probatum fuit superiori Quæstione. Consequentia vero per se est manifesta: intellectus enim agens est facultas acquisitiva specierum, passibilis vero potentia earumdem receptiva. — *Con-*

firmatur: si Angelus a Deo crearetur in puris naturalibus, nullis videlicet speciebus intelligibilibus donatus, et illustratus, vel posset aliquid a se cum universali et communi Dei concursu per proprias vires cognoscere, vel non. Si primum: ergo Angelus suæ naturæ relictus posset a rebus ipsis cognitionem, subindeque species mutuari. Si secundum: ergo Angelus secundum proprias vires naturales imperfectior erit anima nostra, quæ cum communi Dei influentia potest rerum cognitiones per exceptas ab eis species intelligibiles sibi comparare.

Reponunt Thomistæ, non esse mirum quod Angelus in eo casu nihil perciperet, essetque minus perfectus, quam anima nostra, quippe careret aliquo suæ naturæ debito: sicut non esset mirum, quod anima nostra sine intellectu agente, et viribus sensitivis creata nihil posset intelligere, subindeque esset secundum se vilior bruto. — Contra. hæc responsio vim rationis non infirmat, quippe falsum est, species Angelis eodem jure deberi, quo intellectus agens et facultas sensitiva homini. Siquidem hæ facultates sunt de intrinseca perfectione, et constitutione hominis, et ab ejus anima realiter distinctæ: species autem illæ intelligibiles Angelis sunt adventitiæ, et ab extrinseco inditæ, adeoque ipsis seclusis salva et integra stare potest angelica natura secundum substantiam et facultates operativas: adeoque absentibus illis speciebus, ejus intellectus est in pari statu quo humanus: sed, ut dictum est, humanus intellectus speciebus intelligibilibus non illustratus potest eas sibi comparare: ergo multo magis angelicus. — *Confirmatur*: quæ sunt in inferioribus dicentia perfectionem, potiori jure in superiori existere fatendum est: sed abstrahere species a rebus sensibilibus imperfectionem in anima rationali, quæ intellectus agentis beneficio omnem rerum naturalium cognitionem sibi vindicare potest: ergo multo magis illa virtus Angelo est tribuenda.

Probat 2. Angelus potest cognoscere Petrum et Paulum, et quodlibet aliud individuum de novo productum: sed non potest ipsa cognoscere per species aliquas infusas: ergo vel illa cognoscit immediate, vel per species ab eis mutuatas. *Major* patet; quis enim affirmaret, quod intellectus angelicus aliqua individua de novo producta, et sibi debite præsentia, non posset cognoscere? Probatur *minor*: si cognosceret illa absque speciebus a se comparatis, cognosceret maxime vel per species universales naturæ communis illorum individuorum, vel per species particulares, quibus ipsa singularia, et individua repræsentantur: sed neutrum dici potest. Non quidem primum; tum quia, ut superiori Conclusione probatum est, species illæ universales omnino sunt proscribendæ: tum quia sicut natura universalis non continet sub se determinate Petrum et Paulum magis quam reliqua individua naturæ humanæ, ita species ejus non potest determinare, et movere ad cognoscendum Petrum et Paulum magis quam singulares alios homines: ergo ut intellectus angelicus intelligat Petrum, et Paulum determinate, debet habere aliud motivum et determinativum, quam speciem naturæ humanæ. Non etiam secundum dici potest; quamquam enim Adversariis concedatur, quod Angeli habeant sibi species divinitus inditas quorumdam individuorum, non videtur probabile eis fuisse concreatas species omnium prorsus individuorum quovis tempore extiturorum. Cum enim possint Angeli objecta per se

sufficienter præsentia intueri sine adminiculo speciei, vel ab eis species mutuari, dum ipsis præsentia sistuntur, quid opus fuit Deum illis ab initio infundere species repræsentantes omnes ventorum flatus, motus foliorum, marinos fluctus, omnia quorumlibet idiomatum genera, omnesque verborum significationes, et similia, quæ Angelos nosse certum est? Adde quod cum Angelus cognoscat futura, quando existunt, omnesque eorum circumstantias temporis et loci, sequeretur quod si horum omnium species ab initio creationis inditas habuisset, non minus certo potuisset cognoscere futura libera, sicut et intuetur præsentia, potestque recordari præteritorum, quorum speciem retinet: sed contra fidem est Angelos naturaliter prænosse certo, et plusquam conjecturaliter futura contingentia antequam existant, ut probabitur infra: ergo, etc.

Probatur 3. Quod quamvis Angelus haberet species infusas, quibus intelligeret singularia, tam materialia, quam spiritualia, illæ species non sufficerent ipsi ad cognoscendam eorumdem objectorum realem existentiam; sed deberet illam notitiam, vel a rebus ipsis immediate et sine specie, vel mediate et per speciem accipere: ergo revera potest a rebus species accipere, et aliquid de novo cognoscere. Probatur antecedens: existentia actualis non necessario, sed tantum contingenter conjungitur cum re singulari: Petrus enim, v. g. non existit necessario: ergo species quæ repræsentat Petrum, ut est tale individuum naturæ humanæ, non repræsentat necessario ipsum ut existentem; et consequenter ut sic repræsentetur intellectui angelico, necessario requiritur aliquid, quo moveatur ille intellectus ad cognoscendum Petrum nunc existentem, quem antea solum ut futurum noverat: sed hoc determinativum aliud esse non potest, quam species de novo acquisita, vel ipsamet res individualis, quæ per sui speciem moveat intellectum angelicum ad cognitionem suæ realis existentiæ: ergo, etc.

Reponunt Thomistæ cum S. Bonaventura in 2. d. 3. p. 2. art. 2. q. 1. quod dum res est præsens, et existens, potest Angelus dirigere aspectum suum ad eam, et sic mediantibus speciebus infusis cognoscere ipsam realiter existentem, quam solum ut futuram prius noverat. — **Contra**: eatenus potest dirigere aspectum in rem præsentem quatenus habet species, quæ ipsam repræsentant, ut realiter existentem: sed species ipsis concreatæ non possunt repræsentare rem illam existentem, siquidem ab initio mundi species Petri, v. g. non producti repræsentabat eum tantum ut futurum: ergo ut Angelus qui per sibi concreatam speciem Petrum tantum ut futurum prius videbat, necessario opus habet aliquo determinativo, et motivo quo possit eum ut præsentem intueri. Alias ejusmodi rationes profert Doctor quas brevitatis causa referre supersedeo.

✳ " **Quarto** tandem Subtilis Doctor conclusionem probat ex eo quod per istas species concreatas non possunt cognosci complectiones contingentes rerum, nam hæc complexio contingens, v. g. *Petrus cras orabit Deum* est contingens, siquidem potest esse vel non esse. Illa vero cognoscitur ab Angelo priusquam sit, determinate vel non determinate. Si primum, non cognoscitur ut contingens; si secundum, requiritur alia ratio cognoscendi præter species illas concreatas; spe-

cies enim illæ repræsentant tantum illos terminos *Petrus orabit*, non vero contingentiam illorum. Igitur per species illas concreatas non potest haberi cognitio contingentiæ illius rei quæ solum certo cognoscetur quando res illa existet. Ut enim cognosceretur certo futura illius rei existentia, necessum esset quod pariter cognosceretur decretum Dei liberum de ipsius rei futuritione; at probabile non est quod Deus Angelis manifestaverit omnia sua decreta circa rerum productionem, directionem et administrationem. Igitur per illas species concreatas Angelus non potest certo cognoscere rerum contingentiam. — *Confirmatur* quia species illæ concreatæ Angelis non sunt perfectiores ideis divinis in repræsentando: sed ideæ divinæ non repræsentant rerum complexiones contingentes sive contradictorias certo ac determinate: ergo nec species illæ contingentiam hanc repræsentabunt. *Major* est evidens: quidquid enim creatum est et finitum tam ex parte subjecti quam ex parte termini, longe minus perfectum est quam quod est increatum et in entitate infinitum. Species autem illæ Angelis concreatæ, revera sunt quid creatum et in intellectu finito, ut patet; ideæ vero divinæ increatæ sunt et in intellectu infinito: igitur etc. *Minor* etiam est manifesta; ideæ enim divinæ antecedunt decretum liberum voluntatis sine quo nullum est futurum contingens determinatum." ✳

Dices 1.: Corpora cælestia habuerunt sibi concreatas qualitates omnes, et perfectiones, quas habere possunt: ergo pariter Angeli a suæ formationis initio habuerunt omnem sibi debitam perfectionem, et cognitionem, adeoque nihil de novo nosse possunt. — **Respondet Doctor** primo retorquendo argumentum hoc modo: corpora cælestia non debuerunt habere sibi concreatas, nec a solo Deo inditas perfectiones quas vel ipsa, vel aliæ causæ secundæ in illis producere poterant: ergo pariter Angeli non debuerunt habere species, aut cognitiones a Deo infusas, quas ipsi comparare, et de novo acquirere poterant. *Deinde* si paritas statuenda sit inter corpora cælestia, et Spiritus quantum ad propositum, inferendum est quod quemadmodum nullum est ex corporibus cælestibus, quod perfectiones sibi naturaliter debitas concreatas non habuerit, ita a simili nullus Spiritus esse deberet, qui sibi debitam naturalem perfectionem ab initio suæ formationis inditam non vindicaret; subindeque anima nostra cum sit revera Spiritus, omnimodam perfectionem sibi compossibilem ab initio habere debuisset. *Denique* idcirco corpora cælestia habent suas perfectiones sibi concreatas, quia nempe perfectiones illæ ab earum substantia velut proprietates emanant: at Angeli non habent similem virtutem productivam et emanativam specierum et cognitionum: ergo non est ibi paritas. *Respondet* 2. Doctor: distinguo consequens: Angeli debent habere omnes perfectiones sibi concreatas, quas non possunt facile, et prompte acquirere, concedit: quas sibi possunt comparare absque negotio, negat.

Dices 2.: ✳ "Angelus medius est secundum naturam inter Deum et animam rationalem: igitur medium inter utrumque habere debet operandi modum; ac subinde, sicut Deus non intelligit per species intelligibiles; anima vero intelligit per species acquisitas et receptas a sensibus; ita Angelus medio modo debet intelligere, idest per species quidem sed innatas et concreatas, non autem advenientes nec

acquisitas. — **Nego sequelam majoris**; tametsi enim concedatur quod Angelus sit medius inter hominem et Deum, inde non est consequens quod medium etiam inter utrumque habere debeat essendi et operandi modum. Neque enim valet hæc illatio: Angelus mediat inter Deum et hominem: sed Deus est actus purus in essendo et in operando; homo vero est quid potentiale in essendo et in operando: igitur Angelus debet esse partim actus purus et partim quid potentiale tam in entitate quam in modo operandi. Eadem argumentandi inepta et inconcinna ratio apparet ex hoc argumento: homo medius est inter Angelum et equum: sed Angelus non movetur motu progressivo, equus autem eo movetur: igitur homo debet alium movendi modum quam progressivum habere. Itaque neganda est absurda illa *majoris* sequela. Accedit quod sic retorqueri potest argumentum in adversarios. Angelus mediat inter Deum et hominem: igitur inter utrumque debet haberi medium operandi modum in quo partim cum extremis conveniat et discrepet. Ergo quemadmodum differt ab homine in modo intelligendi per species universales concreatas, ita convenire debet cum homine in modo intelligendi et cognoscendi singularia, existentia et contingentia per species de novo comparatas. " ✳ ·

Instabis: non potest creatura intellectualis desumere species ab objecto materiali, nisi sensus habeat, et phantasiam: sed Angelus caret illis potentiis: ergo ab objectis materialibus species non potest desumere. *Major* probatur: non potest virtus creata naturaliter transire de extremo ad extremum, nisi per medium, quod a natura inter utrumque constitutum est: atqui si creatura intellectualis carens sensibus et phantasia, desumeret speciem, et cognitionem ab objecto materiali, tale objectum transiret ab uno extremo in aliud, non transeundo per medium inter illa a natura constitutum. Probatur: esse imaginabile, sive phantasticum est medium a natura constitutum inter esse omnino sensibile, quod a sensibus corporeis percipitur, et esse intelligibile quod ab intellectu potest attingi: atqui si creatura intellectualis carens sensibus, et phantasia reciperet species ab objecto sensibili, jam ejusmodi objectum transiret ab esse materiali, et sensibili quod habet in se, ad esse intelligibile, quod habet in intellectu angelico, non transeundo per esse medium, et phantasticum: ergo fieret transitus de extremo ad extremum, absque transitu per medium a natura constitutum. — **Negat majorem Doctor**, et *minorem* illius probationis distinguit: esse imaginabile est medium inter sensibile et intelligibile, quantum ad intellectum humanum, transeat; quantum ad angelicum, negat. Potest enim, inquit, contingere ut aliquid sit medium respectu unius virtutis, non vero respectu alterius, v. g. posset esse aliquod calefactivum minoris virtutis, quod inducere non valeret octo gradus caloris in subjectum simul et semel, et nisi prius sensibiliter calefaciat ut unum, postea ut duo, sicque gradus illi intermedii usque ad octavum erunt veluti media respectu illius octavi producendi: verum posset dari aliud calefactivum tantæ virtutis, ut statim ac applicaretur subjecto produceret octo illos gradus caloris, non efficiendo prius ipsum sensibiliter calidum, ut duo vel ut tria, sicque respectu illius duo vel tres gradus caloris non censebuntur esse medii: ergo a pari,

esse imaginabile, et phantasticum, potest esse medium respectu intellectus humani, non vero angelici. Quod utique confirmat Doctor: si enim imaginabile esset medium absolute transeundum ab esse sensibili ad esse intelligibile, vel esset tale medium ex natura ipsius objecti, vel ex natura potentiæ cognoscentis. Primum dici nequit, alias nullus intellectus etiam divinus posset cognoscere esse sensibile, nisi prius haberet esse imaginativum. Si secundum dixeris, exinde etiam sequitur, quod Angelus nullo modo poterit intelligere res materiales, quippe cum esse imaginabile et phantasticum non possit excipere. Adde quod etsi illud imaginabile sit medium necessarium respectu potentiæ inferioris debilioris, quæ sensibus alligatur, non inde sequitur quod etiam debeat esse medium respectu potentiæ superioris, et vegetioris a corporea concretione prorsus immunis.

Reponunt Thomistæ: Posse quidem percipi objectum sensibile absque eo, quod habeatur esse imaginativum et phantasticum; non posse vero immittere sui speciem in intellectum, nisi transeundo per imaginationem; ex quo sequitur, inquiunt, quod sicut potest intellectus divinus et angelicus ipsum objectum sensibile cognoscere absque eo quod immittat ejusmodi species, ita potest perfectam de illo habere notitiam, absque eo quod prius tale objectum habeat esse in aliqua imaginatione, vel phantasia. — **Contra**; objectum sensibile idcirco non posset immittere sui speciem immediate in intellectum a corpore separatum, quia nempe pure corporeum est, et materiale; nullum autem materiale recipi potest nec attingi immediate a spirituali: at hæc ratio nulla est, siquidem illud esse phantasticum, et imaginabile revera corporeum est; est enim objectum phantasiæ, et sensus communis revera corporei, attamen percipitur immediate ab intellectu humano, siquidem ad ejus intuitum intellectus agens cudit species intelligibiles; quidni ergo pariter intellectus angelicus attingere posset objecta corporea, et ad eorum intuitum species intelligibiles cudere? Idcirco autem intellectus humanus non potest immediate versari circa objecta externa, quia cum sit alligatus sensibus, nec possit nisi ab eis dependenter operari, inde non mirum si esse sensibile prius debeat fieri imaginativum et phantasticum, quam fiat intelligibile ab intellectu humano.

Conclusio quarta. — Angelus potest seipsum cognoscere per suam essentiam, et nulla mediante specie intelligibili: posset tamen seipsum per sui speciem, et abstractive cognoscere. Ita Doctor 3. dist. 3. q. 8. n. 8. ✻ " ubi scribit: *Dico quod Angelus potest intelligere se per essentiam suam secundum intellectum expositum in principio quæstionis. Quod probo primo: quia objectum habet aliquam causalitatem partialem respectu intellectionis, et hoc in quantum est actu intelligibile; et intellectus habet suam causalitatem respectu ejusdem actus, secundum quam concurrit cum objecto ad talem actionem perfecte producendam, ita quod ista duo quando sunt in se perfecta et unita, sunt una causa integra respectu intellectionis.* Ut autem hanc assertionem probet Doctor, repetit ex 1, d. 3. q. 7. quod intellectus non sit causa totalis ullius cognitionis, neque etiam objectum, sed quod utrumque sit causa partialis essentialiter alteri

subordinata, quæ sententia est communior longe et ab omnibus conceditur de intellectu humano saltem conjuncto, et probata est in Disputatione de anima.

His autem prælibatis, sic conclusionem probat: *Omnis causa partialis quæ est in actu sibi perfecto proprio, et secundum quod talis causa, potest causare causalitate sibi correspondente effectum, et quando est unita alteri causæ partiali in suo actu potest cum ea perfecte causare: sed essentia Angeli est de se in actu primo correspondente objecto, quia de se est actu intelligibilis, et etiam de se est unita intellectui, sicut objectum in conjunctione utriusque causæ partialis: ergo potest immediate cum alia causa partiali unita habere actum perfectum intellectionis respectu suæ essentiæ.* Hoc ut confirmet et explicet, adducit exemplum speciei intelligibilis cum intellectu causantis intellectionem, in qua dicit esse objectum in esse diminuto, hoc est repræsentato; et deducit, multo melius causare objectum in esse vero, et simpliciter, et absoluto, quale habet essentia Angeli per se immediate objecta intellectui Angeli. Quare non esse dubitandum, quin ex essentia et intellectu unum, et adæquatum, imo et nobilius principium constituatur.

His prælibatis sic ratiocinari videtur Doctor: " * omne agens actione immanente habens causam totalem alicujus effectus productivam potest ipsum producere cæteris quibuscumque seclusis: sed Angelus habet in se causam totalem suæ intellectionis, habendo solum suum intellectum, et suam essentiam, seclusis quibuscumque extrinsecis, et speciebus: ergo potest seipsum per suam essentiam intelligere. *Major* constat. Probatur *minor:* qui habet intellectum nativa sua activitate præditum, et objectum intelligibile ipsi intellectui in ratione objecti proportionatum, et unitum, revera potest illud intelligere: sed ita est de Angelo respectu cognitionis sui; ipsius namque intellectus non minoris est activitatis respectu cognitionis sui, quam cæterorum; ipsius pariter essentia est actu intelligibilis, et intellectui proportionata, quippe sunt ejusdem ordinis gradu spiritualitatis, est etiam ipsi intime unita, et approximata, nec ulla potest esse major unio cujusvis speciei cum ipso intellectu, quam sit unio ejusdem essentiæ cum illo, sunt enim idem realiter; species autem, et intellectus realiter invicem distinguuntur: ergo, etc. — *Deinde:* species impressa, in qua objectum tantum continetur secundum suum esse diminutum, seu intentionale, sufficit cum intellectu ad producendam cognitionem objecti: ergo multo magis ipsum objectum debite applicatum et proportionatum sufficiet ad eamdem formandam cognitionem: sed essentia Angeli, ut diximus, est debite proportionata intellectui ejusdem: est enim in eodem ordine immaterialitatis cum eo, et consequenter sufficiet ad formandam cognitionem ipsius Angeli. — *Denique:* si aliqua ratione essentia Angeli non posset esse ratio cognoscendi seipsam, maxime quia est forma per se existens, et non inhærens intellectui: sed hujusmodi per se existentia, vel non inhærentia non obstat: ergo potest esse ratio cognoscendi se in proprio intellectu. *Major* est nota: *minor* probatur: Imprimis illa per se existentia non obstat, quia essentia divina est magis per se existens, et tamen est ratio intelligendi in intellectu divino, et creato beato. *Insuper*, ut aliqua forma, vel quid se habens ad modum formæ sit principium operationis physicæ, non est necesse,

quod inhæreat : calor enim, qui esset in subjecto solum per assistentiam, tam expedite posset illud calefacere, ac si ipsi inhæreret : ergo a simili, ut aliquid sit principium operationis in genere intelligibilium, non opus est, quod intellectui inhæreat, sed sufficit, quod ipsi objiciatur, et proportionetur, intimeque uniatur. *Tandem* omnes fatentur Angelum posse res sibi intime præsentes, et proportionatas cognoscere absque ulla specie : sed illæ res sic cognitæ non possunt inhærere intellectui Angeli eas cognoscentis: ergo ut aliquid sit ratio cognoscendi, non opus est, quod intellectui inhæreat.

✳ " Objicit primo Doctor: si objectum quodlibet sufficienter præsens intellectui cum eo possit concurrere ad formandam intellectionem, sequeretur quod objectum sensibile intellectui expositum causare posset absque specie impressa, quia albedo secundum se habet esse simpliciter, et consequenter esse perfectius quam esse secundum quid, quod habet in specie impressa. — **Ad primum dico** num. 10. negando consequentiam, quia objectum sensibile non est secundum esse reale suum actu intelligibile ; et propterea nequit determinare intellectum ad cognitionem ; sed in specie impressa est actu intelligibile, et propterea ut in ea relucens potest determinare ad intellectionem. In proposito autem præsenti essentia Angeli est secundum esse reale tam actu intelligibilis, et tam proportionata intellectui, quam est in specie intelligibili ; unde si in specie potest determinare ad intellectionem, sequitur quod secundum esse reale possit sic determinare.

Objicit secundo : nihil potest concurrere partialiter cum intellectu ad formandam intellectionem, nec potest ipse esse ratio agendi immanenter, nisi ipsum informet aut ipsi inhæreat. At essentia Angeli nec potest informare intellectum nec ipsi inhærere, igitur non potest esse ipsi ratio agendi immanenter, et cum ipso partialiter concurrere ad formandam intellectionem. — **Distinguit majorem Doctor :** non potest esse talis ratio totalis, concedit ; partialis, negat ; et concessa minore, similiter distinguit consequens : essentia Angeli non est totalis ratio illius quam ipse habet intellectus, concedit ; non est partialis, negat. Cum autem essentia Angeli non minus intellectui sit præsens, quam esset species intelligibilis expressa, non minorem etiam habet vim ut ipsum intellectum moveat ad eliciendam sui cognitionem. Nam, inquit, ibidem Doctor, num. 10. *intellectus habet activitatem suam propriam sive subjecto præsente in se, sive in specie sua concurrente secum ad causandum effectum communem amborum, ita quod sufficit unio et approximatio istarum partialium causarum. Nec tamen requiritur quod altera alteram informet, quia neutra dat alteri actum pertinentem ad suam causalitatem partialem.*

Instabis. Cum essentia distincta sit ab intellectu angelico, non potest cum ipso concurrere sive ut causa partialis, sive ut totalis, nisi cum ipso uniatur in esse intelligibili. Sed non potest sic uniri nisi per speciem expressam. Igitur nec sine hac cum ipso concurrere ad sui notitiam formandam. — **Respondeo** hanc instantiam urgere quidem Thomistas contendentes intellectum realiter distingui ab essentia, nec cum objecto partialiter concurrere ad formandam intellectionem, sed tantum mere passive in ea operatione se habere. Non ita vero urget Subtilis Doctoris discipulos qui contendunt cum eo intellectum

dumtaxat ab essentia formaliter distingui, et cum esse comprincipium concurrens cum objecto ad formandam intellectionem. Major enim est identitas intellectus angelici cum essentia in doctrina Scoti quam in doctrina S. Thomæ; ac subinde facilius intelligitur qua ratione essentia Angeli movere possit intellectum ad sui notitiam. Essentia enim illa est ex se cognoscibilis instar lucis atque adeo per se manifesta et evidens; cumque intima sit intellectui et ab eo realiter distincta, cum illustrat et illuminat. Et quemadmodum ei vitam communicat, ita et præstat intellectionem quæ nihil aliud est quam actio per quam vivit intellectus; qui cum ex se sit activus et animæ insit veluti forma, non est opus ut aliquid recipiat ab essentia sibi intime præsente et eum illuminante, ut ipsam distincte cognoscat. Unde quemadmodum voluntas movetur ad propositionem boni repræsentati absque eo quod quidquam ab eo recipiat, quid enim ab eo exciperet voluntas, nisi illuminationem? At ipsa lucis spiritualis et intelligentiæ suscipiendæ non est capax. Nihilominus ipsa operatur amando, vel abhorrendo objectum ab intellectu propositum et repræsentatum. Quidni ergo intellectus ex præsentia immediata et perspicua essentia angelica, ipsam poterit cognoscere absque ulla media specie emissa ab essentia et in intellectu recepta adeo ut ipsa notitia sit quasi *facialis* et *intuitiva*, atque instar visionis beatificæ, in qua essentia divina sine ulla media specie concurrit cum intellectu beato ad formandam illam visionem? Sic facile extricatur et solvitur præsens difficultas quæ omnium hujus disputationis videtur gravissima." ✻

Dices 3: Id quod est ratio cognoscendi debet subordinari intellectui: sed essentia Angeli per se subordinari nequit ejus intellectui: ergo nec per se ab eo cognosci. *Minor* constat, quia subordinatio dicit dependentiam: essentia autem Angeli ab ejus intellectu pendere nequit: imo hic ab illa pendet tamquam proprietas, et facultas emanans ab illa essentia, quæ est fons, et radix omnium suarum proprietatum, et facultatum. *Minor* probatur: principium *quo* subordinatur principio *quod*: sed ratio cognoscendi est principium *quo*, intellectus vero principium *quod*: ergo illa huic debet subordinari. — **Distinguo minorem**: quando ratio cognoscendi est quid accidentale receptum in intellectu, et ab eo realiter distinctum, concedo: quando est aliquid substantiale, et indistinctum realiter ab intellectu, nego: divina essentia enim divino intellectui non subordinatur, licet sit ratio cognoscendi seipsam, et alia omnia: ergo a simili, essentia Angeli non debet intellectui sui ipsius subordinari, quia ab eo est realiter indistincta, et ejus fons, et origo.

Dices 4: Si Angelus seipsum agnosceret per suam essentiam, sequeretur, quod semper esset in actu cognitionis sui ipsius, ita ut non posset ab ea cessare: at consequens videtur absurdum, et contra modum agendi liberrimum Angelorum: ergo, etc. — **Nego sequelam majoris**: quamquam enim Angelus suam substantiam semper debite applicatam sub ratione objecti præsentem habeat; potest tamen eam, si velit, non intueri; poterit siquidem ad voluntatis imperium a suæ substantiæ intuitu revocari Angelus, ut ad alia objecta proposita sese applicet, quemadmodum intellectus noster ab uno objecto præsente avocatur ad alterius intuitum.

✻ " Dices tandem: Essentia Angeli est quid singulare: sed nullum singulare est per se intelligibile: igitur nec per se potest esse ratio suæ cognitionis. — **Respondet** S. Thomas *majorem* esse veram de rebus corporeis, *non ratione singularitatis, sed ratione materiæ quæ est in eis individuationis principium*, secus autem de rebus spiritualibus et a materia sejunctis, quales sunt Angeli. — **Verum** hanc rationem improbat Doctor ostenditque quod si ideo non potest Angelus cognoscere materiale, quia per materiam individuatur, nec poterit item cognoscere immateriale, quia multo est difficilius cognoscere rationem individuantem rei spiritualis. Probatur; quia magis remota est ratio differentiæ individualis in re spirituali quam in materiali, cum in re spirituali multo sint pauciora signa et indicia diversitatis, quam in corporali. *Deinde* ratio differentiæ est in uno solo in sententia S. Thomæ, at vero in specie corporea est in multis. Unde ex ipsa multitudine sumitur facilitas ea cognoscendi. *Præterea* in cognitione singularis spiritualis debet necessario intervenire cognitio speciei per suam specificam differentiam, quæ non tam faciles sunt cognitu, quam sint genera et individua. *Denique* in principiis S. Thomæ multo facilius detegitur principium individuationis in re corporea quam in spirituali. In illa enim occurrit statim materia quanta cum suis certis et determinatis accidentibus, quæ præseferunt et monstrant diversitatem individualem. At vero in re spirituali simplici, et simili in natura spiritus, carente compositione physica, actus et materiæ non facile extant principia distinctionis. — Itaque respondeo cum Doctore de rebus etiam individuis certam haberi posse notitiam maxime cum adeunt debitæ circumstantiæ puta objecti intima præsentia illiusque manifestatio sive per se, sive per speciem sui vicariam. " ✻ Poterit etiam cessare ab ea cognitione per non applicationem; sicut, v. g. contingit, quod interdum oculos habeamus apertos, et objectum debite præsens, et illuminatum, nec tamen illud videamus, eo quod potentiæ, et facultates, tum sensitivæ, tum rationales aliunde occupentur et detineantur.

Probatur secunda pars: Superior Angelus cognoscere potest inferiorem per ipsius speciem: ergo pari modo inferior ille Angelus poterit seipsum cognoscere. Antecedens patet; norunt enim se invicem Angeli per species sibi divinitus inditas, ut fatentur omnes; quamquam etiam seipsos nosse possint immediate per sui præsentiam. Probatur consequentia: dum intellectus perfectior potest imperfectam habere cognitionem de objecto aliquo, intellectus minus perfectus parem habere poterit: ergo si superior Angelus possit habere cognitionem abstractivam (quæ est imperfectior intuitiva) de inferiori Angelo, quidni parem de seipso poterit habere Angelus inferior? *Deinde* Angelus quilibet cognoscibilis est, et intelligibilis per speciem ab intellectu capace receptionis illius speciei: sed ipsius intellectus revera capax est receptionis illius speciei emittendæ a sua substantia; imo ad eam recipiendam cæteris videtur aptior: siquidem ipsi substantiæ emissivæ speciei est intimior, ipsamque, et omnia quæ ab ea profluunt, melius quam quilibet alter penetrat et concipit: ergo potest illam speciem a se emissam excipere, subindeque seipsum abstractive cognoscere.

Dices 5: Essentia Angeli necessario jungitur cum ipsius existentia:

ergo non potest cognosci secundum essentiam, quin cognoscatur ut existens: sed non potest cognosci per speciem, ut existens, nisi intuitive: ergo nullatenus Angelus cognoscere potest seipsum abstractive. — **Nego sequelam majoris:** sicut enim dari posset species propria hominis, quæ repræsentaret ipsum, ut est animal, absque eo quod ipsum repræsentet quatenus rationalis; quamquam animal, et rationale sint duo gradus intime uniti in homine: ita dari posset species repræsentativa substantiæ Angeli, absque eo, quod repræsentet gradum existentiæ, maxime si Deus suum suspendere velit concursum, ne dum essentia suam speciem emittit, existentia pariter in ejusmodi emissionem influat.

Instabis: Eo ipso quo Angelus cognoscit seipsum, ut est res talis singularis, debet cognoscere seipsum, ut ipse est: ergo si est in se existens, debet cognoscere seipsum ut existentem, et consequenter intuitive. Probatur consequentia, quia in re actu existente, non distinguitur existentia ab essentia singulari. — **Distinguo antecedens:** ut in se est quoad naturam singularem, concedo: ut in se est quoad reliqua omnia quæ competunt ipsi, et non necessario involvuntur in conceptu naturæ singularis talis, nego antecedens, et consequentiam cum sua probatione. Et sane mirum est, quod nonnulli existiment conceptum existentiæ non esse distinctum in re existente a conceptu naturæ singularis, cum certum sit nos de facto habere cognitionem de aliquo homine singulari qui existit, etiamsi non cognoscamus an existat, nec ne: adde quod unus Angelus sine dubio posset habere conceptum de alio Angelo singulari existente, saltem in absentia magna, quin cognoscat ipsum, ut existentem formaliter.

Dices 3: Angelus per eamdem speciem invariatam in actu primo, cognoscit rem singularem existere quando existit, et non existere, quando non existit: ergo quoties cognoscit quidditative alium Angelum, aut seipsum, necessario cognoscit intuitive. Probatur antecedens: nam eo ipso, quo contemplatur rem singularem, et non videt ipsam existentem, cognoscit, quod non existit: ergo per eamdem speciem invariatam cognoscit utrumque. — **Respondet** Poncius in Commentario ad 2. Scoti dist. 3. qu. 8. Primo quidem negando consequentiam: quamvis enim posset per eamdem speciem aliquam cognoscere rem singularem existentem, et non existentem; non tamen hoc deberet verum esse de omni specie, sed de specie sufficienti ad cognitionem intuitivam; ut valeret autem consequentia, deberet esse verum de omni specie. *Respondet* 2. negando *antecedens:* nam illa species, quæ nata est repræsentare rem ut singularem, et existentem, semper determinabit, nec potest aliter rem illam repræsentare: quod si habens talem speciem contempletur illam rem quando non existit, et non videat ipsam existentem: non videbit ipsam sic mediante illa specie; sed mediante alia, et non poterit cognoscere, quod non existat cum certitudine, quia sic potest discurrere: hæc res posset esse revera existens, quamvis non cognoscatur a me esse existens. Imo quamvis eadem species, quæ repræsentaret rem existentem, etiam repræsentare posset, quando non existeret: attamen etsi Angelus non videret eam existere, inferre non posset, quod ipsa res non existeret; dubitare namque posset videndo ipsam non existere; quod forte vel a Deo alibi esset translata,

vel quod sibi denegaretur divinus concursus ad illius rei existentiam deprehendendam. — ✳ " *Confirmantur* ista: si quid obstaret quominus species materialis subjecti corporei non posset concurrere cum intellectu angelico tamquam comprincipium ad formandam cognitionem rei existentis, maxime vel quia species illa cum sit materialis, non potest influere in facultatem et operationem pure spiritualem, qualis est intellectus et notitia Angeli, vel quia non posset conjungi cum ipso intellectu angelico ut ab eo fiat subtilior et spiritualis. At ex neutro capite istud repugnat: non quidem ex primo quia species rerum corporearum a sensibus excepta tametsi remaneat materialis et resideat in phantasia, est etiam facultas materialis. Nihilominus movet intellectum agentem et cum eo concurrit ad formandam speciem spiritualem et intelligibilem atque ab eo subtilizatur et fit veluti spiritualis. Quidni igitur species illæ rerum materialium etiam movere possint intellectum agentem ipsius Angeli, et ab eo reponi in statu spirituali et convenienti, ut cum ipso concurrant ad formandam intellectionem? — Non repugnat etiam ex secundo capite. Ut enim species materialis concurrat cum intellectu agente Angeli ad producendam cognitionem, necesse non est quod recipiatur in ipso intellectu, sed sufficit quod apte conjungatur ipsi et accommodetur ad recipiendam illam defœcationem et subtilizationem, ut constat exemplo speciei phantasticæ, quæ licet maneat intra phantasiam, nihilominus sufficienter applicatur intellectui agenti ut ab eo defœcetur et fiat immaterialis. — Nec reponere juvat disparitatem in eo esse quod phantasia sit facultas media inter sensum externum et intellectum agentem, ac proinde quod illius phantasma seu species sit naturæ defœcatioris et subtilioris, et consequenter aptioris ad producendam speciem immaterialem. Hæc, inquam, responsio non juvat; nam, ut supra diximus cum Doctore, inde solum colligitur quod major requiratur virtus in intellectu agente angelico, ad defœcandam illam speciem quæ ipsi offertur ab objectis corporeis, quam desideretur in intellectu humano ad attenuandam illam quæ ipsi a phantasia proponitur; licet enim hæc sit minus crassa et materialis quam altera, nihilominus semper est materialis: igitur hac ratione non repugnat ut spiritualizetur ab intellectu Angeli qui est vegetior quam humanus. " ✳

COROLLARIA.

Ex his collige 1. Animam rationalem a corpore solutam, posse seipsam per suam etiam substantiam intelligere; quippe tunc cognoscet modo angelico, nec indigebit speciebus acceptis a rebus sensibilibus, aut conversione ad phantasmata: secus autem est dum corpori alligatur; cum enim sit ipsius forma, nec possit quidpiam cognoscere, nisi sensuum beneficio, inde fit, quod indigeat specie quadam accidentali, qua ad sui ipsius cognitionem moveatur per discursum assequendam, removendo nempe a sua substantia omnes rerum corporearum defectus, et se immortalem ac immaterialem cognoscendam.

Collige 2. Quod quamquam Angelus seipsum per propriam suam substantiam agnoscat, quæ omnino similis est substantiæ alterius Angeli; nequit tamen alterum Angelum per intuitum suæ propriæ substantiæ, tamquam per speciem, abstractive cognoscere. Species enim est formalis et perfecta similitudo objecti: substantia autem unius An-

geli non perfecte assimilatur substantiæ alterius secundum omnes omnino gradus. Quamquam enim essent ejusdem speciei, et solo numero discreparent; quilibet eorum habet characteres proprios, et gradus individuales, quos alter non obtinet, adeoque unus alterum perfecte referre non potest. Adde quod ut unum objectum sit ratio cognoscendi alterius, debet illud continere, vel formaliter, vel eminenter: at neutro modo substantia Angeli alterum continet: non quidem formaliter, quippe cum habeant formas distinctas, et varios characteres personales: nec etiam eminenter, hæc enim eminentialis continentia rerum secundum earum entitatem, et perfectionem soli Deo congruit, ratione scilicet infinitæ suæ entitatis, et principii omnium entium.

Colligе 3. Quod cum species rerum universalium, et præstantiorum individuorum Angelis a Deo concessæ fuerint, consequens est illas ab ipsorum substantia non emanare; species enim cum sint semen objecti; vel ab ipso objecto, vel eo deficiente, a rerum omnium Opifice produci debent. *Deinde* qua ratione ab essentia Angeli emanarent aliquarum rerum species, emanarent quoque species cæterarum, etiam possibilium, adeoque infinitarum. *Denique* pari ratione dici posset, quod ab essentia Angeli emanarent ipsæmet rerum cognitiones.

Colligе denique, Quod etsi species illæ divinitus fuerint inditæ, non propterea tamen censeri debent supernaturales quantum ad substantiam; sed tantum quoad modum acquisitionis, non secus ac fuit scientia primis parentibus, et Salomoni a Deo concessa: illæ namque species fuerunt omnino similes eis, quas ipsi Angeli comparare potuissent ad præsentiam objectorum, si aliunde sibi inditas non habuissent; nec fuerunt ultra sortem, et exigentiam naturalem ipsius Angeli, quippe cum eorum nativa virtus cognoscendi id ex se naturaliter exigat, quod conducere potest ad suam naturalem perfectionem: species autem illæ ita conferunt, adeoque non debent censeri præternaturales.

QUÆSTIO TERTIA.

QUODNAM SIT OBJECTUM COGNITIONIS ANGELICÆ.

Suppono 1. Tamquam certum Angelum plura cognoscere naturaliter, puta seipsum, alios Angelos, et objecta quæque corporea, sive per se, sive per sui species angelicum intellectum ad sui cognitionem moventia, imo et Deum ipsum, cognitione nedum abstractiva, quæ fit per discursum, quaque nedum Dei existentia sed etiam ejus divinæ præcellentiæ ex rebus creatis colliguntur ab omnibus, subindeque longe perfectiori modo colligi possunt ab Angelis: sed etiam ea cognitione abstractiva, quæ fieret per speciem divinæ essentiæ repræsentativam: nam, inquit Doctor in 2. dist. 3. quæst. 9. n. 7. « talem speciem repræ« sentantem essentiam divinam intellectui angelico, non videtur in« conveniens ponere intellectui Angeli inditam esse a principio: ita « quod licet ipsa non sit naturalis intellectui, hoc modo quod iste in« tellectus possit ex naturalibus suis eam acquirere; neque etiam, quod « possit eam habere ex actione alicujus objecti agentis naturaliter, quia « non potest eam habere præsentialitate alicujus objecti finiti moventis, « nisi essentiæ divinæ tantum, quæ nihil aliud a se causat naturali

« causatione : tamen sicut perfectiones datæ Angelo in sua prima crea-
« tione, licet non necessario sequantur naturam ejus, dicerentur na-
« turales, distinguendo contra mere supernaturales, scilicet gratiæ et
« gloriæ : ita ista perfectio data intellectui angelico, qua essentia di-
« vina esset ei præsens distincte, licet abstractive, potest dici natu-
« ralis, et ad cognitionem naturalem Angeli pertinere : ita quod quic-
« quid cognoscit Angelus de Deo, virtute hujus speciei, aliquo modo
« cognoscit naturaliter, et aliquo modo non naturaliter : naturaliter,
« in quantum ista non est principium actus gratuiti, nec gloriosi ;
« non naturaliter autem in quantum, quod ad istam non posset pertin-
« gere ex naturalibus, neque aliqua actione naturali ». Hoc est, illa species distincte repræsentativa divinæ essentiæ, quam esse possibilem demonstravimus agendo de visione beatifica sectione 2. quæst. 1. esset naturalis, quantum ad substantiam, quippe non esset ejusdem ordinis cum qualitatibus, quæ sunt ordinis gratiæ, vel gloriæ ; esset autem supernaturalis quantum ad modum, quia nec ab intellectu exigeretur naturaliter tamquam perfectio ipsius naturali complemento debita, nec posset ab eo propriis viribus obtineri. — Hanc autem speciem Angelo fuisse inditam a primordio suæ formationis sibi persuadet Doctor hisce rationibus. 1. Quia naturalis felicitas Angeli præstantior fuit, quam extiterit nativa hominis felicitas : sed verisimile est hominem ante peccatum habuisse naturalem Dei notitiam aliqualiter distinctam : ergo Angelus perfectiorem, nempe quidditativam habere debuit. 2. Talis species possibilis non excedit capacitatem naturalem receptivam ipsius Angeli, summeque confert ad ejus perfectionem, quæ maxime ex veritatis cognitione integratur, subindeque præstantior est, quæ colligitur ex veritate præstantissima, qualis est distincta Dei cognitio. 3. S. Aug. lib. 4. *De Gen. ad litteram* cap. 21. tribuit Angelis omnibus ante lapsum cognitionem matutinam rerum creatarum in Verbo, præter cognitionem vespertinam earumdem rerum in seipsa : illa autem cognitio rerum in Verbo, vel fuit cum cognitione Dei intuitiva, vel cum abstractiva, et per speciem : primum dici nequit, alioquin etiam dæmones intuitivam Dei cognitionem habuissent, sicque fuissent revera beati, maxime in sententia Thomistarum, qui formalem beatitudinem in visione beatifica constituunt. Hoc autem nullus Theologorum admittit, adeoque necessum est fateri cognitionem illam rerum in Verbo extitisse simul cum cognitione abstractiva Dei per speciem. Insuper ex illo actu cognitionis potuit remanere notitia habitualis, et species ipsius memoriam causans, qualem habuit S. Paulus dum recordabatur eorum, quæ ad tertium Cælum raptus audiverat, et viderat. — Hic itaque solum inquirimus, an Angelus naturæ viribus cognoscere possit Deum, ut Auctorem naturæ, et gratiæ, necnon et ea, quæ intra utrumque ordinem continentur, seu quæ supernaturalia sunt tam quoad substantiam, v. g. gratia, lumen gloriæ, etc., quam quoad modum, v. gr. resurrectio mortuorum, aquæ in vinum mutatio, etc.

Suppono 2. Futura contingentia esse triplicis generis : quædam enim necessario proveniunt ex causis naturalibus, nec ullo modo pendent a libero arbitrio, ut motus corporum cælestium, et cursus astrorum, imo etiam omnes eventus naturales, qui in his inferioribus fiunt,

sive a cœlorum influxu, sive ab aliis causis inferioribus naturalibus, ubi nullo modo liberum intercedit arbitrium. Alia sunt futura, quæ non necessario, sed ut plurimum ex suis causis sequuntur absque ullo etiam liberi arbitrii interventu, ut sanitas ex tali medicina. Alia denique futura sunt, quæ omnino contingenter, et a causis liberis fiunt, aut eveniunt. *Certum* est autem Angelos naturaliter cognoscere necessaria, quæ continentur in causis naturaliter ad eorum productionem determinatis, atque de lege ordinaria a Deo rerum omnium Opifice non impediendis. Habent enim Angeli universalem, et mirabilem causarum naturalium scientiam, et consequenter effectuum ex illis naturaliter, et necessario provenientium. *Certum* pariter Angelos posse futura contingentia, et libera, idest a causis contingentibus, et liberis provenientia percipere cognitione quadam conjecturali, et aliquibus indiciis; idque quatuor modis, ut ex S. Augustino lib. 5. *De Genesi ad literam* de dæmonibus docet Seraphicus Doctor 2. d. 7. p. 2. a. 1. q. 3. videlicet: « vel ingenii acrimonia, aut multa experientia, aut « dolosa cautela, aut aliena doctrina: sensus acrimonia, ut quando « vident diligenter ac considerant ad quid inclinetur affectio nostra, « vel quæ sint inducentia, vel retrahentia. Experientia temporum, quia « ex talibus vident accidere talia. Dolosa cautela quando proponit ali- « quid factum, et prædicit quod aliquid sit facturus. Aliena doctrina, « quando justo Dei judicio permittitur addiscere ab Angelis. »

Suppono 3. Maximam apud Theologos versari difficultatem, an Angeli naturaliter cognoscere possint secreta cordium, seu affectus et cogitationes, vel ab hominibus vel ab aliis Angelis libere elicitas. Quamquam enim consentiant omnes contra Durandum, illos internos, et liberos affectus, non solum futuros, sed etiam præsentes revera Angelis de facto occultari, et soli Deo patere; quippe qui hanc notitiam sibi soli reservavit; tamen varias scinduntur in partes quantum ad virtutem, et activitatem naturalem intellectus angelici; an videlicet ex se sufficienti virtute polleat, qua possit hos liberos affectus, hasque internas cogitationes deprehendere. Id communiter negant omnes Thomistæ. Affirmant vero Doctoris Subtilis discipuli cum ipso in 2. dist. 9. n. 27. et in Reportatis dist. 10. Observandum autem cum Seraph. Doctore in 2. dist. 2. parte 2. q. 6. ex S. Augustino lib. 12. *De Genesi ad litteram* cap. 17. « Quod sicut substantiæ corporales habent aliqua « velamenta, quibus se alienis aspectibus occultant, sic et habent sub- « stantiæ spirituales suo modo. Quod quidem obstaculum non debet « intelligi per interpositionem alicujus naturæ opacæ, sicut est in visu « nostro corporeo, vel obscure, vel minus clare; sed abscondere in « eis, idem est, quod nolle manifestare. Et licet non sint ibi diver- « sitates plicarum ex compositione diversarum naturarum, sunt tamen « in anima gradus potentiarum, et statuum, secundum quos quædam « dicuntur esse animæ magis intima, utpote quæ respiciunt potentias « superiores, et simpliciores, sive puriores, secundum quas anima ma- « gis in se colligitur, et ei quod summe unum est unitur, et simpli- « ficatur; et penes has minime residet conscientiæ secretum. Inde su- « pra intulit, quod nulla creatura, nec humana, nec angelica potest « conscientiæ humanæ nosse secreta, nisi per signa et conjecturas, vel « nisi illa noverit Dei revelatione, aut hominis denuntiatione. Et quo-

« niam pauca sunt ita secreta, quin prodeant in opera exteriora, vel « appareant per signa exteriora faciei, vel per signa cordis, quod mo- « vetur diversimode secundum diversitatem actionum : hinc est, quod « multæ cogitationes, et affectiones nostræ deprehendi possunt a ma- « lignis spiritibus, nisi arceantur Dei virtute; hæc autem cognitio « potius est conjecturæ, quam certæ scientiæ ».

His itaque sic prælibatis, *Primo,* determinandum est, an Angeli virtute naturali cognoscere possint, quæ supernaturalia sunt quantum ad entitatem, et quantum ad modum. *Secundo,* utrum futura contingentia a causis liberis omnino pendentia, certo possint apprehendere. *Tertio,* an cogitationes internas, et affectus liberos cum Angelorum, tum hominum, non solum ex conjectura, sed etiam ex certa scientia nosse queant.

Conclusio prima. — ANGELUS RES IN ENTITATE SUPERNATURALES, ET QUÆ VERE SUNT INTRA ORDINEM GRATIÆ, ET GLORIÆ, COGNOSCERE NON POTEST VIRIBUS NATURÆ : BENE VERO EAS, QUÆ SUPERNATURALES SUNT TANTUM PENES MODUM. Hæc est receptissima apud Theologos quantum ad utramque partem : quarum

Probatur prima ex illo primæ ad Corint. 2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est? et quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei;* quasi diceret, quæ ex sola Dei, et libera voluntate pendent, nullus nisi illo tribuente cognoscit: itaque subinde hæc Apostolus addit: *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus; sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* Ubi Spiritum mundi recte Theodoretus interpretari videtur de creato Spiritu. Hoc enim Apostoli propositum est, nempe Christianæ fidei mysteria nullam creatarum rerum intelligentiam etiam Angelorum potuisse consequi, sed solo Dei revelante Spiritu fuisse cognita. Deinde spiritum mundi Dei spiritui opponit ex adverso. Quam in rem faciunt Ambrosii verba in commentario ad eum locum: *Sensum Dei nemo novit, nisi qui de Deo est Spiritus Dei. Inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura Conditoris sui dignoscere voluntatem.* — Probari pariter potest ex illo ad Ephesios 3. ubi idem Apostolus ait: *Sibi datam hanc esse gratiam, ut illuminaret* (idest instrueret, et doceret) *quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus, et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis Sapientia Dei :* Quæ enarrans S. Chrysostomus copiose demonstrat, ab Apostolis arcana illa detegentibus illustratos esse Principatus, et Potestates, hoc est supremos Angelorum ordines, et quæ hactenus ignorabant hoc ab illis didicisse. Id autem potissimum verum fuit de cognitione mysterii Incarnationis, ut diserte expendit Gregorius Nyssenus hom. 8. in Cant. *Etenim,* inquit, *hactenus simplicem, et uniusmodi potestatem Dei, et efficientiam intelligebant Angeli, qui una, et simplici Dei voluntate, ac solo verbo omnem illam conditarum rerum varietatem extitisse viderant. Varium autem illud et multiplex genus Sapientiæ, quod ex contrariis rebus invicem nexis, aptisque constat, per Ecclesiam manifeste cognoverant: Quemadmodum Verbum caro factum est, utpote quod vita cum morte miscetur : quomodo livore suo nostra vulnera persanat, quomodo*

crucis infirmitate vires hostis evertit: quemadmodum id quod aspectabile non est, in carne manifestatur, ut qui captivos redimit, idem ille, qui emptor est, et pretium; tum quemadmodum mortem sic obiit, ut a vita non recederet. — Favet etiam Anselmus in Commentariis ad Epistolam Pauli, ubi ait: *Per Ecclesiam profecisse in cognitione hujus sapientiæ etiam Angelicos Spiritus asserit: quia dum eam Christus vel per se, vel per Apostolos institueret, plurima secreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant.* — Mirandum quid magis loquitur Ambrosius lib. 4. *De init.* cap. 7. dum ait: *Dubitaverunt etiam Angeli cum resurgeret Christus, dubitaverunt Potestates cælorum videntes, quod caro in Cælum ascenderet: denique dicebant: Quis est iste Rex gloriæ? et cum alii dicerent, Tollite portas etc.; alii dubitabant dicentes: Quis est ille Rex gloriæ? etc.* Verum minime induci possum, ut credam Angelis tunc temporis incognitum fuisse Incarnationis mysterium; nam ipsemet S. Paulus ad Hebr. 1. scribit: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit, et adorent omnes Angeli Dei:* eo itaque momento quo in terram, idest, in carnis consortium inductus est Filius, hunc Pater Angelis suis proposuit adorandum. *Deinde*, non solum Gabriel nasciturum illum Dei, ac Virginis Filium nuntiat, sed etiam cæteri natum eumdem postea frequentia, et festis acclamationibus celebrarunt, apud Lucam, ac Pastoribus ortum illius indicarunt: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in Civitate David. Denique*, multo antequam carnem assumeret, Angelis cognitum esse persuadet ista ratio, quod cum Prophetæ Deum, hominemque venturum esse prædixerint, velut Isaias, non sit credibile hoc Angelos latuisse, qui cælestium vaticinationum Administri fere atque Interpretes erant. Quæ quamquam de sanctissimis Spiritibus vera sint, verisimilius tamen apparet hoc mysterium Incarnationis dæmonem latuisse: id namque aperte declarat S. August. *De Civit. Dei* cap. 21. ubi de Angelorum, ac dæmonum scientia, ejusque discrimine loquens: *Tantum*, inquit, *eis innotuit, quantum voluit: Tantum autem voluit, quantum oportuit: sed sic innotuit, non sicut Angelis sanctis, qui ejus secundum id quod Dei Verbum est, participata æternitate perfruuntur: sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, nimirum per quædam temporalia suæ virtutis effecta, et occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius, quam infirmati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda judicavit, et aliquando altius latuit, dubitavit de illo dæmonum Princeps, eumque tentavit, an Christus esset, etc.*

Huic veritati suffragatur quod scribit Apostolus 1. ad Cor. 2. cum de incarnata Sapientia ait: *Quam nemo Principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent:* Principes enim sæculi, dæmones intelligunt plurimi Patres, maxime vero S. Leo, serm. *De Passione*, ubi de Christo Domino ita scribit: *Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et servienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et humilitatem nostræ infirmitatis objecit. Si enim crudelis, et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset: Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis statuisset accendere:*

ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.

Hoc ipsum probat ratio theologica, 1. Quidem Angelus id solum nosse potest, quod suæ virtuti naturali proportionatum est: at mysteria gratiæ non sunt proportionata activitati naturali intellectus angelici, quippe cum sint altioris, et superioris ordinis, nec aliunde dicantur supernaturalia, quam quia omnimode excedunt vires agentis naturalis. *Deinde*, cum mysteria omnia ex mera Dei voluntate pendeant, cognosci nequeunt per eorum species nativas, nec per aliquid quod habeat cum eis connexionem: species enim illas, vel a rebus ipsis exciperet intellectus angelicus, vel a Deo sibi divinitus infundente. Non primum, cum enim res illæ sint inferioris ordinis, ad quem sese applicare non potest nativa Angelorum virtus; multo minus poterit ab eis species mutuari. Si secundum: ergo illas species non possunt naturaliter sibi vindicare, adeoque nec illa mysteria naturæ viribus cognoscere.

Dices 1: Dæmones revera cognoverunt Incarnationem Verbi, non per revelationem, nec per speciem sibi divinitus inditam: ergo, etc. — **Respondent** sacri Interpretes illos adulatorie locutos fuisse, ut veritatem elicerent, an esset Dei Filius, et Messias in mundum missus, necne; non tamen inde sequi illos viribus naturalibus cognovisse Incarnationis mysterium.

Dices 2: Ens creatum non excedit activitatem intellectus angelici; atqui entia illa supernaturalia sunt creata: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: non excedit activitatem intellectus angelici sub quacumque ratione consideratum, nego; sub aliqua, concedo. Est enim terminus, et objectum facultatis intellectivæ, quatenus ens est limitatum, et finitum, et sub hac ratione proportionatum cuicumque intellectui creato, et limitato; non vero quantum ad gradum supernaturalitatis, penes quem excedit virtutem, et activitatem ejusdem facultatis, ac proinde non mirum si non possit ab ea attingi.

Patet etiam secunda pars, nempe quod supernaturalia quantum ad modum non excedant vim naturalem intellectus angelici. Quæ revera sunt intra ordinem rerum naturalium, possunt ab intellectu angelico facile percipi: sed quæ tantum supernaturalia sunt penes modum, secundum suam entitatem revera sunt intra ordinem naturalem rerum, ut constat: ergo etc. Nec refert quod habeant gradum, et modum supernaturalitatis: cum enim Angelus perspectam habeat omnipotentiam divinam, noveritque Deum plura posse, quæ causarum naturalium activitatem omnimode superant, nullo modo entitatem naturalem effectus producti cognoscendo, etiam modum supernaturalem illius productionis saltem arguitive cognoscere poterit. Videndo namque hominem, qui prius cæcus extiterat, nunc donari visu; non solum hunc visum restitutum intelligere poterit, quippe cum visus ille secundum suam entitatem sit pure naturalis; verum etiam poterit judicare eum divinitus esse restitutum; siquidem perspicacius novit Angelus, quam Philosophi, a privatione ad habitum non dari regressum naturæ viribus; adeoque necessum fuit, ut homo ille oculis orbatus eos donante virtute supernaturali receperit. Hac ratione poterit Angelus nosse naturaliter Christi Domini humanitatem carere propria subsi-

stentia, et accidentia eucharistica privari inhæsione, et Christum esse sub speciebus modo indivisibili. Hæc enim quantum ad entitatem naturalia sunt, licet fiant modo supernaturali.

Dices: Si possit Angelus detegere Christi Domini humanitatem propria subsistentia spoliari; poterit etiam cognoscere eam subsistere divina, quod est præternaturale quantum ad substantiam; sed hoc est contra primam partem: ergo oportet alterutra sit falsa. — **Nego sequelam majoris**: cum enim Deus conservare possit substantiam omni subsistentia, ut volunt aliqui, spoliatam, cumque saltem suspendere possit suum concursum, ne Angelus videndo humanitatem videat etiam ejus subsistentiam ab ea realiter distinctam, si contingat Angelum videre Christi Domini humanitatem propria spoliatam subsistentia, exinde colligere non potest eam subsistere divina, quippe dubitare poterit num sibi Deus suum deneget concursum, ne videndo humanitatem videat pariter subsistentiam.

Conclusio secunda. — Angeli de facto non cognoscunt secreta cordium: Possent tamen ea percipere nisi Deus prohiberet.

Probatur prima pars illis omnibus Scripturæ textibus, quibus secretorum cordis notitia soli Deo reservari significatur; sic 3. Regum 8. *Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum*: et 2. Paralip. 6. *Redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: tu enim solus nosti corda filiorum hominum*, ait Salomon Deo: et Jerem. 17. *Pravum est cor hominis, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* Quæ interrogatio ejusque responsio videtur cuilibet alteri, præterquam soli Deo, negare notitiam cordis humani, et ejus agnoscendi difficultatem, non in Dei placitum, sed in ipsammet Dei naturam refundere.

Hanc ipsam veritatem præter Scripturarum testimonia, etiam SS. Patres nos docent, imprimis Origenes Homilia 7. in Genesim, ubi negat Angelos propositum mentis nostræ cognoscere; *Verbi causa*, inquit, *propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia* nunc cognovi, quod tu times Deum. *Deo enim soli cognitum est propositum mentis: si vero accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quæ inferuntur constanter cuncta suscepero, tunc potest dicere Angelus velut confirmans me, et corroborans:* nunc cognovi, quod tu times Deum. Subscribit Hilarius in Psalmum 139. *Cogitationes cordis*, inquit, *nosse non nostrum est, sed ei de quo dictum est:* scrutans corda et renes Deus: *ejus quoque qui dixit*, sciens cogitationes eorum, quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Ille occultos omnes malignorum cordium sensus penetrabili, atque pervio aditu obeunte natura virtutis suæ contuetur.* — Hoc ipsum suadent alii SS. Patres, dum probant Christum fuisse verum Deum ex eo quod internas mentis cogitationes cognoverit: si autem cognoscere secreta cordium non esset actio Deo propria, et alteri quam Deo conveniret, non bene ex ea inferretur Christum esse Deum: ergo cognoscere secreta cordium est actio Deo propria, quæ nulli creaturæ humanæ, vel angelicæ competit. Probatur *major* ex Joann. 9. ubi dicitur, quod Christus non credebat semetipsum aliquibus, qui in ipsum se credere profitebantur, quia eorum corda

a se aliena esse cognoscebat. Ex quo infert Evangelista indicans Christi divinitatem: *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine:* ad quæ Cyrillus 2. in Joann. *Hæc quoque dignitas,* inquit, *uti et cæteræ quæ sunt in Christo, Deo competit; nec inest ulli rei creatæ. Soli enim vero Deo ipsam tribuit Psalmista dicens: Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Hinc Ambrosius in caput 5. Lucæ; *Dominus,* inquit, *salvos volens facere peccatores, et occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Quibus subscribit S. Chrysologus serm. 5. ubi Pharisæum alloquens cujus cogitationem Christus detexerat Lucæ 7. *Cape,* inquit, *ejus Divinitatis insignia, audi eum pectoris tui penetrasse secretum: aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse. Intellige eum cordis tui tacita nudare consilia.* Et serm. 94. *Dum Pharisæi cordis patefecit arcanum, seipsum fuisse totius Prophetiæ demonstrat Auctorem.* Quibus omnibus constat revera Angelis negare secretorum cordis cognitionem, quippe soli Deo propriam.

Dices 1: Nonnulli etiam SS. Patres affirmant Angelos suos invicem affectus naturaliter nosse, necnon et hominum cogitationes. Sic Philippus Presbyter in commentariis ad librum Job, existimasse videtur Angelos intimas suas cogitationes, et affectus invicem cognoscere. *Non enim,* inquit, *quidquam affectuum suorum ab invicem latere Spiritus possunt. Simplices enim creaturæ nullum habentes quasi obstaculum corpulentiæ, perspicuæ sibi sunt.* Ita pariter sentire videtur S. Gregorius lib. 18. *Moralium* cap. 27. *In beatitudine resurgentium,* inquit, *perspicabilis alteri sicut ipse sibi; et cum unusquisque intellectus attenditur, simul conscientia penetratur.* Unde concludit, *Civitatem Beatorum allegorice vocari vitrum mundum.* Et immediate post subjicit: *Nunc autem corda nostra quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, sed intra lutea vascula concluduntur.* Subscribit etiam Beda libro 2. *In Job.* c. 7. ubi ait: *Non enim quidquam affectuum suorum ad invicem latere spiritus potest: Simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentum, perspicuæ sibi sunt.* — **Respondeo** 1. SS. Patres intelligendos esse vel de cognitione conjecturali, quam habere possunt Angeli, maxime ex hominibus per quamdam corporis eorum concitationem, qualiter S. August. lib. *De divinatione Dæmonum,* aliquando dixerat: *Angelus hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere.* Quod deinde retractavit 2. *Retract.* c. 30. *Rem,* inquit, *dixi occultissimam audaciore asseveratione, quam debui; nam pervenire ista ad notitiam Dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est: Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium, illis sensibilia, nos autem latentia; an alia vi, et ea spiritali ista cognoscant; aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri.* — *Respondeo* 2. SS. Patres laudatos solum velle, quod Angeli non impediantur propter membrorum corpulentiam, sicut homines, ne alter alterius mentem penetrent.

Objicies 2. Experientia constat, quod Angeli etiam mali plerumque cognoscant et prodant cogitationes internas et secreta cordium. Nam Magi et Energumeni aperiunt interdum quid homines inter se deli-

beraverint, aut cogitaverint; ut de Alberico quodam Mago testatur S. August. lib. 1. contra Academicos c. 6. Alia etiam refert Delrio libr. 1. *Disquisitionum magicarum* c. 2. quæst. 2. — **Respondeo:** dæmones hæc quidem cognoscere, et aperire ex conjectura propter concitationem quam vident in corpore; vel ex eo quod illi interni affectus mentis, et cordis repræsententur in phantasmate, aut in appetitu sensitivo propter motus internos concitato; nam ut 2. suppositione observatum est ex S. Bonaventura, possunt dæmones quatuor modis res abditas et occultas detegere, vel ut addit ibidem: « Dico quod nulla creatura, nec humana, nec angelica potest conscientiæ humanæ nosse secreta, nisi per signa vel conjecturas, vel nisi noverit Dei revelatione aut « hominis denuntiatione. Et quoniam pauca sunt ita secreta, quin procedant in opera exteriora, vel apparent per signa exteriora faciei, vel « per signa cordis, quod movetur diversimode secundum diversitatem « affectionum, hinc est quod multæ cogitationes, et affectiones nostræ « deprehendi possunt a malignis spiritibus, nisi arceantur Dei virtute; « hæc autem cognitio potius est conjecturæ, quam certæ scientiæ ».

Probatur secunda pars, nempe quod Angelus posset virtute naturali detegere secreta cordium, nisi Deus præpediret, ut asserere videtur Doctor in 3. dist. 9. qu. 9. num. 27. et in dist. 10. q. 8, ✻ " ubi respondens ad argumentum S. Thomæ initio quæstionis propositum ex prima parte quæst. 57. art. 4. et quæst. 17. art. 3. quo Angelicus Doctor contendit cogitationes et affectiones intellectus et voluntatis soli Deo esse notas, quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest qui est principale ejus objectum et ultimus finis; sic illud impugnat: *licet aliqui dicant quod Angelus potest intellectionem suam per actum voluntatis suæ occultare, et non occultare, et istud non occultare, est loqui: tamen non videtur quare aliquid actu intelligibile esset præsens intellectui passivo, et non posset ipsum immutare: nec videtur major ratio, quare per voluntatem suam possit occultare magis intellectionem suam, quam essentiam.* Et in 1. dist. 15. quæst. 1. num. 7. ubi disputat utrum Beati cognoscant orationes quas offerimus, cum proposuisset secundum argumentum pro parte negante, nimirum quod solus Deus novit secreta cordium, qualis est oratio mentalis, sic respondet: *Dico quod nihil est in mente, operatio scilicet quæcumque intellectus et voluntatis, vel quæcumque proprietas, vel conditio realis hujus, vel istius, quin totum ita pateat Angelo proportionaliter præsenti non impedito, vel animæ non impeditæ proportionaliter præsenti, sicut animæ conjunctæ apparet albedo præsens per sensus.* Ex quibus constat Doctoris sententiam esse quod Angeli non solum hominum sed et suas invicem cognoscere possent mentis cogitationes et affectiones naturaliter, nisi a Deo præpediantur. " ✻ — Omne objectum actu intelligibile, et proportionatum, ac sufficienter præsens intellectui angelico, potest ab eo naturaliter percipi: sed secreta cordium et affectus mentis sunt ejusmodi: ergo, etc. *Major* est evidens: *minor* probatur: illud est actu intelligibile, et proportionatum intellectui angelico, quod revera est existens; omne enim ens reale est actu intelligibile, quodque continetur intra ordinem naturalem: sed illi mentis affectus, ac secreta cordium supponuntur actu existere: sunt etiam intra ordinem naturalem, non enim sunt super-

naturales actus, ut supponitur, adeoque proportionantur intellectui angelico.

Reponunt Aliqui illos affectus mentis esse quidem naturaliter cognoscibiles ab intellectu angelico, nisi per voluntatem alterius Angeli tales affectus habentis occultarentur: cum autem uniuscujusque Angeli voluntas sit libera, et domina suarum actionum, eos potest pro libito occultare, vel manifestare: adeoque non posset alter Angelus detegere quacumque virtute naturali, nisi consentiat alius. — **Contra**, inquit Doctor, non est potior ratio, cur Angelus posset per volitionem suam occultare mentis affectum, et cogitationem internam, quam essentiam: sed efficere nequit ut alter Angelus suam essentiam non videat: ergo nec impediet quominus videat suos affectus. *Major* est evidens: illi namque affectus tam reales sunt, quam essentia, subindeque sunt æque intelligibiles. *Deinde*, illa volitio per quam diceretur occultare suos affectus, est etiam ens naturale, et actualiter intelligibile, adeoque vel pateret simul cum eo, quod occultare dicitur, vel deberet occultari per alteram volitionem, et illa rursus per aliam, et sic fieret processus in infinitum.

Reponunt 2. Thomistæ intellectum angelicum posse quidem naturaliter attingere omnem entitatem naturalem spectantem ad ordinem physicum, non vero eam quæ spectat ad ordinem moralem. Actus autem liberi, inquiunt, pertinent ad ordinem moralem, non autem ad ordinem physicum; adeoque non mirum si ab intellectu angelico non possint naturaliter percipi. In tantum enim, inquiunt, intellectus angelicus potest aliquod objectum percipere, in quantum est pars Universi; ea autem quæ ad lineam moralem et liberam pertinent, non sunt partes Universi, sicque non sunt intra objectum proportionatum intellectus angelici. — **Contra** 1. Omne ens reale, sive sit physicum sive morale, est ex se actu intelligibile, eo modo quo ens reale est, sive sit ordinis physici sive moralis: sed illi affectus mentis sunt entia realia naturalia: ergo naturaliter intelligibilia, subindeque naturaliter possunt cognosci: ens enim naturaliter cognoscibile potest naturaliter cognosci. *Deinde*, concedunt ipsi Thomistæ quod Michaël, v. g. possit naturaliter cognoscere suos proprios affectus, suasque internas cogitationes: ergo pari jure eas poterit cognoscere Gabriel; tam enim illæ cogitationes sunt naturaliter cognoscibiles respectu Gabrielis, quam respectu ipsius Michaëlis: adeoque qua ratione Michaël illas concipit virtute naturali, licet sint intra lineam moralem, pari ratione eas percipere poterit Gabriel. *Denique*, unus Angelus potest percipere affectus alterius Angeli eos sibi revelantis; nam, ut constabit infra, Angeli sibi invicem loquendo promere possunt internas cogitationes, et mentis affectus: ergo ratio illa entis moralis non impedit quominus illæ cogitationes, et mentis affectus possint naturaliter cognosci, si fiant debite præsentes; sive interim manifestentur voluntarie, sive non. Revera itaque unus Angelus cognoscere posset internos mentis affectus alterius, nisi Deus præpediret. — Quod autem Deus illam cognitionem prohibeat, colligitur tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus supra laudatis.

Dices 1: Præfatæ Scripturæ ac SS. Patrum sententiæ simpliciter affirmant non posse internos mentis affectus ab alio, quam a Deo co-

gnosci: sed hic loquendi modus verus non esset si naturaliter cognosci possent, ut asserimus: ergo hæc nostra sententia tam Scripturæ, quam SS. Patribus videtur adversari. Probatur *minor: Primo*, quia quod naturaliter fieri potest, dicitur absolute fieri posse; quamquam enim Deus præpedire possit ignem ne comburat, nihilominus revera ignis dicitur posse comburere, quia vim comburendi naturalem habet; ergo si dici potest simpliciter, quod illi interni affectus possint cognosci naturæ viribus, propositiones contradictoriæ fieri poterunt, nempe quod possint cognosci naturaliter, et non possint cognosci naturaliter. *Secundo*, quia si naturaliter intellectus creatus videre posset alienæ mentis affectus, sequeretur illum semper esse in statu violento, fierique miracula perpetua; sicut miraculum esset si ignis debite applicatus non comburet, quod certe videtur minus congruum, maxime cum Deus non videatur privare concursu connaturaliter debito totum aliquod genus causæ (saltem a principio suæ formationis) ad aliquam actionem, ad quam habet naturalem inclinationem, et virtutem proportionatam: alias illa inclinatio, et virtus essent frustraneæ. *Tertio denique*, quia ex locutionibus SS. Patrum, quibus Deus asseritur absolute invisibilis, non posset colligi quod non videri queat naturaliter. Simili namque ratione diceretur Deus invisibilis, non quia non possit naturaliter videri, sed quia Deus non decrevit concurrere ad sui visionem, nisi post hanc vitam: at consequens videtur absurdum: ergo et antecedens. — **Nego minorem**, et ad ejus primam probationem dico, quod licet Angelus de facto non percipiat alienos mentis affectus, ad quos tamen cognoscendos naturalem habet cognitionem, et virtutem, exinde non sequitur dicendum illum posse naturaliter illos mentis affectus percipere, quod esset contradictorium. Etenim ut propositiones sint revera contradictoriæ, debent fieri de eodem, eodemque modo spectato, quod non occurrit impræsentiarum. Dum enim concedimus Angelos habere vim ad percipiendos alienos mentis affectus, concedimus in eis facultatem et potentiam solum in actu primo expeditam ad hanc operationem eliciendam: dum vero negamus eos mentis affectus de facto percipere, etiam negamus illam nativam cognoscendi facultatem esse ad hanc operationem expeditam in actu secundo, propter negatum sibi divinum concursum: adeoque nostra affirmatio, et negatio licet sit de eodem, non est tamen de eodem modo se habente. Affirmatio enim est de potentia Angeli in actu primo; negatio vero de eadem potentia in actu secundo considerata; et sic illæ propositiones non sunt revera contradictoriæ. *Ad secundam probationem nego minorem:* res enim non censetur esse in statu violento nisi dum suspenditur, et præpeditur ejus naturalis virtus omnimode, non vero tantum quantum ad aliquam operationem; plura namque possumus naturaliter exequi juxta nativam propensionem appetitus rationalis, et sensitivi, quæ tamen Deo prohibente non facimus; nec propterea dicimur esse in statu violento: nec congrue diceretur Deus nobis vim facere, dum ut supremum suum in nobis dominium demonstret, nostramque erga se reverentiam et observantiam obtineat, plura fieri prohibet, ad quæ naturalis appetitus propensionem injicit. Sic a simili quamquam Deus suum Angelo deneget concursum ad detegendos alienos mentis affectus, non ideirco dicendus est ei vim inferre, quippe

cum liberum eum faciat ad cætera quæque cognoscenda. Nec pariter inde sequitur frustraneam illam esse virtutem intellectivam naturalem; non enim necesse est, ut virtus aliqua ingenita non dicatur frustranea, quod exeri possit circa quæcumque objecta, et in quibuscumque subjectis: nam inclinatio, quam Deus Angelis, et hominibus initio indidit ad beatitudinem, non impletur in dæmonibus, et damnatis, nec tamen dicitur inutiliter indita, sufficit enim, inquit Doctor, quod impleatur in aliquibus individuis naturæ angelicæ, et humanæ, ut revera fit in beatis Angelis, et sanctis mentibus. *Ad tertiam probationem, nego sequelam;* ratio namque disparitatis est, quod Deus absolute, et simpliciter dicatur naturæ viribus invisibilis, quippe cum ejus intuitiva cognitio non sit intra lineam ordinis naturalis, sed supernaturalis, adeoque quando dicitur invisibilis, sufficienter intelligitur eum esse extra spheram activitatis mentis creatæ, nec ab ea posse attingi, nisi illustretur, et roboretur indito sibi divinitus auxilio: secus autem est de affectibus mentis ab Angelo cognoscendis; cum enim sint intra lineam ordinis naturalis, nec excedant activitatem ingenitam mentis creatæ, ex eo quod ab ea naturaliter possint percipi, nec tamen percipiantur, non sequitur eos esse naturaliter imperceptibiles, sicut sequitur Deum esse invisibilem, non præcise quia non videtur naturæ viribus, sed quia non potest videri, propterea quod non sit intra lineam, et ordinem naturalem, sed supernaturalem.

Dices 2: Quotiescumque nullum individuum alicujus speciei habet de facto aliquem effectum, quantumvis ita expedite sese habeat ad illum sicut se habere potest ad alios effectus producendos, affirmari non debet ad eum effectum habere vim naturalem, nisi aliunde constet ratione, vel auctoritate negationem productionis ejus effectus, non ex ejus activitate naturali, sed ex negato sibi divinitus concursu provenire; sed nullus intellectus angelicus quamvis suas vires exerat ad percipiendum alienum mentis affectum, ipsum usquam percipiet, absque voluntaria alterius manifestatione, vel speciali Dei revelatione: ergo si ratione, vel auctoritate aliunde non constat hanc cognitionis negationem oriri solum ex negato divino concursu, tatendum erit illam provenire ex impotentia Angeli cognoscentis, qui ad eos mentis affectus percipiendos nativam activitatem non habet: sed hoc suaderi nequit, nec auctoritate, nec ratione; ergo, etc. — **Concedo primum argumentum**, sed nego subsumptum: siquidem ratione sufficienti probatum est Angelos habere sufficientem vim naturalem ad percipiendos alienos mentis affectus: cumque auctoritatibus tum Scripturæ, tum SS. Patrum constet etiam aperte illos de facto tales mentis affectus non percipere, consequens est, quod illa non perceptio proveniat, non ex impotentia virtutis intellectivæ, sed ex negato sibi divinitus concursu. ✳ " Nam, ut loquitur Doctor in Reportatis, dist. 9. quæst. 2. n. 6. *Ideo dicitur solus Deus cognoscere volitiones, quia non coagit in volitionibus cognoscendis, ut unus Angelus agat in intellectum alterius.* Igitur Deus non concurrit cum ullo angelo ad detegendas volitiones alterius, nisi ipse Angelus alter libere velit suam volitionem per locutionem alteri significare; cum tamen volitio illa natura sua sit intelligibilis et cognoscibilis, facileque cognosceretur ab altero Angelo

nisi Deus per negationem concursus cognitionem illam actualem suspenderet.

Instabis: Ibidem Doctor significat suspensionem illam divini concursus spectare tantum ad actus morales et meritorios; loquitur enim solum de voluntatibus quæ meritoriæ sunt aut demeritoriæ, quia, inquit, *volitiones ordinantur ad punitionem et præmiationem, quæ soli Deo conveniunt secundum illud: Mihi vindicta, et ego retribuam. Et ideo cognitionem istam sibi reservavit, quia sibi convenit primaria potestas et judiciaria.* Sed illa ratio non ita concludit de intellectionibus sicut de volitionibus; quia *non ita sunt ordinatæ ad præmium et pœnam. Unde non sunt meritoriæ.* — **Respondeo** revera Doctorem in ea esse sententia quod Angeli boni de facto cognoscere possint suas invicem operationes quatenus mere naturales sunt, seu secundum earum entitatem naturalem; non vero ut sunt liberæ moraliter et bonæ vel malæ, meritoriæ aut demeritoriæ, quatenus videlicet ordinantur ad bonum vel malum finem, qua ratione proprie dicuntur secreta cordium. Hanc autem utramque cognitionem censet Doctor Deum denegare pravis Angelis, ut ipsemet distincte docet in 1. dist. 10. quæst. 8. n. 12. ubi scribit: *De malis Angelis dico, quod si absolute permittatur quicumque Angelus malus uti sua cognitiva potentia naturali, potest intelligere quodcumque intelligibile causatum, et per consequens cogitationes cordium, et mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effecta. Sed, sicut dicit Magister lib. 7. d. 7. multa possunt ex natura sua, quæ non permittuntur eis. Et ita supponitur, quod non permittitur Angelo malo videre secretum cordis, et hoc modo, et non alio posset videre corpus Christi in Eucharistia. Sic ergo supponitur quod non permittuntur videre mysteria gratiæ.* Quibus verbis Doctor negat malis Angelis cognitionem secretorum cordis, tam quantum ad eorum esse morale quam quoad esse naturale. — Itaque cum objicitur: solus Deus novit secreta cordis, respondendum est cum hac distinctione: solus novit secreta cordis, quatenus sunt ordinis pure naturalis, nego, siquidem ea hac ratione sunt etiam bonis Angelis manifesta: quatenus sunt supernaturalis et moralis atque ad eum ut præmiatorem et vindicem ordinata, concedo. Hæc enim genuina videtur esse Subtilis Doctoris sententia. " ✳

Dices 3: Ex dictis constat SS. Patres probasse Christi Domini Divinitatem ex eo quod noverit secreta cordium, et internos mentis affectus: ergo signum est eos censuisse talem cognitionem soli Deo esse propriam, nec alteri ullatenus posse competere, alioquin nulla certe foret eorum illatio. — **Nego consequentiam**, sicut et ejus illationem; etenim ad efficacitatem argumenti sanctorum Patrum sufficiebat, quod ex Scriptura constaret Deum solum habere de facto cognitionem cogitationum cordium; quam cum etiam Christus de facto haberet, consequens erat, quod esset Deus. Adde quod illud argumentum Christi Divinitatis videatur quidem sufficiens, sed non efficax; nam etsi non fuisset revera Deus, potuisset tamen internos mentis affectus nosse, nempe per revelationem divinam, uti contigit pluribus Prophetis, maxime cum illius cognitionis modum, esse vel naturalem et proprium, vel supernaturalem et aliunde acceptum Scriptura sacra non explicet.

✳ " Ut cætera quæ adversus Doctoris Subtilis hac in re sententiam

solent objici facilius dissolvantur, signanter advertendum est eum secretorum cordis notitiam diversimode tribuere Deo, angelis et dæmonibus: ita quod Deus ex infinita intelligendi virtute ea noverit non solum secundum eorum esse naturale, sed etiam secundum esse morale et supernaturale; nec aliqua dumtaxat, sed omnia prorsus, nec per notitiam ab alio acceptam sed sibi maxime propriam. Angeli vero boni per virtutem a Deo sibi concessam possint quidem ea cognoscere secundum eorum esse naturale, non vero secundum esse morale et in ordine ad finem supernaturalem. Dæmones vero ea dumtaxat noverint notitia conjecturali, maxime in iis quæ spectant ad hominum affectus internos quos ex quibusdam corporis motibus et concitationibus augurantur et inferunt. — Audiendus ipsemet Doctor in 4. dist. 45. quæst. 1. n. 7. ubi respondens ad secundum argumentum propositum initio hujus quæstionis *utrum beati cognoscant orationes quas offerimus*; cum objecisset solum Deum nosse secreta cordis ac subinde eum solum habere compertas orationes mentales, sic respondet: « dico quod nihil est in « mente, operatio scilicet quæcumque intellectus vel voluntatis, vel « quæcumque proprietas, vel conditio realis hujus vel istius, quin « totum ita pateat Angelo proportionaliter præsenti non impedito, vel « animæ non impeditæ proportionaliter præsenti, sicut animæ con- « junctæ apparet albedo præsens per sensum. Illud ergo dictum quod « solus Deus novit abscondita cordium, verum est universaliter et ex « propria perfectione, ita quod impossibile est, quod per aliquid im- « pediens sibi lateat. Novit etiam ut Judex universalis omnium talium « occultorum, illo modo quo nec Angeli boni, nec mali, nec animæ sepa- « ratæ noverunt. Imo de facto Beati multos tales motus non noverunt, « propter defectum præsentiæ debitæ. Mali autem multa talia etiam « præsentia proportionaliter non noverunt, Deo impediente, propter « cujus impedimentum non possunt multa, quæ tamen non impediti « naturaliter possunt. » Ita Doctor. " ✳

Conclusio tertia. — Futura contingentia a causis liberis pendentia Angeli non cognoscunt.

Probatur 1. Ex Scriptura sacra, maxime ex illo Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos:* et cap. 26. *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quæ nondum facta sunt, dicens.* Et Daniel 2. *Est Deus in Cœlo revelans mysteria.* Idem docent SS. Patres communiter. Hilarius in libro 9. *Proprium Deo quid est, quam cognitio futurorum?* Cyrillus quoque libro 4. in Joan. *Nulli,* inquit, *alii quam uni, ac soli naturali Deo futura nosse convenit.* Et Hieronymus expendens illud Isaiæ 46. ubi fuse probat dæmones non potuisse per idola futuros rerum eventus prædicere, quippe cum nec templorum suorum ruinam præscierint. Quocirca certe Origenes lib. 6. *Contra Celsum,* merito concludit, *Divini sermonis characterem esse futurorum prædictionem.* Et S. Damascenus lib. 2. *De Fide* cap. 4. affirmat non solum dæmonibus, sed etiam sanctis Angelis negari futurorum ex libertate pendentium præscientiam: Angelos quidem bonos illa nosse posse ex Dei revelatione, dæmones autem ex sola conjectura.

Hanc veritatem probat Seraphicus Doctor, 2. *dist.* 7. *quæst.* 3. Hæc futura contingentia, aut cognoscuntur ab Angelis in causis, aut in seipsis: non in causis, quia liberum arbitrium ex se indifferens est ad unam, et ad alteram partem, et æque respicit unam, atque alteram: ergo ex illo non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus. Non in seipsis, quia hoc solius Dei videtur proprium, qui ut est æternus, æternitate sua omnia tam futura, quam præterita habet præsentia. « Unde, inquit, divina cognitio non pendet a re aliqua: « imo omnia, quæ novit, secundum modum suæ veritatis novit, et « quia veritas sua est certissima, certissime cognoscit contingentia, « ut necessaria, at sicut certissime novit, ita potest certitudinaliter « denuntiare, et revelare; ideo hæc præcognitio futurorum, vel Dei « est, vel a Deo; et ideo cum talia prædicuntur, prædictio dicitur « *Divinatio*, quia talis est actus divinus; et quia dæmones superbi « maxime desiderant honorari ut Deus, maxime conantur ostendere « hoc in se habere, et hoc ideo dicere, quod dæmones per seipsos fu- « tura contingentia præsciant certitudinaliter, hoc est eis attribuere « quod Dei est; ideo est ibi infidelitas, et infidelitati frequenter an- « nexa idololatria; ideo Divinatio est prohibita. » Verum hæc ratio, quæ communis est apud omnes Theologos suadere potest quidem Angelos de facto non cognoscere illa futura, quæ ex libero Dei, vel creaturæ rationalis arbitrio pendent; verum efficaciter non demonstrat ad eorum cognitionem Angelos naturalem activitatem non habere. Licet enim voluntas libera sit, tamen necessario determinata est veritas alterutrius propositionis rei venturæ, illaque veritas cum sit intra limites ordinis naturalis, non videtur captum angelicum transcendere, ideoque ratio cur ipsam veritatem rei futuræ Angelus non cognoscat, non est aliunde petenda, quam ab ipsa Dei voluntate sibi reservante cognitionem rei futuræ, quam pro libito creaturis interdum denuntiat, et revelat.

Dices: Experientia constat dæmones, vel per se, vel per homines quos inspirant multa libere futura denuntiare, puta bellorum exitus, regnorum permutationes, et alia his similia, quæ a liberis hominum voluntatibus pendent; sed hæc a Deo revelante non excipiunt: ergo sua virtute naturali prævidere possunt futura contingentia. — **Respondeo** ad *majorem*, revera quidem dæmones interdum hæc denuntiare, sed ea vel a Deo accipiunt, qui malis, et impiis multa revelat, ut per Balaam, et Caipham, et Sybillas Gentiles, et idololatras olim multa prædixit, sicut docet Augustinus lib. 2. *De Genesi ad litteram* cap. 17. quique dæmones interdum alloquio suo dignatur, ut patet ex cap. 1. et 2. Job. iisdemque velut justitiæ suæ ministris potest aliqua futura revelare per seipsum immediate, vel per sanctos Angelos; vel dico dæmones vera prædicere per revelationes non sibi factas, sed sanctis hominibus, quas ex eorum vel dictis vel scriptis excipere possunt. *Nam*, inquit Tertullianus in Apolog. cap. 22. *dispositiones etiam Dei, et nunc Prophetis concionantibus excerpunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur Divinitatem, dum furantur divinationem.* Vel tertio dico cum sancto Augustino lib. 2. *De Genes. ad litteram* cap. 17. *Quod aliquando nefandi Spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt velut divi-*

nando prædicant: quapropter bono Christiano sive mathematici, sive quilibet impie divinantium maxime dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant. Quarto denique dico, dæmones aliquando cognoscere futura ex conjecturis, et siderum influentiis, quas optime norunt: *Nam,* inquit Tertullianus ibidem, *habent de incolatu aëris, et de vicinia siderum, et de commercio nubium cœlestes sapere paraturas: ut et pluvias, quas jam sentiunt, repromittant.* Cum autem aliunde sciant maximam hominum partem sequi magis passiones influentiis siderum excitatas, quam rationem, frequenter vera dicunt, licet non certo, sed tantum conjecturaliter illa cognoscant. Adde quod Deus in vindictam impiæ curiositatis consulentium interdum permittat, ut vel Dæmones, vel Magi vera prædicant: *Nam,* inquit S. Augustinus lib. 2. *De Doctrina Christiana* cap. 23., *fit ut occulto quodam judicio divino cupidi futurarum rerum homines tradantur illudendi, et decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus eos, atque decipientibus Angelis; quibus illusionibus, et deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis, et perniciosis divinationum generibus multa præsentia, et futura cognoscantur, nec aliter accidant, quam dicant, multa secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, et sese magis, magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris.*

Objicies 2. Anima rationalis plura etiam aliquando inter dormiendum, et quando sit libera ab operatione sensuum, maxime exteriorum, futura detegit; plura namque in somniis cogitamus, quæ postmodum eventu vera fuisse cogitata probantur. Ergo id multo magis tribuendum Angelis ab omni corpore defœcatis. — **Respondet Seraphicus Doctor** supra laudatus, quod « quintuplicis generis sunt Somnia. « Quædam contingunt ex dispositione corporis: quædam ex sollicitu- « dine mentis: quædam ex illusione diabolica: quædam ex revelatione « angelica: quædam ex visione divina. Prima duo Somnia sunt præ- « sagia futurorum, quæ habent causam in nobis, ut Somnia, quæ con- « tingunt ex causis corporis, sunt signa infirmitatis: Somnia quæ con- « tingunt ex sollicitudine mentis, sunt signa eorum, ad quæ facienda « vel desideranda nostra inclinatur affectio. Alia vero non sunt signa « de se, imo si de se alia applicentur, potius præbent occasionem er- « randi, quam præsciendi Somnia, quæ si sunt a diabolica illusione, « nullius sunt roboris sicut nec divinationes Aruspicum. Somnia vero, « quæ sunt ab Angelis bonis, aut a Deo, sunt in nobis signa vera, et « recta; et ita ex hoc non habetur, quod præcognitio futurorum contin- « gentium aliter habeatur, quam a Deo. »

✻ « Quæres. — *Quotuplex et quæ sit angelica cognitio?*

Respondeo duplicem assignari a S. Augustino Angelorum notitiam, quarum unam *Matutinam,* alteram *Vespertinam* appellavit, occasione sumpta a creatione universi per sex dies vespere et mane clausos; ita quod in istius sententia dies illi creationis mundi non fuerint in successione decurrentis temporis, sed in cognitione angelica quam ipse duplicem distinxit, quarum primam idcirco appellavit Matutinam quod per eam res productas aut producendas cognoscebant in Verbo divino velut in speculo, in quo res illæ repræsentabantur,

sed longe clarius ac distinctius quam sint et appareant in seipsis; alteram autem quam de rebus ipsis secundum earum esse entitativum et naturale spectatis intellectus angelicus habuit, cum fuerit subobscura, seu minus splendida quam præcedens, idcirco eam Vespertinam nominavit. — Qua de re audiendus est ipsemet S. Augustinus lib. 1. *De Genesi ad litteram*, cap. 31. ubi loquens de cognitione angelica, et inquirens utrum Angeli simul res omnes noverint, respondet: *Nonne per omnes sex dies cum ea quæ per singulos Deo condere placuit, conderentur, primo hæc accipiebat in Verbo Dei, ut in ejus notitia primitus fierent jam dicebatur, et sic est factum. Deinde cum facta essent in sua propria natura qua sunt, Deoque placuissent quia bona sunt, tunc itidem ea cognoscebat alia quadam inferiori cognitione, quæ Vesperæ nomine significata est, ac deinde facta vespera fiebat mane, cum de suo Deus opere laudaretur, et alterius creaturæ quæ deinceps facienda erat, ex Dei Verbo notitia priusquam fieret acciperetur. Non ergo tunc simul omnia et dies et vespera et mane, sed singillatim per ordinem quem Scriptura commemorat.* Deinde cum statuisset discrimen inter cognitionem humanam et angelicam, quod illa cum tarditate, difficultate et temporis mora propter corpus corruptibile comparetur; mens vero angelica citissime cognoscenda deprehendat; adjicit: *prius ea vidit in Verbo Dei facienda quam facta sunt: ac si prius in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura, quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit. Minore itaque notitia quæ Vespera dicta est, quam notitiam sane præcedebant quæ fiebant, quia præcedit cognitionem quidquid cognosci potest nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest. Post hæc si eo modo sibi placeret, ut amplius se ipsa quam Creatore suo delectaretur, non fieret mane, idest de sua cognitione in laudem Creatoris non assurgeret. Cum vero factum est mane faciendum erat aliud et cognoscendum Deo dicente: Fiat, ut prius itidem fieret in cognitione mentis angelicæ, et posset rursus dici, et sic factum est. ac deinde in natura propria, ubi subsequente vespera nosceretur.* — Rem istam longe clarius ac distinctius explicat libro 11. *De Civitate Dei*, cap. 7. ubi cum dixisset quod in primo die creationis mundi, *Lucis nomine significata est sancta civitas in sanctis Angelis et spiritibus beatis*; addit in ista dierum opificii recensione fieri quidem mentionem *vesperæ* non vero *noctis*, cujus hanc rationem profert: *Scriptura cum illos dies dinumerare ex ordine, nusquam interposuit vocabulum noctis. Non enim ait alicubi: facta est nox, sed facta est vespera, et factum est mane dies unus. Ita secundus et cæteri. Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. Ita vespera congruentius quam nox dici potest, quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum et amandum refertur Creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est. Cum in cognitione firmamenti quod inter aquas inferiores et superiores cælum appellatum est, fit dies secundus. Cum in cognitione terræ et maris omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius. Cum in cognitione luminarium majoris et minoris, omniumque siderum, dies quartus. Cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus. Cum in cogni-*

tione omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus. — Præfatum utrumque S. Augustini locum expedens Ludovicus Vives in commentario ad prædictum cap. 7. lib. 2. *De Civit. Dei*, scribit, de his ipse lib. 4. *De Gen. ad litt.* quo loco mane appellat: cum Angeli ex creatarum rerum in eis ipsis cognitarum aspectu, ubi tenebræ sunt et nox altissima, ad charitatem Dei se sustollunt: quod si Deum diligentes et spectantes omnia in ipso noscant, quæ est certior rerum omnium scientia quam si ipsæ perspicerentur, tunc dies est. Vergit autem in servum cum a Deo se convertit Angelus ad res creatas, intueturque illas non in Deo, sed in ipsis: nec tamen hic vesper in noctem abit, quoniam numquam artifici suo præponunt opus ac potius habent, quæ esset obscurissima nox. Tantum ex Augustino, qui primus scientias matutinas et vespertinas induxit. *Hæc ille.*

His adjiciendum quod tradit Doctor Subtilis lib. 2. dist. 3. qu. 9. num. 9. et 10, ubi priorem locum S. Augustini *De Gen. ad litt.* expendens, sic scribit: « Dies illi sex non erant in successione temporis, « sed in cognitione angelica creaturarum ordinem naturalem habentium, ita quod prius naturaliter novit Angelus creaturam in Verbo, « secundo in genere proprio: et non stando ibi, rediit in Verbum, « laudans ipsum ex opere suo: et in illo iterum vidit rationem sequentis creaturæ naturaliter, ita quod quando Deus dixit: *Fiat lux*, « vidit Angelus se in Verbo æterno: *cum facta est lux*, et cum *factum* « *est vespere*, vidit se in genere proprio: et cum *factum est vespere* « *et mane dies unus*, ex se exsurrexit in laudem Dei, in quo vidit « secundam creaturam: ita quod ista visio erat terminus præcedentis « Dei (in quantum ex cognitione creaturæ primæ in Verbo, surrexit « in cognitionem Verbi, imo requies omnium creaturarum in primo « artifice et opifice; ita distinguit Augustinus singulos dies usque ad « septimum diem, cujus erat mane ultimæ creaturæ in Verbo, et non « sequebatur vespere) et erat principium sequentis diei in quantum « vidit illam creaturam in genere proprio. Et licet ipse illam cognitionem rerum in Verbo posuerit cognitionem beatificam, sicut apparet ibi « in principio 22. cap. *Cum sancti Angeli semper videant faciem Dei,* « *Verboque ejus unigenito sicut Patri aequalis est, perfruantur, in ipso* « *Verbo Dei prius noverunt creaturam universam in qua ipsi principaliter sunt conditi:* perfruitio igitur pertinet ad beatitudinem. Similiter in eodem capite: *Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad* « *noctem, cum sublimes et sancti Angeli illud quod creaturam in ipso* « *Creatore noverunt, referunt in ipsius honorem et amorem, in quo* « *æternas rationes, quibus creata est, contemplatur, eaque concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus. Cui con-* « *jungitur Ecclesia ex hac peregrinatione liberata, ut et nos exultemus* « *et lætemur in eo.* — Potest tamen probari ex dictis suis, quod cognitio quæ vocatur communissime *cognitio matutina*, sit naturalis, « et non præcise beatifica: quia secundum eum, iste ordo erat in cognitione angelica, creaturae post creaturam, quod prius naturaliter « præcessit cognitio angelica creaturarum in Verbo cognitionem earum « in genere proprio. Factis autem creaturis in genere proprio, statim « potuit Angelus cognitionem earum habere in genere proprio. Igitur, « omnes istæ cognitiones in Verbo præcesserunt naturaliter cognitio-

« nem creaturarum in genere proprio: omnes igitur secundum eum « erant simul productæ. Igitur cognitio ista in Verbo naturaliter præ- « cessit productionem earum in genere proprio, sed tunc erant Angeli « in statu innocentiæ, et non beati, quia aliqua morula fuit inter crea- « tionem et lapsum eorum. Erat igitur aliqua cognitio Angelorum na- « tutina, scilicet creaturarum in Verbo existentium in naturalibus, aut « saltem non beatorum: et ita videtur quod oporteat dare distinctam « cognitionem Angeli stantis in cognitione naturali, vel in gratia, quia « alias in ipsa causa præcise cognita non posset prius cognoscere crea- « turas, et effectus ordinatos, quam in genere proprio. Nam ratio co- « gnoscendi rem confuse, non est ratio cognoscendi eam distincte, et « effectus ordinatos. — Et si objiciatur quomodo potuit in Verbo non « intuitive sed abstractive cognito, alia cognoscere, respondeo: tota « scientia naturaliter est nunc de passionibus abstractive per intelle- « ctum, ita quod non tantum subjectum intuitive cognitum, sed etiam « abstractive, est illud, in quo cognoscitur passio ». — Ita Doctor, qui cum abunde rem istam explicet, ab ea fusius exponenda tempera- bimus. " ✳

QUÆSTIO QUARTA.

AN ET QUOMODO ANGELI SIBI INVICEM LOQUANTUR.

Notandum 1. *Quod locutio est intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio producta:* quo fit ut tribuatur non solum hominibus, sed etiam Angelis, et ipsi Deo; verum diversa longe ratione; nam, ut observat S. Gregorius lib. 2. *Moralium* cap. 5. *Aliter loquitur ad Angelos, aliter Angeli ad Deum: aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ ad Deum, aliter Deus ad Diabolum, aliter Diabolus ad Deum. Nam quia spiritali naturæ ex corporea appositione nihil obstat, loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendit, ut quidquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant: ut velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim accidentibus dicitur, quod videntibus inspiratur.* Tum quibusdam interpositis, *Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino cum per hoc, quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt.* Et cap. sequenti: *Animarum verba, ipsa sunt desideria; Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret:* desiderium cordis eorum audivit auris tua.

Notandum 2. Fide tenendum esse Angelos sibi invicem loqui manifestando proprios conceptus, et affectus: id namque Scriptura sacra pluribus indicat, sic Isaiæ 6. Seraphim *clamabant alter ad alterum:* Zachariæ 1. *Respondit Angelus Domini, et dixit: Domine Deus exercituum usquequo tu non miserebris Jerusalem?* Et apud Judam in sua Canonica Michael cum Diabolo disputat de Movsis corpore; disputatio autem nequit intelligi absque aliquo genere locutionis: hunc Angelorum sermonem *linguæ* vocabulo apud Apostolum intelligi plerique omnes existimant, qui sic 1. Cor. cap. 13. scribit: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, etc.* Quem ad locum scribit ita Chryso-

stomus: *Linguam Angelorum hic appellat, non corpus Angelis attribuens, sed ejusmodi est quod ait: Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur, etc.* Subscribit Theophylactus, *Angelis*, inquit, *porro lingua est intellectiva, vis nimirum illa, quæ sibi mutuo divinarum rerum intellectum, ac divinas contemplationes impertiunt.* Consentit etiam Theodoretus in eumdem textum ita scribens: *Angelorum linguas dicit, quæ non sensu, sed quæ intelligentia percipiuntur; per quos et universorum Deum laudant, et inter se differunt. Eos enim laudantes audierunt Isaias, et Ezechiel, quin etiam Daniel inter se loquentes, et Zacharias, et Michæas.* Suffragatur etiam ratio; nam si Angeli sibi mutuo non loquerentur, nulla inter eos esset, nec esse posset societas; hæc enim communicatione comparatur, et sine illa constare nequit; dicere autem Angelos societatis capaces non esse, absurdum est; nam aptitudo naturalis ad societatem videtur esse proprietas naturæ rationalis; aut sane in aliud majus absurdum incidamus oportet, ut dicamus Angelos non indigere communicatione, et sermone, quia omnia secreta unius cuicumque alteri manifesta sunt, quod supra falsum esse demonstravimus. Adde quod Angeli ad hoc a Deo conditi fuerint, ut divinas ejus perfectiones continuis laudibus celebrent, quoties *cæli cantores, cælestes aves, et divinarum laudum præcones* a SS. Patribus, maxime Gregorio Magno in caput Job. 38. appellantur. Qualiter autem divinas laudes personare possent si facultate loquendi carerent, nec possent invicem sacra miscere colloquia? Certum ergo est, ac prorsus indubitatum, Angelos revera sibi invicem loqui; qualiter autem id fiat, ibi difficultatis cardo, et summa.

Notandum 3. Circa modum locutionis angelicæ declarandum gravem esse apud Theologos controversiam, miramque sententiarum varietatem. *Sunt* enim, qui putant Angelos loqui inter se per signa quædam corporea et sensibilia ab ipsis in aliquo corpore exarata sicut nos in aere, vel carta voces et litteras edimus; quam opinionem refert Durandus in 2. dist. 11. qu. 2.; quod arbitrantur fieri alterutro ex his duobus modis; Unus est, quod illa signa sensibilia sint figuræ in cælo exaratæ habentes peculiarem significationem Angelis notam. Alius est quod illa signa, quibus invicem loquuntur Angeli, sint quidam soni sensibiles in aëre formati instar vocis, vel sint nutus, et signa facta in corporibus assumptis, sicut homines sibi invicem loquuntur: priorem modum improbat Durandus; posteriorem vero approbat utpote necessarium, sicut existimat, ad proprie dictam locutionem. *Alii* volunt Angelos sibi invicem loqui per signa quædam spiritalia, ita quod Angelus loquens possit efficere signum repræsentativum illius verbi, quod de re cognita formavit; quodque signum ex natura sua non est occultum, sed notum aliis, et ideo formatio illius signi est sui conceptus expressio, et locutio. In quam sententiam propendet Vasquez. *Sunt* qui asserunt locutionem Angelorum consistere in sola ordinatione conceptus loquentis ad eum, cui loquitur, absque eo quod loquens quidquam efficiat in audiente. Ita pene omnes Thomistæ cum Angelico suo Doctore, ✳ "qui quæst. 107, art. 1, cum triplicem distinxisset modum quo intelligibile est in intellectu primo quidem habitualiter et secundum memoriam, secundo actualiter, sive ut actu conceptum, tertio ut relatum et ordinatum ad aliud, inde concludit quod

quando mens convertit se ad actu considerandum, quod habet in habitu, loquitur aliquis sibi ipsi, nam ipse conceptus mentis interius verbum vocatur. Ex hoc vero, quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli conceptus mentis, unus Angelus innotescit alteri, et sic loquitur unus Angelus alteri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare. Et respondendo *ad primum*, postquam protulit duplex obstaculum ne prodatur conceptus mentis humanæ, scilicet voluntas. et corporis grossicies, dicit Angelum hoc secundum obstaculum non habere. *Ideo*, inquit, *quam cito vult manifestare suum conceptum, statim alius cognoscit.* Præterea ad secundum: *dicendum quod locutio exterior quæ fit per vocem est nobis necessaria propter obstaculum corporis. Unde non convenit Angelo, sed sola locutio interior, ad quam pertinet, non solum quod loquatur sibi interius concipiendo, sed etiam quod ordinet per voluntatem alterius manifestationem: et sic linguæ Angelorum metaphorice dicitur ipsa virtus Angeli quæ conceptum suum manifestat.* — Denique Subtilis Doctor in 2. dist. 9. quæst. 2. affirmat Angelum loquentem dirigere suum conceptum expressum in intellectum audientis; ad cujus conceptus præsentiam Angelus audiens efformat conceptum vitalem ac formalem similem illi quem loquens intimare ei voluit, per quem formalem conceptum audiens vitaliter intelligit id omne quod alius ei significare voluerat. " * Quæ sententia tamquam verior, et certior firmabitur, sed prius sit

Conclusio prima. — ANGELI SIBI INVICEM NON LOQUUNTUR PER SIGNA CORPOREA, NEC PER SPIRITUALIA.

Probatur prima pars. 1. Quidem auctoritate S. Gregorii Nysseni cap. 12. libri Contra Eunomium dicentis: *In experte materiæ, et intelligibili natura, mentis actio sermo est nequaquam materiali utens organorum ministerio. Etenim in humana natura nihil opus haberemus verborum, ac nominum usu, si nudos animi motus mutuo demonstrare possemus; Nunc cum interiores mentis nostræ notiones, pro eo quod carnis involucro natura circumscribitur, palam fieri nequeant, necessario facimus, ut certas nominum impositiones tamquam signa rebus affingentes illarum ope mentis nostræ motus invicem fulgemus.* Rem dilucide explicat Scotus Erigena in commentariis ad Dionysium *De cœlesti Hierarchia* cap. 25. *Quis*, inquit, *mortalium digne concipiat modum spiritalis sermocinationis eorum? Noli ergo in eis fingere formam humanorum, lineamenta membrorum, linguæ corporalis officium, distinctiones sonorum. Talia enim in eis non sunt, nisi spiritaliter tantum, nec corporali indigent locutione: quoniam conscientias suas spiritaliter invicem contemplantes, ad alterutrum quodammodo sine voce loquuntur, dum alter alterum videndo intelligit, nam et post resurrectionem futuram corda nostra erunt sibi invicem claritate fulgentia, et puritate translucentia, ipsa quippe eorum claritas sibi mutuo in alternis cordibus patebit. Et cum uniuscujusque cultus attendetur, simul et conscientia penetrabitur. Ibi namque uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet: sed patebit animus, patebit et corporalibus oculis ipsa corporis harmonia: Sicque erit tunc unusquisque conspicabilior alteri, quam nunc sibi. Cum ergo de nobis hoc in-*

dubitanter speremus, similia de illis, qui nobilioris, et subtilioris substantiæ sunt, intelligamus.

Probatur etiam hæc veritas ratione theologica : Angeli mutuam inter se societatem, et conversationem naturæ suæ spirituali correspondentem exigunt: sed locutio per signa corporea nullatenus eorum naturæ quadrat: ergo hic loquendi modus non est eis tribuendus. *Minor* constat, siquidem locutio pendens a rebus corporeis naturæ spirituali non correspondet; *major* probatur, nam Angeli intra gradum suæ intellectualitatis, et spiritualitatis sibi invicem sociantur, adeoque debent habere modum connaturalem, quo suos conceptus, et affectus promere possint; constat autem, quod signa sensibilia non sint connaturalia substantiæ spirituali, subindeque ad Angelorum locutionem nullatenus possunt deservire. — *Deinde*, etiamsi nullas res corporeas Deus creasset, revera tamen strictissimam invicem amicitiam, et societatem Angeli habuissent, subindeque locutionem, et manifestationem conceptuum, utpote sine qua vera amicitia, perfectaque societas non possit subsistere; ergo hujusmodi angelica locutio fieri potest independenter a signis sensibilibus. — *Denique*, idcirco Angeli in corporibus assumptis, hominibus loquuntur per signa sensibilia, quia nempe anima rationalis sensibus illigata non potest objecta percipere, nec aliorum nosse conceptus, nisi moveatur, et immutetur a phantasmate: sed in Angelis non sunt phantasmata, nec ulla naturalis connexio sensuum cum intellectu: ergo nec inter eos potest sensibilis sermo habere vim locutionis, quæ ad intellectum immutandum perveniat; nam, inquit S. Damascenus lib. 2. *De Fide* c. 3., *Non lingua, atque auribus opus habent: verum citra sermonis adminiculum cogitationes suas, atque consilia inter se communicant.* Cui quadrat illud S. Basilii homilia 3. dictum, affirmans hominibus datum esse sensibilis sermonis usum propter corporis impedimentum; *Si enim*, inquit, *ipsi viveremus, anima omnium oculis conspicua, et nuda inter nos mox conveniret per mutuam cogitationum intelligentiam.*

Probatur etiam secunda pars, nempe quod hæc locutio angelica fieri nequeat per signa spiritualia: vel enim illa signa essent naturalia, vel ex instituto; sed neutrum dici potest. *Non quidem primum:* tum quia si essent signa naturalia, maxime essent quædam qualitates; ad nullum enim aliud prædicamentum congrue possent reduci: at nulla qualitas potest esse signum naturale conceptus angelici. Probatur; nihil potest esse signum naturale alterius nisi quatenus est illi simile, vel physice, vel intentionaliter: at talia esse nequeunt: non quidem physice, quia revera essent diversæ rationis: deinde licet unus homo sit alteri physice similis, non tamen dicitur eum repræsentare: ergo multo minus hæc species repræsentaret. Non etiam intentionaliter: quia nihil habet talem similitudinem, nisi species impressa, vel expressa alterius: sed illæ qualitates non essent tales species conceptus: ergo sic eos non repræsentarent. Tum quia si essent signa naturalia, deberent esse publica, et communia, subindeque omnibus Angelis manifesta; et sic unus Angelus non posset alteri loqui, quin cæteri conceptum ejus intelligerent, quod valde Angelorum dignitati, et libertati detraheret, cum nullum privatum possent alteri intimare secretum. *Non etiam secundum*, quia si illa signa essent ex instituto, et

significarent ad placitum, maxime quia essent ordinata ex communi Angelorum consensu, adeoque omnibus essent nota: ergo quotiescumque unus Angelus tale signum usurparet ad manifestandum alteri suum conceptum, cæteri quique Angeli hoc ipsum signum manifestativum cognoscentes, etiam conceptum significatum intelligerent. *Deinde*, illa signa communi omnium Angelorum consensu institui non potuissent sine prævia locutione, qua nempe invicem convenirent ut hanc rem ad hoc significandum usurparent: ergo antecedenter ad illius signi institutionem potuissent loqui, adeoque locutio Angelorum necessario non exigit fieri per aliqua signa. *Secundum* etiam dici nequit: illa enim usurpatio privata, et particularis institutio signi, quæ fieret ab aliquo Angelo, non poterit alteri Angelo intimari nisi per locutionem: ergo absque signi manifestativi conceptus usurpatione potest unus Angelus alteri loqui, sicque eorum locutio non censenda est fieri per ulla signa, vel corporea, vel spiritualia.

Dices 1: Glossa in illud Apostoli, 1 ad Corinthios 13. *Si linguis hominum loquar, et Angelorum*, affirmat Angelos sibi invicem loqui nutibus, et signis: ergo Angelorum locutio fit per aliqua signa. — **Respondeo:** Angelos in tantum dici posse loqui nutibus, et signis, in quantum ad se invicem dirigunt suos conceptus, vel conceptuum species, quibus nempe significant alteri, quod prius in mente latens habebant: qua ratione pariter nonnulli sunt explicandi sancti Patres, qui Angelos per signa quædam invicem loqui significant.

Dices 2: Ut unus Angelus alteri dicatur loqui, intellectus Angeli audientis debet per aliquid immutari, et moveri, quo percipere possit conceptum loquentis: sed nihil aliud excogitari potest ad id exequendum magis congruum, quam signum aliquod spirituale, ad cujus præsentiam Angelus audiens advertat et percipiat conceptum loquentis: ergo hæc signa sunt admittenda. — **Nego minorem:** illa namque Angeli audientis advertentia, et perceptio longe faciliori modo concipitur fieri per impressam sibi notitiam objecti, de quo fit locutio, ut statim dicemus: ergo hæc signa minus sunt congrua, immo sunt prorsus frustranea.

Conclusio secunda. — Angelica locutio non fit per simplicem conceptus manifestationem, et ordinationem ad audientem absque aliqua in audiente mutatione reali.

Probatur 1. Per locutionem unus Angelus debet alterum excitare ad audiendum: sed per illam manifestationem, et directionem non potest Angelus de non audiente fieri audiens: ergo, etc. *Major* constat: *minor* probatur: ut Angelus de non audiente fiat audiens, necessario debet immutari, et moveri, non enim semper est in actuali consideratione eorum omnium, quæ cognoscere potest: sed per illam simplicem manifestationem, et directionem non potest Angelus, qui diceretur audiens, realiter immutari. Probatur: nihil immutatur realiter, nisi per aliquid reale in se receptum, vel a se productum: *et* per illam simplicem manifestationem, et directionem Angelus au- *terius* nihil in se reale recipit, nec quidpiam producit: ergo nec dici *corporali*liter immutari, subindeque nec de non audiente fieri au- *sque conspi*de, illa simplex manifestatio, et directio potius est actus

voluntatis, quam intellectus, non solum quia est actus liber, quippe cum unus Angelus alteri nonnisi liberrime loquatur, sed etiam quia est ordinatio quædam, et directio ad aliquod extrinsecum, quæ fit per ipsam voluntatem Angeli dirigentis; nihil enim loquens aliud præstaret, quam volendo ut suus conceptus tali vel tali fiat manifestus: at locutio angelica non est actus voluntatis, sed intellectus, ut probatum est superiori Conclusione ex SS. Patribus; idque apertissime tradit Theodoretus in illud Apostoli: *Si linguis hominum etc.* ait enim: *Angelorum lingua dici debet intelligendi vis, per quam, non quæ sensu sed intelligentia percipiuntur, manifestant:* ergo nec illa locutio est simplex directio. — *Denique*, si locutio illa angelica esset simplex directio, non posset unus Angelus manifestare privatum suum conceptum, et affectum alicui particulari cui loqui diceretur, quin omnibus eum pariter manifestaret, quamvis ipsis non censeretur loqui; siquidem in tantum audienti diceretur suum indicare conceptum, in quantum exponeret illum, ut facile percipiatur ab Angelo in ipsum advertente; at ex hypothesi, quod essent tres Angeli simul, Michaël, v. g. non posset manifestare suum conceptum Gabrieli quin Raphaël in Michaëlem advertens eum pariter conceptum agnosceret: sed hoc vergit in præjudicium libertatis angelicæ, quod non possit uni aliquid indicare quin ab altero conciperetur: ergo, etc.

Objiciunt Thomistæ: Loqui alteri nihil aliud est, quam suæ mentis conceptum manifestare, et aperire: sed unus Angelus per hoc solum alteri manifestat suum conceptum, quod voluntate sua ipsum ad illum dirigit: ergo per hoc præcise cum alloquitur. *Majorem* supponit Gonetus ut veram; *minorem* vero sic probat: ut conceptus unius Angeli manifestetur alteri, sufficit quod ab eo possit cognosci: sed ex eo præcise, quod unus Angelus conceptum suum voluntarie ordinet ad alterum, ut ei innotescat, potest ille alter Angelus cognoscere: ergo per talem ordinationem, seu directionem manifestatur. *Majorem* supponit, ut evidentem: *minorem* probat: ut actu conceptus liber unius Angeli possit ab alio cognosci, sufficit quod incipiat pertinere ad eum, qui debet illum cognoscere, cum enim quilibet Angelus natus sit per species, quas in se habet sine ulla impressione, vel actione objecti in ipsum, intelligere quicquid ad se pertinet, eo ipso quo Angelus loquens ordinat suum conceptum ad alium, ut illi possit innotescere, eo inquam ipso reddit hujusmodi cogitationem pertinentem ad illum ad quem eam dirigit: ergo hoc ipso facit quod illa cogitatio possit ab eo cognosci. — **Respondeo** 1. Negando *majorem:* locutio enim non est sola rei manifestio, alioquin qui velum quo tabella aliqua obtegitur subduceret, ut imaginem in ea depictam alteri cernendam exhiberet, diceretur per hanc exhibitionem et manifestationem, loqui: et quotiescumque aliquid conspiciendum nobis ab altero subjicitur, toties ille nobis loqui diceretur, quod certe nullus dixerit; siquidem mutus potest taliter rem videndam exhibere, nec propterea dicitur loqui, adeoque locutio non est simplex rei cognoscendæ manifestatio, maxime in sententia Thomistarum, qui locutionem omnem per signa fieri posse denegant, ut etiam docet ipse Gonetus, qui disp. 13. art. 3. affirmat locutionem angelicam non fieri per signa corporea, aut spiritualia; itaque ad locutionem non sufficit simplex rei manifestatio,

sed insuper requiritur, ut idem conceptus loquentis, vel alius in audiente formetur. — *Respondeo* 2. Negando minorem; nam ut revera unus Angelus alteri suum conceptum manifestet, non sufficit quod ipsum dirigat, et ordinet ad illum per suam voluntatem, sed ultra requiritur ut Angelus ille ad quem talis conceptus dicitur dirigi, in se recipiat aliquid, quo moveatur et excitetur, ut advertat in illum Angelum, qui vult ipsi conceptum denudare et manifestare. Quantumvis enim Raphaël, v. g. velit suum conceptum liberum aperire Gabrieli, nullatenus in eum advertet Gabriel, maxime si alteri objecto cognoscendo detineatur, nisi recipiat in se aliquid, quo amoveatur a consideratione, et cognitione prioris objecti ut suum cogitatum in Raphaëlem transferat. Intellectus enim unius Angeli non est secundum se sufficienter constitutus in actu primo ad cognoscendos actus liberos alterius, alias posset pro libito, et independenter ab alterius locutione, et voluntate eos cognoscere: ergo ut fiat potens in actu primo ad illos liberos actus cognoscendos necessario debet compleri per receptionem alicujus speciei a loquente ad ipsum directæ, vel per productionem conceptus a loquente in ipso formati.

Objiciunt 2. Ideo actus liber unius Angeli est ex natura sua ante consensum ipsius incognitus alteri Angelo, quia ipse Angelus qui eum libere elicuit habet ex vi suæ libertatis dominium in talem actum, et jus sibi connaturale notitiam ipsius reservandi quamdiu voluerit: sed ex eo præcise quod dirigat ad alterum Angelum ejusmodi conceptum ut ei possit innotescere, eo ipso, inquit Gonetus, cedit dominio et juri quod habet prædictum conceptum occultandi: ergo eo ipso incipit manifestari illi Angelo ad quem dirigitur: subindeque Angelus sic suum conceptum manifestans, censetur sufficienter alterum Angelum alloqui. — **Respondeo** concedendo totum *Argumentum*, et negando *illationem* ex eo consequentem; nam, ut supra dictum est, locutio non est simplex rei manifestatio, adeoque falsum est quod Angelus libere exponens suum conceptum videndum, quantumvis cedat juri et dominio quod habet occultandi prædictum actum, non propterea censendus est alteri loqui. Si enim nullus sit qui in eum conceptum advertat, nulla illius erit perceptio, et notitia; subindeque præter manifestationem conceptus ex parte loquentis, necessario etiam ab eo produci debet, et transmitti aliquid in ipsum quem alloqui intendit, ut nempe de non advertente, et non audiente fiat advertens, et audiens.

Objiciunt 3. In hoc differt locutio humana ab angelica, quod homo non censeatur alteri loqui ex eo præcise quod ad illum suum conceptum voluntarie dirigat; duplici namque obstaculo, inquit S. Thomas, illius conceptus velut obtegitur ne alteri innotescat: primo quidem ipsa libertate voluntatis, qua homo internos suos motus sibi ipsi reservare potest: secundo crassitie corporis, ratione cujus homo debet uti aliquo signo sensibili, ut alteri homini suum conceptum manifestare queat: conceptus autem unius Angeli uno dumtaxat velamine obtegitur, nempe solo libertatis dominio, pro quo libito potest, vel occultare, vel suos conceptus alteri manifestare: ergo hoc ipso quod tollitur ipsum velamen, quodque tali dominio cedit, et ad alium suos conceptus dirigit, censetur ipsi loqui. — **Nego conseq.** Quia ut jam plu-

ries dictum est, locutio, præter declarationem conceptus, exigit non solum ut dirigatur moraliter, sed etiam physice in audientem, quo nempe denon advertente, et non audiente fiat advertens, et audiens. Nec valet reponere cum Goneto, ad id sufficere illam directionem moralem: siquidem illa directio moralis est actus pure internus Angeli loquentis, quippe cum sit tantum ejusdem volitio, qua vult suum conceptum alteri manifestari, et consequenter per illum actum internum nihil producitur in eo ad quem talis conceptus dirigitur, ut ad ejus intuitum possit moveri, et determinari. *Insuper*, motio moralis supponit facultatem jam advertentem ad objectum, vel finem cognoscendum aut amandum: intellectus autem Angeli ad quem dirigitur conceptus loquentis non supponitur advertere in Angelum loquentem: ergo illa directio vel motio moralis, quæ se tenet ex parte Angeli loquentis, non sufficit, ut determinet audientem ad ipsius conceptus manifestati cognitionem.

Conclusio tertia. — Probabilius est unum Angelum alteri loqui producendo in eo conceptum objecti de quo loquitur, ita ut Angelus audiens passive se habeat ad notitiam rei, de qua fit locutio. — ✻ " Hæc est expressa Doctoris Subtilis sententia in 2. dist. 9. quæst 2. n. 15., ubi propositam quæstionem resolvens ait: *Respondeo: Angelus loquitur Angelo, causando in eo conceptum immediate illius objecti de quo loquitur.* Ad cujus assertionis probationem duas profert rationes quas expendemus infra; sed prius advertendum est cum ipso num. 20., quod Angelus loquens alteri, id efficere potest tribus modis, *nam*, inquit, *potest in ipso causare actum tantum, ita quod non speciem: et potest causare simul actum et speciem: et potest causare tantum speciem:* quem triplicem angelicæ locutionis modum ibidem explicat et applicat. — At brevius et clarius in *Reportatis*, n. 13. ubi cum dixisset Angelum loquentem in audiente producere posse primo *actum cum specie*; deinde *actum sine specie;* postea *speciem sine actu;* probat singula: *Primum, quia quod est receptivum a quolibet habente actu primo causatum in virtute potest ipsum recipere: sed Angelus est receptivus speciei, et actus quandoque simul, et alius sufficienter causans: igitur etc.* Secundum, *quia possibile est Angelum communicare conceptum alteri, cujus notitiam habet habitualiter, cum prius habuit speciem: quia in nobis videmus quod actus potest causari novus sine specie nova; igitur et in Angelis. Et sic credo quod communiter loquuntur.* Tertium, *quia inferior Angelus non potest impedire superiorem ab actu suo; igitur si superior stet in actu suo, qui incompossibilis est actui quem vellet causare inferior per suam locutionem, non retrahit ipsum ab illo actu; potest tamen causare speciem, quia species causata non retrahit ipsum a tali actu. Unde sicut existens in forti imaginatione bene recipit albi oblati coram oculis, et actum non recipit tunc, tamen postea potest rememorare; sic si Angelus etc.*

Probatur itaque conclusio ratione Doctoris, quam sic efformo " ✻: Loquens intellectualiter intendit eum cui loquitur deducere in cognitionem rei, de qua fit locutio: ergo si possit tamquam causa totalis, et absque ullo medio eam cognitionem producere in audiente, revera censendus est eam de facto producere: sed certo id potest: ergo ejus lo-

cutio fit per formationem notitiæ illius rei de qua fit sermo. *Major* constat, ad id enim unice ordinatur locutio, ut audiens rem cognoscat, et apprehendat, de qua a loquente fit sermo. *Minorem* probat Doctor: intellectus Angeli loquentis cum specie intelligibili objecti concurrentis ad sui notitiam, est causa effectiva adæquata sufficiens ad producendam talem notitiam in quocumque intellectu debite applicato, et capaci talis cognitionis: sed intellectus Angeli audientis est capax talis cognitionis habendæ, et sufficienter censetur applicari quoties est in potentia ad eam cognitionem habendam, qualiter est dum habet rationem audientis: ergo tunc intellectus Angeli loquentis potest causare in ipso cognitionem illam. *Major* constat, quidquid enim est potens producere effectum aliquem in uno subjecto capaci ad recipiendum eumdem effectum, revera potest eum effectum in eo producere: ergo cum intellectus Angeli informatus specie intelligibili ab objecto excepta possit effective illius objecti cognitionem producere in seipso, poterit etiam illam producere in quocumque intellectu capaci ad recipiendam talem cognitionem. Probatur *minor:* ut intellectus censeatur capax percipiendæ cognitionis alicujus, duo tantum requiruntur: primum quod habeat vim intellectivam, qua possit objectum sibi repræsentatum percipere, quoquo modo in eo fiat illa objecti repræsentatio et receptio, nempe vel a seipso, vel a Deo, vel ab altero Angelo: secundum, quod ita non detineatur circa cognitionem actualem alicujus objecti, ut nullatenus ab ea possit removeri, nec aliam suscipere: at quilibet Angelus audiens taliter se habet, quippe nullus est Angelorum, qui facultatem intellectivam expeditam non habeat: nullusque, qui non possit ab uno objecto conspiciendo subduci, ut ad alterius notitiam, et intuitum deducatur. Non enim de facto, et actu Angeli noscunt ea omnia quorum cognitionem habere possunt, alioquin summa, et immensa foret eorum cognoscendi, et intelligendi virtus; subindeque capaces sunt cognitionis excipiendæ a quocumque illa ingeratur. Quod autem Angelus capax sit cognitionis recipiendæ ab alio quam a se formatæ, patet: tum quia unus Angelus ab altero illuminatur, ut sequenti Quæstione probabitur; illuminatio autem fit per impressam notitiam objecti ab illuminante Angelo cogniti: tum quia nemo diffiteri potest Deum posse producere in quolibet intellectu creato notitiam, non solum habitualem, sed etiam actualem objecti cujuslibet, tam naturalis quam supernaturalis: ergo necessum est ut intellectus ille capax sit suscipiendæ talis notitiæ ab externo principio productæ.

✳ " **Probat 2 Doctor,** numero 19: Angelus inferior cognoscit se intuitive per essentiam: ergo et superior cognoscit ipsum per eamdem ejus essentiam intuitive: sed Angelus cognoscit objecta extra se formando de iis conceptum: igitur etiam per istum conceptum productum in intellectu Angeli audientis, potest hic audiens cognoscere objectum intellectum ab Angelo loquente etiam in quacumque distantia. — *Confirmatur:* si quid obstaret quominus Angelus loquens posset causare conceptum in intellectu audientis similem illi quem ipse loquens efformat, maxime quia intellectio illa seu conceptus est actio vitalis et immanens atque tota residens intra facultatem intellectivam a qua producitur: at hoc non obstat; quod ut manifestum fiat, duo sunt in

intellectione distinguenda, nempe via, et terminus: expressio objecti, et conceptus expressus: inter quæ hoc discrimen occurrit, quod via et expressio sit actio vitalis: terminus autem et conceptus est qualitas vitaliter quidem producta, at non est qualitas formaliter vitalis. Implicat quidem intellectionem priori modo acceptam, nimirum quatenus est via et expressio, in alio produci quam in ipsa facultate formaliter intelligente. At nihil obstat quominus conceptus ille expressus, seu qualitas illa vitaliter producta et in suo esse qualitatis perfecta, concurrere possit ad productionem similis conceptus. Si quid enim officeret, maxime quia producitur et conservatur vitaliter; vitalitas autem est quid immanens, et ita propria viventis et intelligentis, ut transire non possit ad alterum intellectum, ut vivat per vitam alterius. Sed hæc ratio nulla est, siquidem conceptus ille expressus, seu qualitas illa per intellectionem vitalem producta non est sterilis ex se, nam fatentur omnes hunc conceptum in memoria relinquere sui vestigium seu speciem et imaginem; hoc autem non fit nisi per productionem: igitur conceptus ille fœcundus est et productivus. Deinde, conceptus ille si sit formatus a cognitione scientifica vel fidei vel opinionis, producit aut auget habitum scientiæ, opinionis aut fidei: itaque habet quamdam fœcunditatem, nec omnino sterilis est. Quidni igitur concurrere poterit cum altero intellectu ad producendam intellectionem similem illi per quam ipse conceptus expressus fuerat formatus, maxime cum hic conceptus sit qualitas non vitalis formaliter, nec proinde ex se essentialiter exigens ut subsistat intra facultatem per quam producta est? Potest itaque fieri transiens ab uno intellectu ad alterum. Accedit quod una species intentionalis et una lux ad alterius productionem conducit, cur ergo pari ratione unus conceptus expressus ad alterius formationem non poterit concurrere? cum æque ac illa sit qualitas absoluta. Nec his officit quod in proprio intellectu conceptus ille alterum non gignet, inde enim non sequitur quod conducere non possit ad formandum similem conceptum in altero intellectu. In proprio quidem, a quo formatus est, nihil producit quia hic intellectus non indiget alterius conceptus formatione, cum jam sit sub actu intellectionis. Verum alius intellectus indiget isto conceptu ut possit mentem loquentis intelligere et ei respondere. Igitur nulla ex parte repugnat ut conceptus ille expressus ab illo Angelo transmittatur in intellectum alterius quem Angelus ille vult alloqui." ✳

Objicies 1. Supradictum Doctoris Subtilis fundamentum videri omnino falsum; etenim si omne principium productivum alicujus effectus in seipso, esset etiam productivum ejusdem effectus in quolibet alio capaci ad eum recipiendum, sequeretur *primo*, quod oculus Petri, qui producit in se visionem parietis albi, posset eamdem visionem producere in oculo Pauli circa parietem non occupato: *secundo*, sequeretur quod Angelus beatus producere posset visionem beatificam in intellectu alterius Angeli non beati: *tertio*, quod intellectus Angeli absque omni suæ voluntatis concursu posset cognitionem suam in intellectu alterius producere; siquidem secluso omni actu voluntatis potest intellectus cum specie impressa producere in se intellectionem objecti, cujus speciem habet: sed hæ illationes sunt absurdæ, et improbandæ: ergo absurdum pariter principium quo nostra sententia

nititur. — **Respondeo negando majorem:** fundamentum enim Doctoris non ita debet accipi universaliter quasi velit, quod omne principium productivum effectus in se sit etiam productivum in alio; sed solum quando principium producens, et passum recipiens effectum productum invicem proportionantur, ita quod unum sit susceptivum effectus alterius ejusdem ordinis, et rationis. Unde *ad primam rationem* dico, nullam esse paritatem inter intellectum angelicum, et oculum corporeum, intellectus enim angelicus longe majorem habet activitatem quam quælibet potentia corporea, adeoque plura potest quam oculus qui cum sit facultas materialis, et omnino corporea, nec sufficienter alteri oculo applicata, inde non mirum si cum in se materiæ sit expers nullique corpori illigatus, sese intime præsentem alteri Angelo sistere possit, et in ejus intellectum suam fœcunditatem exerere; quippe cum nullo prorsus corporeo obstaculo præpediatur, et alter Angelus possit ab alio in se productam notitiam revera recipere; siquidem Deus in intellectum angelicum non solum species rerum, et omnes habitus supernaturales, sed et quamlibet cognitionem etiam ipsam visionem beatificam producere potest; adeoque nulla apparet repugnantia, nec ex parte Angeli loquentis, nec ex parte audientis, quod unus in alium suam notitiam ingerere possit. Secus est autem de facultate corporea, qualis est oculus, quia nec sufficienter in aliam est activa propter defectum sufficientis applicationis v. g. ad alterum oculum in quo deberet operari. *Ad secundam illationem* dico, nullam esse paritatem; principium enim Doctoris Subtilis tantum intelligitur de facultate propriis naturæ viribus operante, quæque sit veluti ex se suorum actuum domina, nec egeat ullo supernaturali auxilio ad illos eliciendos, qualis non est intellectus beatificus respectu visionis, quæ cunî a lumine gloriæ tamquam a supernaturali principio pendeat, adeoque supernaturalis sit in entitate; inde fit quod non possit recipi, nec exeri in intellectu pure naturaliter se habente, qualiter se haberet, si illam ab alio productam unus Angelus non beatus exciperet. *Ad tertiam illationem* dico, plura requiri ut intellectus producat aliquid extra se quam in se; licet enim sit facultas naturalis, voluntati tamen subordinatur, et ad ejus imperium potest suum actum non primarium, sed secundarium, qualiter voluntas statuerit, elicere: unde licet in se primariam rei intellectionem ad ejus præsentiam, vel cum illius specie possit absque voluntatis imperio producere, tamen non posset eamdem actionem in aliud edere nisi ex imperio voluntatis: cum enim illa actio ad extra omnino sit libera, opus est ut a voluntate dirigatur.

Objicies 2. Cognitio est actus vitalis: sed hic ita exigit essentialiter produci a principio intrinseco in quo residet, ut nonnisi per miraculum ab alio posset effici, imo etiam nonnulli id divinitus fieri posse denegant: ergo multo minus poterit produci ab uno Angelo in intellectu alterius mere passive se habente. — **Respondet** 1. Noster Herrera Disp. 11. q. 7. dici posse, quod Angelus audiens, non tantum passive se habeat ad actum quo cognoscit, et intelligit id, de quo alius loquitur, sed etiam quod revera concurrat ad formandam notitiam una cum specie verbi prolati, vel cum verbo ipso prolato a loquente, et ad intellectum audientis directo; ita quod loquens se habeat active, et operative respectu illius speciei, vel verbi ad audientem directi, et au-

diens se habeat receptive, et passive ad exceptionem illius speciei, vel verbi a loquente directi: sed concurrit effective cum ipso verbo, vel cum ejus specie ad formandam notitiam; adeoque hæc notitia qua audiens percipit objectum, de quo fit locutio, revera est actus vitalis, quippe producitur ab ejus intellectu effective concurrente cum verbo transmisso a loquente ad formandam illam notitiam. *Verum* cum hæc responsio aliena videatur a mente Doctoris, ut patet ex his, quæ ibidem maxime n. 20. subjicit, ubi resolvit quod loquens notitiam sui conceptus ingerere possit in audientem tribus modis: primo si audiens non habet speciem objecti, de quo loquendum est, tantum in eo causat actum notitiæ: secundo, si non habeat speciem, audiens potest accipere a loquente speciem, et actum: tertio, si habeat notitiam actualem de illo objecto, tantum a loquente accipit speciem, qua moveatur ut attendat ad conceptum ab ipso loquente formatum; censet ergo Doctor posse interdum loquentem causare solum actum intelligendi in audiente; idcirco **Respondeo negando minorem**: non enim ad rationem actus vitalis requiritur, quod producatur ab ipsomet vivente, sed sufficit quod per eum tendat vitaliter, et quatenus est potentia vitalis in objectum, sive interim talis actus producatur ab ipsa vitali potentia, sive non. In tantum enim dicitur actus vitalis, in quantum per ipsum potentia vitaliter objectum suum percipit, nec ad rationem vitalis quidpiam videtur aliud desiderandum. Quod si contingat interdum actum illum, qui vitalis dicitur, ita exigere produci a potentia, in qua residet, ut a nulla alia videatur procedere posse, id non est repetendum ex parte vitalitatis, sed vel ex eo quod nulla adsit causa secunda, quæ talem actum producere, et in potentiam vitalem eum transmittere valeat: vel quia per se cum sufficientissima sit ad eum actum producendum, congruentius actus illius productio videtur esse tribuenda potentiæ, quæ per eum actum operatur, quam alienæ, etsi ab aliena potentia etiam posset produci. — Si quis autem necessario exigat ad rationem vitalis actus, quod a potentia, quæ per eum operatur produci debeat, illud absolute negabo: nec arbitror contrarium sentientes ulla ratione sufficienti id posse evincere.

Objicies 3. Notitia illa in audiente producenda formaretur vel ab intellectu, vel a voluntate loquentis: neutrum dici potest. Non quidem ab intellectu, hic enim non est principium productivum actionis vitalis extrinsecum, ipsius namque operatio tota immanens est, quippe cum operetur, non ut se communicet, sed ut se perficiat; nec circa objecta effundatur quemadmodum voluntas, sed omnia ad se pertrahat. Non etiam secundum, voluntas namque non potest esse principium intellectionis, nec in suo, nec in alieno intellectu. — **Nego minorem**; nam affirmari potest, quod illa notitia in audiente producta formetur ab intellectu, et a voluntate Angeli loquentis; ab intellectu quidem efficienter, a voluntate vero imperative. Quod proveniat ab intellectu, constat ex probatione Conclusionis; licet autem intellectus sit facultas immanenter operativa respectu suæ propriæ notitiæ, et perfectionis, inde non sequitur, quod non posset etiam esse operativa, et productiva respectu notitiæ, et perfectionis alterius. Quis enim contrarium evincet? Quod etiam ad eam cognitionem formandam concurrat voluntas Angeli loquentis, docet Doctor ibidem n. 23. et ex

eo Poncius dicens, quod quamvis intellectus, et species impressa objecti, de quo fit locutio, sit causa totalis immediata cognitionis productæ in audiente, tamen dependet in productione illa ab imperio voluntatis, ita ut sine ipso nequeat producere; quod patet *a posteriori*, quia alias Angelus necessario loqueretur omnibus Angelis applicatis, et non impeditis per attentionem ad alia objecta, quod est inconveniens. Quod autem posset intellectus habere hujusmodi subordinationem ad voluntatem, etiam patet, quia sicut intellectus habens cognitionem alicujus objecti, tamen a voluntate pendet quantum ad conservationem talis cognitionis, quippe cum ipsum avocare possit voluntas ab ipso objecto considerando, et ad alterius notitiam deducere; ita pendere potest a voluntate in productione cognitionis in intellectu alterius Angeli. — Observat pariter ibidem Doctor, quod quamvis Angelus loquens prius debeat formare in seipso notitiam objecti, quam eam producat in intellectu audientis; illa tamen prior formata notitia non concurrit tamquam conditio sine qua non, quæ prærequiratur in loquente ad hoc, ut possit velle alteri propriam suam notitiam ingerere: *Quia*, inquit Doctor, *in effectibus subordinatis, quæ sunt ejusdem rationis, et quorum uterque natus est gigni a causa æquivoca, non oportet priorem esse causam posterioris; sed utrumque causari ab eadem causa æquivoca; et hoc specialiter est in proposito; quia intellectio actualis non ita habet rationem parentis sicut memoria. Unde Pater in divinis gignit memoria, non intelligentia.*

Objicies 4. Quamvis Angelus posset producere cognitionem objecti a se intellecti in alio Angelo, attamen non propterea diceretur ipsi loqui: ergo locutio non consistit in hujusmodi productione. Probatur antecedens: locutio importat necessario distinctam significationem conceptus loquentis de re, de qua fit locutio: sed per productionem cognitionis de objecto non significaretur conceptus Angeli producentis ipsam; siquidem Angelus habens illam notitiam in se productam, nesciret quis eam produxisset: ergo per id formaliter non diceretur ipsi loqui. — **Respondeo**, ad veram locutionem non necessario requiri, quod audiens cognoscat distincte quis eum alloquatur. Fieri enim potest, ut quis nobis loquatur aliquo interposito obstaculo, quem ideirco nosse non poterimus, nec propterea minus vera et proprie dicta erit ejus locutio: ergo a pari poterit Angelus loquens revera loqui suum significando conceptum audienti, quamvis audiens propter aliqua impedimenta, vel ipsum non videat, vel nesciat loquelam ab ipso provenisse. Unde neganda est sequela antecedentis, necnon et *major* probationis illius: ad veram enim, et perfectam locutionem sufficit, ut cognoscatur illa res, de qua fit locutio, nec necessum est ut loquens etiam distincte ab audiente sit cognitus.

Objicies 5. Si Angelus alteri loqueretur producendo in eo suam notitiam, sequeretur quod Angelus malus loquens alteri non posset mentiri: sed falsum consequens: ergo et antecedens. *Major* patet: non enim posset in altero alium formare conceptum, quam omnino conformem ipsi, quem in se haberet, et consequenter non loqueretur contra, sed juxta mentem propriam. *Minor* etiam constat; nam Angeli mali re ipsa sunt spiritus fallaces; pleni dolo, et omni malitia, et de diabolo dicitur Joannis 18. *Quod homicida erat ab initio, et in veritate*

non stetit; quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus, nempe mendacii. — **Nego sequelam majoris:** quamquam enim Angelus per productionem suæ notitiæ alteri loqueretur, non minus ea posset mentiri: siquidem posset in se formare unam notitiam oppositam, et contrariam primæ, quam habuerat de objecto, et ipsam secundam notitiam alteri significare quasi revera esset prima notitia, quam habuisset de objecto, cum tamen non esset prima, nec primæ conformis, sicque apparet quod mentiretur.

Dices 6: Si angelica locutio fieret per productionem notitiæ in intellectu audientis, sequeretur unum Angelum non posse loqui alteri in quacumque distantia posito: sed hoc videtur absurdum: ergo et id unde sequitur. Probatur *major:* non potest fieri ulla actio in distans, nisi prius agatur in medium; medius autem aër, vel aliquod aliud corporeum inter utrumque Angelum, non est medium locutionis angelicæ receptivum: corporeum enim non potest esse subjectum rei spiritualis: ergo, etc. — **Negat majorem** Doctor n. 16. et ad ejus probationem respondet Angelum posse sui conceptus notitiam in altero Angelo distante producere absque eo quod producat aliquid in medio: siquidem, ut probatum est in Physicis, fieri potest aliquando actio corporea in distans absque ulla prorsus actione in medium, maxime vero quando medium non est productivum similis qualitatis productæ: ergo multo magis etiam fieri poterit actio spiritualis in distans. — ✻ " Sententiam istam luculenter declarat Doctor in *Reportatis Parisiensibus,* quæst. 3. dist. 9. num. 2. ubi ait: *Potest Angelus alteri distanti loqui immediate nihil causando in medio.* Quia, ut mox adjicit, *in locutione Angelorum nullo modo dependet actio in extremum ab actione in medium.* Quod cum multis modis et exemplis probasset distinxissetque n. 4. agentis præsentiam ab illius virtute, ita quod agens possit esse præsens alicui virtute et potentia, ubi non adest per entitatem et præsentiam, quia potentia non semper requirit contactum physicum inter agens et patiens; tamdem concludit sic: *potest Angelus loqui Angelo distanti, ita quod secundum terminum potentiæ, quia sic causabit in eo effectum ac si non distaret localiter.* Ex quibus formari potest hoc argumentum: quando actio talis est naturæ ut ex se fieri possit erga passum distans independenter a medio, et tanta facilitate ac si passum ab agente esset indistans, actio illa fieri potest non obstanti quacumque distantia: sed talis est locutio angelica: igitur etc. *Major* est certa. *Minor* pariter constat. Actio enim pure spiritualis et ab agente spirituali erga passum spirituale nullatenus pendet a medio corporeo, cum hoc illius actionis suscipiendæ sit incapax. Igitur spatium aut medium interjacens Angelum loquentem inter et audientem præpedire non potest istam locutionem, et Angelus audiens quantumvis distans attingitur immediate per virtutem loquentis, ac si nullatenus distaret. — Nec est quod objiciant adversarii inde sequi quod unus Angelus alterum etiam infinite distantem posset alloqui. Si enim, inquiunt, distantia huic locutioni non officiat, quæcumque tamdem illa cogitetur angelicæ isti locutioni non obstabit. — *Respondeo* enim hanc instantiam nullius esse roboris et momenti, utpote cum distantia infinita inter duos Angelos sit prorsus chimerica et fictitia, nam, intra universi li-

mites hæc cogitari nequit, utpote cum mundus omni ex parte finitus sit et limitatus. Si vero statuatur in spatiis imaginariis, certe imaginaria prorsus erit et commentitia atque otiantis et feriatæ mentis inanis fœtus. Quoniam tamen Doctoris quidam discipuli, ut Lichetus, Mastrius, Tataretus et alii contendunt Doctorem ipsum non absolute statuere angelicam locutionem fieri posse in quacumque distantia, idcirco " ✻ **Respondeo** 2. Quod si revera non posset fieri actio in distans, quin fieret productio similis in medio, non erit absurdum concedere, quod Angelus non possit loqui Angelo distanti; neque exinde sequitur ulla imperfectio in Angelis; sicut nec est imperfectio in hominibus, quod unus alteri non possit loqui in maxima distantia posito, adeoque negari potest *Minor*.

Hæ autem, et cæteræ quæque difficultates faciliori negotio dissolveret, qui Subtilis Doctoris sententiam ita interpretaretur, quod velit Angelum loquentem non absolute producere notitiam totalem et adæquatam in intellectu audientis, sed tantum speciem et imaginem conceptus a se formati: ita quod illa species recepta in intellectu audientis cum ipso effective concurrat ad formandam notitiam de objecto de quo fit locutio; quæ est ipsissima sententia Alensis 2. parte q. 27. membro 7., necnon et Seraphici Doctoris in 2. dist. 10. art. 3. q. 1. ubi ait: *Ad loquendum sufficit ipsi Angelo ipsa species intelligibilis, quæ ex virtute intellectiva ipsius Angeli per vim voluntatis potest ad alterum protendi. Et sicut illa species dum eam sibi, et in se contuebatur intellectus, erat verbum interius, sic dum eam protendit ad alterum, efficitur quasi nutus, et verbum exterius: et quia tam illa species, quam virtus protendens illam ad alterum, et ipsa protensio spiritualis est, ideo non indiget corporali medio deferente: sed quia virtus illa finita est, necesse est ad hoc quod unus Angelus intellectum alterius Angeli loquendo, hoc est illam speciem protendendo excitet, quod finita distantia ad invicem distent.* Quorum utique sententiam saltem ex parte tuetur Doctor, quippe ut supra dictum est, docet aliquando Angelum loquentem solum producere speciem in intellectu audientis. Dum autem asserit Angelum loquentem esse causam totalem notitiæ productæ in intellectu audientis, dici posset eum loqui de cognitione objectiva, nempe de specie quam ad audientem dirigit, et cum qua per modum objecti concurrit ✻ " ad formandam intellectionem et conceptum formalem in intellectu Angeli audientis.

Petes primo: *quomodo se habeat Angelus audiens in recipiendo illo conceptu expresso ab Angelo ipsi loquente in ejus intellectu producto.*

Respondeo quod cum primum producitur et transmittitur ipse conceptus, Angelus audiens habet se mere passive; quemadmodum se habet ad speciem impressam in eorum sententia qui ipsam existimant necessariam in locutione angelica; neque enim, ut mox dictum est, Angelus audiens per immissum illum conceptum intelligit formaliter, cum hoc sit impossibile sicut impossibile existere existentia alterius et vivere alterius vita. Unde per illam receptionem conceptus expressi tantum excitatur intellectus Angeli audientis, sicut excitaretur per speciem receptam ab objecto, ad formandam intellectionem et conceptum formalem similem illi quem efformavit Angelus loquens, per quem formalem conceptum vitaliter intelligit, et videt ac percipit id

quod alius ipsi intimare ac significare voluerat. Deinde, producendo alium conceptum remittit illum ad Angelum prius loquentem eo modo quo ipsius conceptum acceperat, et sic Angeli invicem colloquuntur per mutuam suorum conceptuum expressorum ad alterutrum directionem.

Petes secundo: *utrum quomodo unus Angelus loqui possit uni et non alteri?*

Respondet Doctor in 2. dist. 9. quæst. 2: « Dico quod sicut in « potestate Angeli est quantum ad primam intellectionem, uti hac « specie in memoria, vel illa ad illam intellectionem actualem istius; « vel illius: ita si haberet plures intelligentias, esset in potestate « ejus quod notitia gigneretur in ista intelligentia, vel in illa: non « enim magis determinatur passivum naturale ad patiendum, quam « activum naturale ad agendum. Sicut ergo illud activum, quod de « se subest voluntati, potest ex se agere et non agere propter ejus im- « perium: ita potest illud activum determinari ad agendum in hoc « passivum et non illud: et sicut fieret determinatio ad intelligentias « intrinsecas ipsi Angelo, si essent plures, sic potest fieri determinatio « ad intellectum hunc vel illum extrinsecum, qui quoad hoc sunt pas- « siva ejusdem rationis cum illo passivo intrinseco, in quod ageret « activum intrinsecum per imperium voluntatis. » Ita Doctor, quibus declarat quod cum locutio angelica pendeat ab Angeli loquentis voluntate, ipsique liberum sit conceptum suum ad unum Angelum ex pluribus Angelis potius dirigere quam ad alios, facile concipitur qualiter uni loqui possit, non vero aliis.

Petes tertio *quot Angelis audientibus simul loqui? Nam, inquit Doctor supra laudatus: agens naturale non potest quoscumque effectus adæquatos producere simul, ac subinde unus Angelus non potest simul dirigere varios conceptus expressos in distinctos Angelorum audientium intellectus.*

Responsionem ibi non adhibet Doctor scribitque eam esse quærendam; in additione vero remittitur responsio quærenda in *Reportatis:* at neque etiam ibi comparet. Unde Faber, disp. 38. num. 2. præfato argumento deterritus contendit unum Angelum non posse pluribus simul loqui. Cæteri vero Doctoris Subtilis discipuli contendunt unum Angelum loqui posse simul pluribus dummodo sufficienter adsint præsentes. Nam, inquit Poncius in Commentario, non est major in hac locutione difficultas quam in cæteris causis efficientibus; unus enim ignis potest simul producere plures alios ignes in distinctis subjectis apte dispositis, et idem objectum potest producere plures species visibiles, et cum diversis oculis concurrere ad distinctas visiones: nec ex illa productione plurium effectuum sequitur major aut præstantior virtus in causa efficiente quando effectus sunt ejusdem perfectionis. Quandoquidem eadem est virtus immutata tam realiter quam formaliter quæ hos omnes producit effectus ac si unicum tantum ederet. Verum, tam Poncius ipse quam alii ejusdem sententiæ Scotistæ non videntur hac in re Doctoris mentem assequi, nec difficultatem ab eo propositam solvere, nimirum quod una eademque causa non possit simul plures effectus adæquatos edere. Porro quæcumque angelica locutio per conceptum expressum ab Angelo

loquente ad audientem directum, est adæquatus effectus. Nam, ut Angelus loquens conceptum suum gignat in mente audientis, debet ipse integram et adæquatam intellectionem formare, per quam producatur ille conceptus expressus. Non potest autem simul formare plures intellectiones adæquatas, igitur nec plures locutiones. Neque enim locutio angelica fit per aliquod signum extrinsecum quod sit expositum omnibus, quemadmodum fit locutio humana per voces externas quæ possunt simul a pluribus audientibus percipi. Itaque, aut statuendum est quod unus Angelus uni soli dumtaxat possit simul loqui, aut hujus quæstionis solutio cum Doctore cujusque arbitrio est permittenda.

Petes quarto *utrum Angeli loquentis alteri conceptus fieri possit manifestus et cognitus aliis Angelis præsentibus?*

Respondet Doctor *loco supra laudato, n.* 27. quod cum locutio angelica fiat per intellectionem quæ pendet a directione voluntatis angelicæ, Angelus loquens potest conceptum expressum per suam intellectionem dirigere ad unum Angelum potius quam ad alterum; adeo ut unus tantum eum conceptum excipiat, non vero alii, subindeque unus tantum eorum erit audiens per conceptum illum exceptum. Nihilominus tamen, inquit Doctor ibidem, num. 27., possent cæteri præsentes Angeli istum conceptum directum sicut et intellectionem Angeli loquentis percipere; quia, inquit, non videtur major ratio quare Angelus loquens per voluntatem suam possit occultare magis intellectionem suam quam essentiam, nec ulla etiam apparet ratio cur Angelus non posset percipere volitionem illam Angeli loquentis, qua scilicet vellet ipsi occultare suum conceptum; cum ista volitio sicut et conceptus ille directus, sint ordinis naturalis et intra latitudinem objecti intellectus angelici; ac proinde percipi potest a quolibet Angelo.

At, inquies: si Angelus quisque nosse possit cogitationem alterius, frustranea est igitur locutio. — **Respondet Doctor** *ibidem* quod licet Angelus prius videret intellectionem alterius Angeli, quam haberet auditionem ab eo, non tamen frustra esset auditio, esset per se perfectio communicata ab alio Angelo liberaliter: et ad hoc est potissime locutio in intelligibilibus, ut liberaliter et libere communicent sibi invicem conceptus suos. *Ita Doctor*". ✻

QUÆSTIO QUINTA.

AN ET QUALITER UNUS ANGELUS ALTERUM ILLUMINARE POSSIT.

Notandum 1. Ex sancto Dionysio cap. 3. *De Cœlesti Hierarchia*, quod cum Hierarchia sit *Sacer Ordo scientia, et actio, quæ ad Divinitatis similitudinem quantum fieri potest accedit, et proportione illustrationum quæ ei divinitus datæ sunt ad Dei imitationem traducitur*; ejus finis est Dei imitatio; medium autem quo divina similitudo formari potest est participatio divinæ lucis, qua Angeli supremi Deo propinquiores divinam lucem plenius excipientes, divinasque veritates penitius intuentes inferiores, illuminant, et edocent: quocirca in medio ejusdem capitis affirmat ordinem Hierarchiæ postulare *Ut alii purgentur atque purgent: Quidam luce doctrinæ illustrentur, quidam il-*

lustrent: Et aliqui perficiantur, alii perficiant: non quod superior tantum Hierarchia inferiorem illuminet, et purget; sed cum in eadem Hierarchia unus ordo superior sit, alius inferior, inferiores Angeli a superioribus illustrantur. « Quorum autem, inquit, est illustrare, ii ut « mentes clariores, et ejusmodi quæ, et lumen recipere, et aliis imper- « tiri proprie possent, et ditissime sacro splendore offusi lumen illud, quo undique circumfusi sunt in eos, qui illo digni sunt derivant.

Notandum 2. Ex Doctore Subtili in 2. dist. 9. quæst. 2. num. 25. *Quod illuminatio Angelica est quædam locutio de vero perfectiva in esse secundo.* Primo dicitur *locutio:* omnis enim illuminatio est locutio Angeli ad alium, licet omnis locutio non sit illuminatio, adeoque illuminatio differt a locutione tamquam species a genere: siquidem locutio est de re qualibet, sive perfectiva intellectus audientis, sive non perfectiva, et indifferenti; siquidem unus Angelus potest alterum alloqui de re cujus notitiam jam habebat, in quo casu locutio non est perfectiva intellectus Angeli audientis: siquidem novam notitiam, et perfectionem non ingeret. Additur *de vero*, non quod ad illuminationem sufficiat manifestatio, et declaratio cujuscumque veritatis, alioqui a locutione simplici non discreparet: sed, inquit Doctor, fieri debet de re divinitus revelata Angelo superiori, et prius ignota ipsi Angelo qui dicitur illuminari. *Denique* dicitur *perfectiva in esse secundo,* siquidem actualem Angelo illuminato notitiam ingerit alicujus veritatis, quam ipse propriis naturæ viribus acquirere non posset, ✳ " quamque per species sibi concreatas, prius non noverat: " ✳ cum autem omnis veritatis notitia sit perfectiva intellectus, hinc merito Angelus illuminatus per revelationem veritatis supernaturalis prius ignotæ merito dicitur perfici in esse secundo, seu actualiter.

Notandum 3. Circa præsentis Quæstionis resolutionem plurimum variari Theologiæ Principes. Quidam enim contendunt illuminationem fieri per simplicem propositionem veritatis, de qua fit illuminatio, absque eo quod quidpiam imprimat Angelo illuminato, non secus ac contingit inter homines dum Magister discipulum edocet, et illuminat, proponendo ei veritatem discendam, absque ulla efficientia in ejus intellectu; ita ✳ " quidam recentiores Thomistæ, de illuminatione ac de locutione angelica sentientes. " ✳ Alii vero contendunt per illuminationem aliquid causari in intellectu Angeli illuminati; ita quod " ✳ illuminatus ac vegetatus et confortatus rem sibi revelatam et propositam percipere queat. Ita S. Thomas 1. p. quæst. 106. a. 1. in corpore; ubi ait illuminationem angelicam fieri confortando virtutem intellectivam Angeli illuminandi ac distincte rem ipsi manifestando, secundum hæc duo, inquit, unus Angelus alteri veritatem notam notificare potest: Primo quidem fortificando virtutem intellectivam ejus. *Exponit modum;* Sicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex situali propinquitate perfectioris corporis, ut minus calidum crescit in calore ex præsentia magis calidi, ita virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex conversione superioris Angeli ad ipsum. Hoc enim facit in spiritualibus ordo conversionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis. Secundo autem unus Angelus alteri manifestat veritatem ex parte similitudinis intellectæ. *Explanat hanc manifestationem:* ut Angelus illuminandus magis particulariter veritatem ac-

cipiat, eam vero Angelus illuminans distinguit, ut ab inferiori capi possit. *Ponit exemplum :* sicut apud nos doctores, quod in summa capiunt, multipliciter distinguunt, providentes capacitati aliorum *idest discipulorum. Ita Doctor Angelicus.* — Brevius rem explicat respondendo ad 2 argumentum ibidem: *Unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, sed confortando lumen naturale ipsius, et manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ, et gratiæ, et gloriæ.* Videndus etiam quæst. 3. art. 1. in corpore, et quæst. 117. etiam, a. 1. ubi docet illuminationem angelicam, sive circa seipsos, sive circa homines fieri per propositionem veritatis et confortationem virtutis intellectivæ ipsius illuminati. Sunt vero nonnulli alii theologi " * qui putent Angelum illuminari ab alio per derivationem radii cujusdam spiritualis ab illuminante in illuminatum, per quem sic excitetur ad audiendum, et quo mediante formet in se similitudinem rei revelatæ, de qua a superiore instruitur, et illuminatur. Quidam dicunt per illuminationem fieri tantum intensionem luminis Angeli inferioris qui dicitur illuminatus. Cæteri denique cum Doctore Subtili affirmant illuminationem non fieri per simplicem propositionem rei revelandæ, et absque productione alicujus effectus in intellectum Angeli illuminati, neque per causationem novi luminis, sive naturalis, sive supernaturalis, per quod Angelus illuminatus fieret vegetior, et potentior ad videndam veritatem sibi revelatam; sed contendit, quod illa angelica revelatio fiat eodem modo quo locutio, nempe producendo notitiam veritatis revelatæ in intellectu Angeli cui fit illa revelatio.

Conclusio prima. — Revera Angeli quidam alios illuminant. Ita sentiunt omnes Theologi contra Durandum, qui in 2. dist. 11. quæst. 3. affirmat omnes Angelos illuminari a Deo immediate.

Patet conclusionis veritas ex S. Dionysio laudato in primo notabili, eamque veritatem pluribi edocet in libro *De Cœlesti Hierarchia*, maxime vero cap. 7. ubi de Seraphinis ait: *Quod inferiora agmina ad sui similitudinem potentissime subrehunt, lucida illuminanteque proprietate totius obscuritatis expultrice.* Et ibidem de Cherubinis dicit. *Quod indultam sibi sapientiam in sequentia, et inferiora transfundunt.* Hinc circa medium capitis: *Hoc Theologi plane credunt, inferiores cœlestium naturarum ordines a superioribus rite divina opera explicantes scientias discere: summos autem a Deo ipso pro suo captu doceri mysteria. Quosdam enim eorum inducunt rite a prioribus hoc discere, Dominum esse virtutum cœlestium, Regemque gloriæ eum, qui in Cœlos, ut hominem docuit, assumptus est.* Unde cap. sequenti docet, quod *Media cœlestium Spirituum distinctio, quæ divinas has proprietates in se continet, purgatur quidem, et illustratur, atque perficitur, ut dictum est, a divinis illustrationibus, quæ ei secundo loco dantur per primam Hierarchiæ distinctionem, ac per mediam illam secundo loco transportantur.* Insuper subscribunt alii plurimi Patres, præsertim S. Athanasius libro *De communi essentia*, ubi ait: *Cherubim, et Seraphim sine ullo mediatore, ac interprete a Deo condiscunt, et ab his eruditantur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu.* Sophronius in *Encomio de Angelis* ad Seraphinos ait: *Splendorem quantum fas*

est absque ullo medio excipitis, exceptumque cæteris mentibus, et intelligentiis communem facitis. Similiter S. Damascenus libro secundo cap. 3. *Illud quidem,* inquit, *perspicuum est eos, qui præstantiores, sublimioresque sunt, splendoremque, et cognitionem inferioribus impertiri.* Tandem S. Bernardus sermone quinto *De Consideratione* cap. 4. *De Cherubinis* ait: *Ex ipso sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes, et refluentes fluenta scientiæ universis civibus suis.* Nec valet reponere cum Durando præfatos SS. Patres solum velle quod Deus illuminet inferiores Angelos mediantibus superioribus, non mediatione causalitatis, sed dignitatis, quatenus nimirum prius illuminat superiores, et postmodum alios. Non valet, inquam, hæc responsio; siquidem ex verbis sanctorum Patrum constat, quod divinæ illæ irradiationes prius fiant superioribus Angelis, et per eos ad inferiores deportentur.

Probari etiam potest conclusio hac ratione: illuminare alterum nihil aliud est, quam ignotam veritatem ipsi manifestare: sed Angeli superiores ignotam inferioribus veritatem edocent, et manifestant: ergo eos illuminant. *Major* admittitur ab omnibus: *minor* vero probatur: superior Angelus, cum Deo sit propinquior, longe clarius, et uberius, quæ Dei sunt, percipit, quam inferior, quippe cum is sit minoris activitatis, et virtutis; cum autem inter eos maxima, perfectissimaque vigeat amicitia, quæ bonorum mutuam communicationem exigit, congruum est, ut illam divini luminis plenitudinem in inferiores effundant. — *Deinde*, hic ordo in universo rerum statu a Deo præscriptus est, ut inferiora per superiora regantur, et perficiantur; unde superiora corpora lucida illuminant inferiora; et in Ecclesia superiores dicuntur illuminare inferiores, juxta illud ad Ephesios 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia illuminare omnes, etc.* Merito ergo, inquit sanctus Dionysius cap. 4. De Cælesti Hierarchia: *Statuit summus ille, ac supersubstantialis omnium ordo per singulas distinctiones primos, et medios, extremosque esse ordines, atque virtutes, ut scilicet inferiorum spirituum excellentiores, quique Præceptores, ac Duces sint:* ubi nomen *Ducis,* ac *Præceptoris* evidenter causalitatem unius in alium per modum doctrinæ, et illuminationis ostendit. — *Denique*, quemadmodum licet Deus omnia per seipsum immediate possit producere, non tamen ita vult, quatenus hanc producendi virtutem creaturis tribuit; ita pariter non vult omnes creaturas intellectuales per seipsum immediate illuminare, sed aliquas aliarum beneficio, ut illius illuminativæ virtutis participes fiant: unde Regius Vates Psalmo 65. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis;* hoc est non solum animas nostras, sed etiam inferiores Angelos a superioribus, qui metaphorice idcirco *montes* appellantur; quia sicut montes primos Solis radios excipiunt, et inferioribus mundi partibus demum illos communicant; ita supremi Angeli divinas illustrationes immediate a Deo recipiunt: ubi autem, inquit Dionysius cap. 3., *Indultum sibi sacratissimum jubar affatim hauserint, hoc ipso postmodum absque invidia sequentibus fundunt.* « Verum, inquit Guillelmus Parisiensis *parte* « *secunda secundæ partis, De Universo* c. 51., hæc illuminatio ange- « lica ita accipienda est non per modum influentiarum corporalium, « et naturalium: illæ enim per necessitatem, et quamdam servitutem « fiunt, istæ vero per voluntatem, ac libertatem; non enim est in po-

« testate solaris lucis, ut minus luceat, quam lucet, vel ut aliquem « ex radiis suis retineat, sed quasi impetu, et violentia divinæ largi- « tatis toto posse luminositatis suæ lumen circumquaque diffundit. « Istæ vero luminosæ substantiæ, prout volunt, et quantum volunt lu- « mina revelationum infundunt, similiter et retinent; et luminositatem « suam habet unaquæque plenissime in libera potestate sua. »

Objicies 1. Locutio, et illuminatio fieri debet per productionem notitiæ illius rei, de qua fit illuminatio, vel locutio in intellectu Angeli illuminati, seu audientis: sed Angelus beatus non potest talem cognitionem, quam ipsemet habet de objecto sibi divinitus revelato, v. gr. de futuritione Antichristi, producere in intellectu alterius Angeli: ergo nec ipsum illuminare. Probatur *minor:* Angelus, qui dicitur illuminans, non habet aliam cognitionem de tali objecto, quam quæ dicitur cognitio in Verbo: sed talem nequit communicare alteri Angelo; tum quia illa est visio beatifica, quam unus beatus producere nequit in alio: tum quia Doctor Subtilis expresse hic negat cognitionem in Verbo ab uno Angelo posse alteri tribui. — **Nego minorem:** necnon et *minorem* illius probationis, non enim omnis visio rei in Verbo est visio beata, neque negat Doctor omnem visionem in Verbo posse communicari ab uno Angelo alteri. Potest enim aliquid videri in Verbo dupliciter: priori modo quando per visionem beatam Verbi, non solum ipsum Verbum seu Essentia divina videtur, sed etiam videntur objecta secundaria aliqua quæ in ipsa relucent: posteriori vero aliquid videri potest in Verbo, quatenus per visionem distinctam a visione beata posset videri cognitio Verbi, quatenus nempe terminabatur ad aliquod objectum particulare extrinsecum, puta ad futuritionem Antichristi, quæ ut sic non videbatur per ipsam visionem beatam: quando autem Angelus videt aliquid de novo in Verbo, non dicitur videre priori modo, sed tantum posteriori: unde prior cognitio communicari nequit alteri Angelo; posterior vero sic. ✻ " Cum enim Angeli non sint omnes æqualis beatitudinis, nec eamdem omnino habeant visionem beatificam, Angelus superior plura deprehendit in Verbo quam Angelus inferioris ordinis. Itaque cum Deus Angelo superiori manifestat tempus et circumstantias adventus Antichristi v. gr., Angelus ille superior informat conceptum expressum hujus veritatis sibi revelatæ, eumque dirigit in intellectum Angeli illuminandi ut in ipso videat Angeli illuminantis conceptum immanentem et rem in eo expressam a se visam in Verbo divino, quam Angelus ille intuens format de ea intellectionem et conceptum formalem quo formaliter illuminatur. Itaque duplex ex parte causæ efficientis distingui potest illuminatio: una quidem *objectiva,* quæ fit ab Angelo revelante et dirigente ad alterum conceptum quem expressit de re sibi manifestata. Altera vero *formalis* ex parte intellectus Angeli illuminandi qui ad præsentiam objecti sibi propositi effingit illius imaginem seu conceptum formalem quo rem ipsam intelligit et formaliter illuminatur. — Advertit insuper Doctor præfato num. 25., quod ista illuminatio formalis possit esse dispositio ad præstantiorem illuminationem quæ fiet per visionem ejusdem rei ab Angelo illuminato in Verbo, nempe si ille Angelus illuminatus videndo imaginem illius rei quam illuminans vidit in Verbo tamquam in speculo perfectissime rem ipsam repræ-

sentante, desideret ipse eamdem in ipso divino speculo intueri per visionem beatificam, quam visionem si Deus ipsi concedat, haud dubie longe præstantius illuminabitur, remque clarius et distinctius apprehendet quam prius conspexerat in conceptu expresso ab Angelo illuminante ad eum directo.

Petes: *quomodo Angelus inferior cui non est debita illa visio talis objecti sibi revelati, puta Antichristi venturi, in Verbo divino possit eam intueri?*

Respondeo, illam visionem immediate ac directe esse quidem indebitam Angelo; non esse autem mediate ac indirecte sic omnino indebitam, quia occasione revelationis factæ per Angelum illuminantem excitatum est in Angelo illuminato desiderium ipsius rei conspiciendæ distinctius et clarius, cui desiderio Deus ex bonitate sua satisfacere volens objectum ipsum Angelo cupienti in Verbo tamquam in divino speculo manifestat: ita ut qui rem viderat in conceptu expresso ab Angelo illuminante directo, tamquam in speculo imperfecto, inquit Doctor, videat eam in Verbo tamquam in speculo perfecto, et videndo gaudeat ac perfecte illuminetur. Unde concludit visionem illam esse dispositive ab Angelo superiori, quia dedit occasionem hujus desiderii quod in Verbo impletur." ✻

Objicies 2. Hierusalem cælestis Apocalypsis 24. dicitur, *Non egere Sole, neque Luna,* hoc est lumine creato, *quia claritas Dei illuminavit eam:* ergo cum Angeli sint cives illius supernæ civitatis, a solo Deo dici debent illuminari. 2. Solus Deus beatificat Angelos tam beatitudine essentiali, quam accidentali; illuminatio autem est quædam beatitudo accidentalis: ergo solus Deus illam efficit in omnibus Angelis. 3. Illuminatio fit proponendo objectum, et confortando intellectum, quia talis illuminatio cognitionem gloriosam confert ad quam natura non sufficit nisi a Deo robur et vires accipiat: sed solum Deus potest proponere supernaturale objectum, et confortare intellectum cujuslibet Angeli: ergo solus potest immediate Angelum illuminare. — **Respondeo ad primum**, verba illa Apocalypsis intelligenda esse de his, quæ spectant ad visionem beatam, et ipsius Deitatis manifestationem, quam solus Deus efficere potest, et conferre; non autem de illa illuminatione, quæ spectat ad quasdam veritates supernaturales, quas Deus uni Beatorum revelare potest seorsum ab alio. Unde distinguenda est *consequentia:* Angeli non illuminantur nisi a Deo, illa illuminatione, quæ est divinæ essentiæ intuitiva, claraque manifestatio, concedo; quæ est declaratio cujusdam veritatis supernaturalis uni Angelo specialiter a Deo revelatæ, nego. *Ad secundum* distinguo *majorem:* beatificare essentialiter tam effective, largiendo scilicet lumen beatificum quo illustretur, elevetur, et confortetur intellectus creatus ad visionem beatificam eliciendam, quam objective ipsam visionem terminando, spectat ad solum Deum, concedo: beatificare accidentaliter non quidem primario, sed per modum cujusdam appendicis, manifestando nempe quamdam veritatem, quæ conferre potest aliquam perfectionem intellectui beatifico, ad solum Deum pertinet, nego: nullum enim est inconveniens, quod superiores Angeli aliquo modo cooperentur ad actus pertinentes ad beatitudinem accidentalem

inferiorum Angelorum; quippe cum homines viatores cooperare possint ad sanctificationem aliorum hominum, quæ præstantior est, quam sit ipsa accidentalis beatitudo. *Ad tertium* nego *majorem;* siquidem ordinarie Angelus illuminatus, in sententia Doctoris, mere passive se habet ad excipiendam illuminationem, quæ tota producitur ab Angelo illuminante, aut saltem tantum concurrit effective cum specie emissa ab Angelo illuminante ad percipiendam illam rem de qua fit illuminatio, et consequenter non alia in eo requiritur virtus, quam quæ ipsi est ordinaria.

Objicies 3. Nullus Angelus beatus tenebris offunditur: ergo nullus potest illuminari. — **Distinguit antecedens** Doctor: quantum ad carentiam cognitionis illius rei quæ spectat ad ejus beatitudinem, concedit: quantum ad carentiam cognitionis alicujus alterius objecti, negat. Sicut enim non est inconveniens, quod Angeli beati sint in potentia ad aliquam cognitionem, quæ habeat rationem luminis, ita nec incongruum est, quod sint in potentia ad carentiam cognitionis alicujus, quæ vocari possit obscuritas, non positive, sed negative.

Objicies denique: Si Angelus superior inferiorem illuminaret, cum majorem habeat lucem, ipsum a sua operatione præpediret, sicut lux Solis, quæ stellarum luce longe major est, earum effectum impedit, quo fit ut lucente Sole stellæ non fulgeant: ergo unus alterum illuminare nequit. — **Nego antecedens**: ad cujus probationem dico Solis lumen stellarum lucem non extinguere, siquidem etiam in meridie stellæ videri possunt in profundis puteis; adeoque quamvis longe superior sit vis Angeli illuminantis, quam illuminati, non propterea ille hujus lucem extinguit, nec operationem præpedit. Adde quod, inquit Doctor numero 26., non valeat paritas de lumine sensibili respectu oculi ad lumen intelligibile respectu intellectus. *Nam*, ex Aristotele, tertio De anima textu 7. *post excellentia intelligibilia, non minus intelligimus alia, sed magis: post vero excellentia sensibilia minus sentimus alia sensibilia, quia potentia, vel organum debilitatur.*

Conclusio secunda. — ✻ " Illuminatio angelica fit per impressionem notitiæ et veritatis quam illuminans transfundit ad revelatum. Ita Subtilis Doctor in 2. dist. 9. quæst. 2. num. 25. ubi agens de illuminatione scribit « quod illuminatio in Angelo est « quædam locutio de vero, perfectiva in esse secundo. Sicut enim non « omnis intellectio est simpliciter perfectio angelici intellectus, sed « visio Verbi, et non visio quidditatum, sive per species habituales, « sive intuitive: sic nec omnis cognitio singularium, alia a visione « Verbi, et a cognitione quidditatum, æque perficit intellectum angelicum, quasi secundario, sed visio veri revelati perficit in esse secundo: non autem sic cognitio singularis in genere proprio. Dico « tunc quod Angelus superior, cui secundum communem cursum revelatur primo aliquid particulare, causat in inferiori conceptum « quemdam de illo revelato, qui dicitur auditio, et hoc causare, quod « est quoddam speciale loqui, est illuminare. Probabile etiam videtur, « quod Angelus illuminans aliquid causet in illuminato, et non in se: « quia ipse Deus illuminans primum Angelum, nihil causat in seipso, « sed in Angelo illuminato. » Hæc Doctor; quibus verbis declarat ac

statuit *primo,* illuminationem esse quamdam locutionem de objecto revelato quæ sit perfectiva intellectus Angeli illuminati in actu secundo. *Deinde* statuit eam fieri per productionem conceptus de ipsa veritate revelata ab Angelo illuminante in intellectu illuminati. *Tertio* probabile existimat illuminantem Angelum non mutari in se dum illuminat: sed illuminatum mutari a Deo per illuminationem, nam Deus, qui revelat rem incognitam, per illuminantem Angelum mutat ipsum Angelum illuminatum ei conferendo novam notitiam quam non habebat. Cum vero illuminans ea notitia jam esset præditus, per eam non mutatur, agens quippe non mutatur per actionem qua producit terminum in passo, quod revera mutatur. His ita præmissis, ut aperte constet quæ sit Doctoris sententia, jam probanda est Conclusio " ✻

Idque eisdem rationibus expositis in præcedenti Quæstione; cum enim illuminatio sit quædam locutio, ut dictum est in 2. notabili; cumque locutio fiat per directionem conceptus expressi ad intellectum audientis, eodem modo censeri debet fieri ipsa illuminatio.

Conclusio tertia. — ANGELUS NON SOLUM SUPERIOR INFERIOREM, SED ETIAM INFERIOR SUPERIOREM ILLUMINARE POTEST. Ita Doctor loco laudato numero 25. *Dico,* inquit, *quod Deus de potentia sua absoluta posset aliquid revelare Angelo inferiori, quod non esset revelatum, vel notum superiori, et tunc ille inferior posset loqui aliquo modo superiori de hoc, quod superior ignoraret, et illa locutio esset aliquo modo illuminatio. Tamen non potest habere tantam efficaciam super intellectum superioris, sicut super intellectum inferioris, et ideo non posset iste necessario facere superiorem audire, sicut e converso, quia si superior consideret aliquid in genere proprio, iste inferior non faceret ipsum audire simpliciter. Simpliciter autem superior potest facere inferiorem audire, et potest impedire intellectionem ejus de aliquo intelligibili. De facto tamen verisimile est, quod Deus ordinate distribuat suas illuminationes, sicut distribuit Angelos in ordinibus suis: primo quidem superioribus, deinde inferioribus.* Quibus Doctor fatetur de via quidem ordinaria inferiores Angelos per superiores illuminari; posse tamen de via extraordinaria superiores ab inferioribus lumen accipere. Cum enim Deus suorum donorum sit liberrimus distributor, pro libito cuique Angelo potest revelare ea, quæ cæteris etiam sibi propinquissimis abdita sunt, et velle ut rem declaratam ab inferiori, cæteri etiam superiores Angeli cognoscant: quemadmodum in Ecclesia militante, nedum quæ ventura sunt, sed etiam veritates altissimas sanctissimis viris licet idiotis et plebeis interdum revelat, ut eas Ecclesiæ Prælatis, et Doctoribus notas faciant.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VOLUNTATE ANGELICA.

VOLUNTATEM Angelis inesse nullus Theologorum dubitat, quippe Scriptura sacra voluntatis operationes frequenter eis tribuit; puta cum dicuntur Dei ministri, *qui faciunt voluntatem ejus,* Psalm. 102. Quod certe dici nequit nisi de his, qui voluntatem habent, et voluntarie serviunt. Unde Apoc. 7. unus Angelus ad alios tamquam voluntate

libera donatos clamabat: *Nolite nocere terræ, et mari etc.* Idipsum confirmat S. Petrus Epist. 1. cap. 1. docens in eis esse desiderium, quod est voluntatis actus, *In quem*, inquit, *desiderant Angeli prospicere:* ubi autem sunt actus, potentiam pariter inesse necessum est. His adde quod cum Angeli sint naturæ intellectualis, haud dubium est eos potentia volitiva esse donatos; omni namque rei naturaliter sua inest inclinatio, seu appetitus ad bonum sibi proportionatum, in animalibus quidem appetitus sensitivus; et consequenter rationali debet etiam inesse suus appetitus rationalis, quem voluntatem dicimus. Et quidem valde inconveniens foret, longeque ab ordinata divinæ providentiæ constitutione alienum, quod natura intellectualis posset bonum, et pulchrum conveniens intellectu percipere, nec tamen illud amare, et in eo quiescere vel delectari, et gaudere posset, vel quod posset malum nosse, et pati, nec tamen illud fugere aversando valeret. Certum itaque, et prorsus indubitatum est, Angelos habere facultatem appetitivam, qua bonum possint prosequi, et malum aversari, quemadmodum habent intellectivam, qua verum a falso discernere queant. Quoniam autem de voluntatis operibus, et dotibus supernaturalibus in sequenti Disputatione nobis erit sermo, nempe de Angelorum meritis et demeritis, hic solum suscipimus examinandum quinam sint, et quales angelicæ voluntatis nativi characteres.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ANGELICA VOLUNTAS REVERA SIT LIBERA, ET MUTABILIS.

Notandum 1. Cum nostro Alensi ex S. Bernardo lib. *De libero arbitrio,* quod triplex est libertas: Prima est *libertas a coactione*, sive a necessitate; secunda est *libertas a peccato*, de qua Scriptura ait: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas, si filius vos liberavit, vere liberi eritis:* tertia est *libertas a miseria*, de qua ipsa creatura *liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Dicimus ergo, quod secunda libertas, et tertia non æque sunt in homine, et in Angelo, sed maxima est in Angelo bono, minor in homine bono, minima in homine malo, nulla in dæmone. Sed prima libertas, quæ est *a coactione*, est æque in homine, et Angelo tam bono, quam malo; unde Bernard. *Libertas a necessitate, nec peccato, nec miseria amittitur, nec per oppositum augetur, nec plenior est in homine, quam in Angelo.* Et subjungit: *Hac prærogativa Conditor rationalem creaturam insignivit, ut sicut sui juris, suæque voluntatis, non coactionis erat, quod bonus est, ita et sui juris existeret, ut nonnisi quæ vellet bona vel mala faceret.*

Notandum 2. Cum Doctore Subtili *quæst.* 16. *quodlibetica*, triplicem rursus distingui libertatem: prima dicitur *libertas contrarietatis*, seu specificationis, qua voluntas pro nutu potest in aliquod objectum tendere, vel in aliud oppositum, et qua potest elicere actum amoris, vel odii. Secunda dicitur *libertas contradictionis*, seu quoad exercitium, qua nimirum voluntas potest actum elicere, vel non elicere, in objectum tendere, vel non tendere. Tertia denique est *libertas essentialis*, qua voluntas cum ex intrinseca sua ratione sit indifferens, et indeterminata, censetur semper ex se libere actum suum elicere, et

in objectum tendere, quamquam ab extrinseco moveatur, et determinetur. Hanc autem libertatem essentialem colligit Doctor ex S. Augustino in Enchiridio cap. 105. ubi ait: *Oportebat prius hominem sic a Deo fieri, ut bene velle posset, et male; postea vero, idest,* in beatitudine, *sic erit, ut male velle non possit, neque enim libero carebit arbitrio; multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino servire non poterit peccato: neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus:* quibus verbis S. Augustinus affirmat necessitatem non peccandi in Beatis stare cum eorum libertate; non quidem cum libertate contrarietatis, aut contradictionis, qua voluntas potest aliquid appetere, vel non appetere contra voluntatem Dei, et consequenter, qua potest peccare; sed cum libertate essentiali, seu radicali, et entitativa ipsius voluntatis, quæ est facultas semper ex se entitative, et intrinsece, ac radicaliter remanens libera, etiamsi interdum ab alio extrinseco ita necessitetur, et efficaciter alliciatur ad ejus amorem, ut nec ab eo amando possit cessare, nec oppositum amori actum, nempe odium, circa illud objectum elicere.

Notandum 3. Quod etsi omnes Theologi conveniant Angelos esse libero arbitrio donatos, quo in bonum, vel malum tendere possint, atque in contraria, suapte conditione, mutabiles sint; eorum tamen sententiæ discrepant in explicando ejusdem liberi arbitrii usu: etenim S. Thomas prima parte quæstione 64. act. 2. ejusque universa Schola, voluntatem Angeli ante electionem ad utrumvis esse liberam existimat: post electionem vero immobiliter adhærere ad id, quod amplexata fuerit: atque hanc causam, cur dæmones in suscepta pravitate mentem obfirment, nec in melius vertantur, quod ipsum ex cogitationis, sive, ut vocat, apprehensionis illius cognitione fieri putat: *Differt* enim (ait) *apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixe, et immobiliter, et ideo si consideretur ante adhæsionem, potest libere, et huic, et opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult: sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, et ante electionem, et post; liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post; sic igitur et boni Angeli semper adhærentes justitiæ sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati.* Hæc S. Thomas, quæ quidem improbat Doctor Subtilis, et cum ipso communiter Theologi docentes voluntatem angelicam non esse ex seipsa immutabilem, sed posse actum semel electum non ponere, vel positum retractare, ut patebit Conclusione secunda.

Conclusio prima. — Angeli revera libero arbitrio donati sunt. Hæc est de fide, siquidem Scriptura sacra pluribi affirmat Angelos esse capaces præcepti, et peccati propter quod pœnam me-

rentur: nec non susceptivos esse sanctitatis, et justitiæ, et meriti apud Deum; quæ omnia liberum arbitrium supponunt, et denotant, ut constat tum ex dictis in morali Philosophia, tum ex dicendis in tractatu de Gratia.

Hoc ipsum aperte edocent sancti Patres, qui Angelos esse mutabiles probant 1. ex eorum potentia ad peccandum: sic S. Basilius libro *De Sancto Spiritu* cap. 16. ubi *De Sanctis Angelis* ait: *Habentes in eligendo liberum arbitrium, numquam ab eo, qui vere bonus est, consortio excidentes:* et de malis ait: *Quorum defectio comprobat, quod dicimus, virtutes invisibiles esse sui arbitrii:* quasi diceret, de merito, et demerito Angelorum liberum eorum arbitrium legitime concludi. — Alia ratione non minus efficaci utitur S. Gregorius Nyssenus, libro De oratione Dominica, ubi demonstrat, de virtute consultandi in intellectu sequi potestatem eligendi in voluntate, et ideo communem esse Angelo, et homini libertatem, eo ipso quod in intellectu, seu ratione conveniunt. *Boni*, inquit, *et honesti studium æqualiter utriusque naturæ essentiæ simul insitum, et attributum est. Plenamque item, ac summam in sese potestatem, et ab omni necessitate liberam voluntatem in utrisque parem; rerum universarum Præses effecit, ut animi libero quodam arbitrio, atque proposito regatur, quidquid ratione pariter, ac mente honoratum est.* Subscribit S. Augustinus, libro 22. *De Civitate* cap. 1., ubi cum dixisset Deum in mundo nihil melius creasse, quam spiritualem naturam, cui intelligentiam dedit, subdit: *Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, ut si vellet deserere Deum, continuo miseria esset secutura.* — Idipsum probant pariter cæteri quique Patres, qui unanimi calculo Angelos libertate donatos affirmant, eorumque liberum arbitrium colligunt ex spirituali ipsorum natura. Unde merito S. Damascenus, libro secundo cap. 3., Angelum definit dicens: *Est Angelus natura sua intelligens, arbitrii libertate præditus, ac sententiæ ratione immutabilis etc.* Et rationem subdit, *Quoniam*, inquit, *id omne quod ratione utitur, libertate quoque præditum est.* Quæ sane ratio valida est: libertas enim arbitrii sequitur intelligentiam seu rationem: sed Angeli habent perfectam rationem seu intelligentiam: ergo et libertatem. *Minor* constat ex dictis: *major* vero probatur inductione; etenim suprema intellectualis natura, nempe Divina, eo ipso quod intellectualis est, libera est; infima etiam rationalis natura, videlicet humana, libertate donatur ex eo quod intelligentia, et ratione polleat: ergo idem dicendum de natura intellectuali media, quæ est angelica: *tum quia* hæc eamdem habet radicem libertatis, nempe naturam intellectualem; *Tum quia* capax est boni prosequendi, et mali aversandi, nec non meriti, et demeriti; *tum denique quia* libertas spectat ad perfectionem naturæ intellectualis, alioqui Deo non inesset: ergo natura intellectualis Deo vicinior, et propinquior, qualis est angelica, illa maxime donari debet.

Dices: Si hoc argumentum quidquam urgeret, sequeretur Deum non posse aliquam creaturam intellectualem condere quæ libera non esset, et ad bonum aut malum indifferens: sed falsum consequens: ergo et antecedens. *Majoris* veritas apparet ex mox dictis: *minor* vero probatur: sicut enim Deus creavit voluntatem ita determinatam ad bonum amandum in communi, ut non possit illud odisse, ita creare

posset voluntatem aliquam determinatam ad bonum in particulari, ut ad ejus amorem necessario determinaretur, nec ab illo cessare posset: ergo etc. — **Nego minorem,** et ad ejus probationem dico, repugnare quod voluntas ita determinetur ad bonum ex necessitate volendum semper, necessario, in particulari, et ab intrinseco; quæ omnia requiri videntur, ut facultas aliqua non dicatur libera. Fateor equidem quod voluntas absque suæ libertatis præjudicio possit esse necessario determinata ad aliquod objectum primarium, et commune, libera tamen, et indifferens circa objecta secundaria et particularia; qualiter voluntas divina determinatur ab essentia sua, quam invariabiliter et necessario diligit; indifferenter vero fertur circa objecta secundaria, nempe circa creaturas odio vel amore libere prosequendas, prout earum perfectiones, aut defectus morales divinum amorem aut odium promerentur. Potest etiam esse determinata circa objectum aliquod in communi, saltem quantum ad specificationem actus, qualiter voluntas creata determinatur in communi ad amandum bonum; ita ut illud sub ratione boni odisse nequeat. Denique etiam determinari potest ab extrinseco ad aliquod objectum particulare ita diligendum, ut ab ejus amore revocari non possit; qualiter Beatorum voluntas allicitur, et determinatur ad amandum Deum: sed hæc determinatio prorsus est extrinseca; subindeque non officit libertati voluntatis, quæ non obstante illa extrinseca determinatione non minus libere propendet in illud objectum. Idcirco repugnat voluntatem aliquam ita creari posse, ut sit ab intrinseco determinata circa objectum aliquod particulare necessario amandum, siquidem voluntas secundum se est facultas indifferens, vel indifferentia contrarietatis, vel contradictionis, ut amplius declarabit

Conclusio secunda. — ANGELICA VOLUNTAS NON EST IMMUTABILIS, NEC EX SE NATURALITER ITA DETERMINATA AD UNUM, UT SEMEL ELECTUM NON POSSIT RETRACTARE, ET REVOCARE. Hæc est Doctoris in 2. dist. 6. q. 2. n. 17., ubi ait: *Dico quod quando peccavit* Angelus *secundo peccato, adhuc fuit in via; et per consequens quando peccavit secundo peccato potuit pœnitere de primo peccato; et ita primum peccatum ex se non fuit irremediabile, quia si pœnituisset, invenisset veniam, et misericordiam etc.* Idem docet dist. 7. quæst. 2. et in 4. dist. 46. q. 4. n. 6. contra Thomistas: idque

Probatur 1. Auctoritate S. Patrum, maxime S. Hieronymi Epistola 146. ad *Damascenum: Deus,* inquit, *solus est in quem peccatum non cadit, cætera cum sint liberi arbitrii, juxta quod et homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Subscribit S. Gregorius Nyssenus, Oratione 5. in orationem Dominicam, ubi loquens de utraque natura humana et angelica, parem arbitrii libertatem ambobus attribuit, ut supra dictum est. Consentit etiam supra laudatus S. Damascenus, qui cum dixisset Angelos proposito et sententia mutabiles esse, idque ex se, et suapte sponte, rationem hanc profert: *Quippe,* inquit, *creatum omne etiam mutabile est: solum autem id quod Increatum est mutare convertique non potest. Porro rationale omne potestate liberum est: quare in eo ipso quod rationalis est, et intelligens, liberi est arbitrii: ut autem creatura mutabilis, potestatem habet manendi, et procedendi in bono,*

et in deterius prolabendi. Tum statim adjicit: *Minime capax est pœnitentiæ, quoniam corporis exspers: nam homo propter corporis imbecillitatem pœnitentiam est consecutus.* Quibus aperte edocet Angelos haud esse capaces pœnitentiæ, non quod digredi non valeant ab eo, quod semel elegerunt, ut vult S. Thomas, sed quia destituti sunt divina gratia, quæ ipsis nusquam est tribuenda, propterea quod cum corpore caruerint, excusationem imbecillitatis, ut homines, in peccati veniam prætexere non possunt, ob idque longe gravius quam homines intolerabiliusque peccaverunt. Unde de bonis Angelis subdit: *Difficulter in malum mobiles, sed non immobiles: Nunc vero et immobiles non natura, sed gratia, et adhæsione ad id quod solum bonum est.* — Eamdem electionis firmitatem et stabilitatem in bonis, non nativæ obfirmationi, sed Dei beneficio tribuunt cæteri SS. Patres. Sic S. Augustinus libro 22. *De Civitate Dei* cap. 1. *Casum,* inquit, *Angelorum voluntarium justissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit: atque in eo summo permanentibus cæteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tamquam præmium suæ permansionis, dedit.* Censet ergo S. Augustinus S. Angelos illam firmitatem in bono non habere ex natura sua. Idem sentit S. Prosper in libro primo *De Vita Contemplativa* cap. 3. *Voluntatis,* inquit, *sanctorum Angelorum fuit quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt: Et divino justoque judicio actum est,* ut quæ *fuit cum Deo suo permanendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque necessitas.* Unde Gennadius cap. 62. *De Ecclesiasticis dogmatibus: Virtutes,* inquit, *Angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine surripientis culpæ lædantur.* Non ergo censent S. Patres Angelos beatos natura sua esse immobiles, sed tantum divino beneficio, *Nam* ut loquitur S. Isidorus, *Si natura incommutabiles essent, Diabolus non utique cecidisset.* — Hanc veritatem præ cæteris apertissime docet S. Fulgentius libro *De Fide ad Petrum* cap. 3. qui humanam libertatem cum angelica conferens, ait: *Si possibile esset, ut humana natura postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet angelica: quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus unde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt Angeli cum haberent, ut amissam deinceps habere non possint.* Subscribit Rupertus lib. 5. in cap. 5. Joannis; *Nam et Angelica natura,* inquit, *malum potuit facere, et fecit, et facit: et humana natura malum potuit facere, et fecit. Et quidem S. Angeli firmati sunt, quia malo quidquam a seipso faciente, idest, malum faciente, ipsi Deo principi suo adhærere maluerunt, in hoc remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non possint, quia cum possent facere, noluerunt. Verum hoc non est per naturæ ipsorum potentiam, sed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam.*

Potest etiam suaderi veritas Conclusionis ex pugna illa inter se bonorum Angelorum, et conflictu qui ex sacris Libris colligitur, ut legimus apud Danielem 10. cap. ubi juxta explicationem Pelusiotæ Epistola 85. Persarum Angelus ægre ferens, quod Judæi pessimis suis factis iram Dei, ac servitutem perpetuam mereri pergerent, eos a ca-

ptivitate liberari nolebat: huic vero Angelus alter obstabat, qui justitiæ Dei bonitatem anteponebat, cuique favit Deus, juxta ejus desiderium sententiam ferens: cui sententiæ uterque Angelus assensum præbuit. Non igitur ad id quod intelligentia, et voluntate semel arripuerit, immobiliter Angelus adhærescit.

Probatur insuper ratione theologica: dum Angelus eligit aliquid revera est liber, et operatur libere; quippe cum possit rem eligere vel non eligere: sed post factam electionem nihil est quod ipsum necessitet, ut non possit electionem factam revocare, et sententiam mutare: ergo etiam post electionem revera est mutabilis. *Major* patet ex priori Conclusione: *minorem* probat Suarez lib. 3. cap. 10. et ex eo Martinonus: si Angelus non posset propositum mutare, illa immutabilitas esset repetenda, *vel* ex parte Dei Angelum necessario ad unum actum determinantis; *vel* ex propria Angeli natura, quæ propter suam dignitatem, et perfectionem fingi posset immutabilis in sua electione, sicut Deus propter suam naturæ præstantiam est omnino invariabilis: *vel* ex actu ipsius voluntatis, qui hanc invertibilitatem ex natura sua exigeret: *vel* ex habitu aut alia dispositione addita voluntati, et ex actu relicta: *vel* denique ex parte intellectus, et modo intelligendi, quo voluntas erga unum objectum ita dirigeretur, ut ad aliud non posset determinari: sed ex neutro capite hæc immutabilitas repeti potest.

Non quidem primo ex parte Dei: tum quia Deum non deceret necessitare voluntatem in actu malo: tum etiam quia loquimur hic de Angelo spectato naturaliter, ut Deo subest, veluti causæ primæ naturaliter operanti secundum exigentiam causarum secundarum; ac proinde non necessitanti, nisi sit aliquid quod id exigat ex parte causæ secundæ.

Neque etiam illa immutabilitas provenit ex natura ipsius voluntatis: tum quia non est fingenda major mutabilitas voluntatis Angelicæ quam judicii: atqui potest variari, et corrigi judicium angelorum sicut et falli: tum etiam quia licet in voluntate, quæ non potest a bono deflectere, immutabilitas in proposito, et electione sit magna perfectio; non tamen ita in voluntate quæ deficere potest: imo magna foret imperfectio non posse corrigi, et a malo desistere; quemadmodum intellectui erroris capaci, magna esset imperfectio non posse errorem dedoceri, et abjicere: atqui voluntas Angeli peccare potest, ut et intellectus errare: ergo esset ei imperfectio summa si suum actum revocare non posset: tum denique quia talem Angelorum naturam, et perfectionem non agnoverunt sancti Patres.

Nec etiam ex parte actus voluntatis: quippe cum hic nec liget, nec potentiam astringat, quoniam illum natura præcedit, et ab illo non constituitur in actu primo, secundum quem tantum est potens aut impotens, sive ut primo actum producat, sive ut productum conservet. Quod autem dicunt aliqui necessitatem immutabilitatis oriri ex impetu quo voluntas angelica in suos actus erumpit, vanum est: gratis enim supponunt Angelos summo quodam conatu semper operari. *Deinde*, licet toto conatu voluntas operetur, tota libera est, et potest actum non elicere, vel elicere oppositum: potest item deponere postquam elicuit: quidni ergo mutare in oppositum, et quidem toto conatu, si sit opus? Sane ex hac sententia Adversariorum sequeretur Angelum posse naturaliter reddere se impeccabilem in futurum: potest enim amare

Deum toto conatu super omni actu naturali, itemque detestari toto conatu omne peccatum; ad id enim suppetit et cognitio et voluntas: ergo si aliunde non possit mutare talem electionem, constitueret se impeccabilem.

Neque etiam ex parte habitus, et dispositionis ex actu relictæ: tum quia habitus, et dispositio præcedens actum electionis non necessitat ad electionem, sed in hoc subditur voluntati, supponimus enim Angelum libere eligere, non obstante quocumque habitu vel dispositione prævia: ergo neque necessitare potest ad perseverandum in electione jam facta. Tum quia talis habitus vel dispositio non potest efficacius influere in conservationem actus quam in primam productionem. Tum etiam quia talis habitus, vel dispositio nunquam potest privare voluntatem sua naturali, et intima potestate suspendendi influxum suum, vel perseverandi libere in actu, quem libere elicuit: potest ergo non obstante tali habitu vel dispositione, libere cessare ab illo actu, et iterum eligere libere; quidni ergo, si velit, ad contrariam electionem transire? Adde quod non videatur credibile in primo instanti gigni posse a quolibet actu tam intensum habitum in voluntate Angeli, ut eum nequeat superare, cum etiam inveteratos habitus homines superent, et evellant. Deinde habitus tantum inclinant potentiam ut facile possit similes actus, non autem ut possit oppositos edere.

Non denique ex parte intellectus, et modi intelligendi: tum quia Angeli mutare possunt judicium, et jam amore indignum existimare id quod antea putaverunt esse amabile, atque re ipsa amaverunt. Insuper, Angeli naturaliter possunt falli, maxime quando judicant ex conjecturis, et signis incertis et obscuris, fallunturque non raro dæmones circa tentationum exitus, et eventus libere futuros, et circa mysteria, et dispensationes gratiæ: ergo ex parte judicii seu modi intelligendi, non est ratio persistendi necessario in electione prius facta, sed potius est ratio eam prudenter mutandi in contrarium. Tum quia, etiamsi idem omnino semper staret judicium quod habuit quando libere elegit, exinde tamen non sequeretur voluntatem non posse actum suum mutare; etenim sicut judicium illud non prædeterminavit physice voluntatem, sed illo posito et stante, voluntas libere elegit id quod amplexata est, potuitque non eligere etiam in sensu composito, idest, componere non electionem cum tali judicio: ita non prædeterminat ad actum continuandum, sed voluntas omnino ex se manet libera ad continuandam electionem vel deponendam. *Denique* Angeli de facto mutarunt voluntatem, mali videlicet, qui cum cæteris aliquo tempore fuerunt boni, et Deum amarunt. Immo quotidie tam boni, quam mali Angeli mutant suas voluntates: hi dum desistunt tentare, videntes tentationes potius prodesse, quam obesse: isti dum tandem deserunt, quos a vitiis frustra avocare studuerunt.

Objicies 1. Intellectus Angeli immobiliter adhæret eis, quæ intelligit, et judicat: ergo voluntas similem habet immutabilitatem in suis electionibus. Patet antecedens, Angelus enim apprehendit conclusiones in principiis, unde judicat de rebus cognitis, quemadmodum homo de primis principiis: sicut ergo homo primis principiis immobiliter adhæret, ita etiam Angelus adhæret omnibus, quæ apprehendit, et judicat. Consequentia etiam est evidens, voluntas enim sequitur in-

tellectum, et modum illius operationis imitatur. **Respondeo 1. negando antecedens**; falsum est enim Angelum invariabiliter adhærere eis, quæ cognoscit. Falsum pariter ipsum cognoscere conclusiones in principiis, quippe virtutem habet discurrendi, et revera ejus cognitio discursiva est. *Respondeo* 2. negando consequentiam : sicut enim non obstante illa intellectus determinatione, voluntas in prima sua electione fuit libera. ita etiam facta illa electione, remanet adhuc libera ad eam relinquendam, aut aliam eliciendam; quippe cum intellectus in utraque reperiat sufficientem rationem qua possit appeti. Adde quod voluntas sit intellectus domina, eoque longe liberior; subindeque non obstante intellectus judicio, potest quod sibi placuerit eligere.

Objicies 2. Adhæsio ad finem ultimum, seu intentio illius consequendi, est principium omnium electionum : sed Angelus immobiliter adhæret fini ultimo, quem sibi destinavit : ergo etiam immobiliter adhæret omnibus aliis rebus quatenus ad illum finem ordinantur. — **Distinguo minorem**, immobiliter adhæret fini ultimo per determinationem extrinsecam, nempe dum finis ultimus ita efficaciter movet voluntatem per sui propositionem claram et evidentem, qualiter Deus intuitive videndus determinat beatas mentes ad sui intuitum et amorem, concedo : per determinationem extrinsecam, quæ proveniat ex immobili electione voluntatis apprehendentis finem ultimum verum vel apparentem, nego. Quamquam enim Beati immobiliter Deo adhæreant, et dæmones obdurentur in illa voluntate, qua divinam æqualitatem tamquam finem ultimum sibi proposuerunt, nihilominus hæc determinatio non provenit præcise ab intrinseco, sed ab extrinseco, in Beatis quidem ab objecto clare apprehenso, in damnatis autem ex negata gratia, qua possint revocare sententiam, et pœnitentiam agere.

Dices 3: Quo voluntas est perfectior, et liberius eligit, eo vehementius, et majori affectu adhæret rei electæ : sed voluntas Angeli est perfectissima, et liberrime eligit, quia non ducitur ex passione, sed ex se sola se determinat : ergo in eligendo ita afficitur circa rem electam, ut ab ea non possit amoveri. — **Nego majorem** : non enim est necesse, quod voluntas liberior majori affectu feratur circa objectum suum : imo quo liberior est, eo magis poterit suum affectum moderari, et temperare. Adde quod etiamsi summo affectu feratur erga suum objectum, inde non sequitur, quod invariabiliter in ipso affectu subsistere debeat; etenim pro eadem libertate poterit ab eo cessare, et præcipere intellectui, ut alia consideret, quibus ab illius objecti amore dimoveatur, et in aliud tendat.

Dices 4: Si Angeli essent vertibiles et mutabiles, essent pariter capaces pœnitentiæ : sed falsum consequens : ergo et antecedens. *Major* constat, ille enim est capax pœnitentiæ, qui pravam voluntatem potest abjicere, et revocare : *minor* etiam patet, si enim capaces essent pœnitentiæ, haud dubium est, quod aliquando pœnitentiam egissent, aut saltem eorum aliquis resipuisset. — **Nego majorem**, defectus enim pœnitentiæ in Angelis non provenit ex eorum voluntatis immutabilitate, sed ex negato sibi divinitus auxilio supernaturali absolute necessario ad veram pœnitentiam agendam, et ex eo quod sint in termino; si enim in statu viæ, et ante indictam eorum æternæ damnationis sententiam, gratiam pœnitentiæ ipsi concessisset Deus, revera pœnitere po-

tuissent, et veniam impetrare: quoniam autem sunt in termino, nec ullo divino ad pœnitendum auxilio donantur, ideirco pœnitere non possunt.

Dices 5: Angelus est subtilissimus in natura, necnon est vehementissimus in operando, subindeque ejus voluntas totaliter se immergit objecto, quod elegit, et cui adhæret, et ab eo non potest revocari: ergo post primum actum est immutabilis. — **Nego consequentiam**: quantumcumque enim angelica voluntas in via existens objectum appeteret, et quantocumque conatu in illud tenderet, posset tamen pro libito illud abjicere, ut supra diximus.

Dices 6: Electionis mutatio provenit vel ex eo quod eligens aliter disponitur, vel quia rem aliter apprehendit post electionem, quam antea: sed neutrum habet locum in Angelis. Non primum, quia non habent passiones, nec ab extrinseco suam internam dispositionem accipiunt: non etiam secundum, quia Angelus habet perfectissimum lumen; adeoque primo apprehendit id omne, quod cognoscibile est, maxime circa intentionem, et electionem ultimi finis; cum enim ea res summi sit ponderis, et momenti, verisimile est, quod Angelus omnem suam intellectivam virtutem impendat in hac cognitione formanda. — **Nego minorem**: quamquam enim Angelus perfectissime illustretur, nihilominus potest errare, uti de facto erravit apprehendendo æqualitatem cum Deo sibi esse possibilem, et illam appetendo: electio enim mali semper præsupponit errorem, vel saltem inconsiderationem ex parte intellectus, maxime quando non peccatur ex certa, et determinata malitia; adeoque potest non esse plena apprehensio ex parte intellectus ubi est error, vel inconsideratio. Itaque dici potest, quod Angeli mali habuerint ista duo judicia simul: primum, quod *bonum esset Deo subjici, et ipsi obtemperare;* secundum, quod *propria excellentia esset bonum appetibile:* unde factum est, quod etiam stante priori judicio, nihilominus moti sunt ad sequendum posterius, videlicet ad eligendam propriam excellentiam: et sic non obstante cognitione medii, et finis debiti, potuerunt alium sibi finem, nempe propriam suam excellentiam appetere.

Instabis: quo præstantius est lumen intellectus, eo tenacius voluntas objecto adhæret: sed angelici intellectus lumen fuit præstantissimum: ergo illorum voluntas ita firmiter adhæsit objecto electo, ut nullatenus ab eo potuerit removeri. *Minor* constat: probatur *major* experientia, qua patet, eos qui habent minus perfectum intellectum, puta pueros, et mulieres, etiam facile a propria sententia dimoveri. — **Respondeo ad majorem**: quod licet adhæsio voluntatis sequatur illustrationem intellectus, et eo firmius voluntas objecto electo adhæreat, quo majus in eo bonum deprehendit; tamen inde non sequitur, quod ipsum non possit abjicere pro sua libertate. Ad *minorem* autem dico, inde quidem sequi, quod Angeli non tanta facilitate quanta homines propositum, et electionem mutare possint; non tamen sequitur, quod absolute non possint utrumque revocare, propter rationes a nobis expressas.

Conclusio tertia. — Voluntas Angelica est etiam libera libertate contradictionis, et quantum ad exercitium. Hæc pariter est Doctoris, et

Probatur: Nihil assignari potest quo necessario angelica voluntas determinetur ad persistendum semper sub actu: ergo revera potest ab actu cessare. Patet antecedens ex superiori Conclusione, si enim ab aliquo posset necessitari ad persistendum sub actu suo, maxime vel ex parte Dei, vel ex nativa sua dignitate, vel ex actu suo, vel ex parte intellectus illam necessario semper ad actum determinantis, vel ex aliquo alio principio: sed neutrum horum potest affirmari, ut supra probatum est: ergo, etc. — *Deinde,* ad libertatem quoad exercitium sufficit potestas suspendendi actum per puram privationem, seu negationem influxus; ita ut non sit necessarium velle non elicere actum, sed satis sit non velle elicere, seu non elicere ex certa scientia, et potestate, ac dominio supra suum actum, seu influxum: sed voluntas est domina absolute sui influxus: ergo non necessitatur quoad exercitium etiam ad totam collectionem actuum sibi possibilium. — *Denique,* sicut nullus actus voluntatis angelicæ in particulari est absolute necessarius, sed ad quemlibet eliciendum voluntas sese libere determinavit; ita pariter cessare potest a quolibet in particulari eliciendo, adeoque et ab omni actu cessare; quia eadem est ratio libertatis in tota actuum collectione, quæ in singulis actibus reperitur: ergo quemadmodum nullus actus particularis est necessarius Angelo ad bonum suum, ita etiam nec unus, vel alius, et sic de aliis disjunctim sumptis.

Dices: Si esset aliquis actus volendi in particulari, in quo nulla ratio mali inveniretur, nec in ejus carentia ratio boni apprehendi posset, non posset voluntas a tali actu cessare, sed esset in particulari necessarius quoad exercitium; hac enim ratione amor Dei in patria est necessarius quoad exercitium: sed in carentia omnis actus voluntatis nulla ratio boni cogitari potest, nec in actuali exercitio alicujus velle indefinite sumpti potest inveniri aliqua ratio mali, quia in tota latitudine actuum non possunt non esse multi convenientes; at vero melius est actu operari, quam ab operatione cessare; imo illud est de se bonum, et perfectum; non operari autem simpliciter est imperfectum: ergo non potest voluntas talem cessationem formaliter, aut virtualiter velle, ac proinde ad velle aliquid, saltem indefinite necessitatur. — **Nego minorem,** in carentia enim illa voluntaria omnis actus deprehenditur summa voluntatis libertas, quæ pro libito potest agere, vel non agere, sicque suprema fit domina suorum actuum, quos potest ad nutum ponere, vel non ponere, quod sane maximam arguit perfectionem, summumque bonum connotat, ut patebit amplius in Conclusione tertia sequentis Quæstionis.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUALITER ANGELUS DEUM, SEIPSUM, ET ALIA DILIGAT.

Notandum 1. Duplicem impræsentiarum distingui posse amorem: Naturalem videlicet, et Supernaturalem. Prior ita dicitur ad quem eliciendum sufficit ipsa naturalis facultas, prævio solo lumine intellectus eam illustrante, et ad objectum amabile determinante, ei aperiendo ac manifestando eas omnes perfectiones, quæ in tali objecto

relucent, quæque tot sunt amoris stimuli et incentiva : posterior dicitur ille, quem voluntas elicere nequit absque beneficio et auxilio gratiæ supernaturalis : de priori hic nobis est sermo, de posteriori vero discurremus in sequenti Disputatione.

Notandum 2. Ex nostro Alensi *q.* 30. dilectionem naturalem posse accipi multipliciter ; « aut enim, inquit, dicitur dilectio naturalis quid-« quid per se juvat naturam ut esset, vel juvat, ut permaneat, et hac « ratione diligitur tantum Deus dilectione naturali ab Angelo : nihil « enim aliud est necessarium ad esse Angeli, præter illud quod est « de esse ; non enim indiget unus alio ut sit, vel ut permaneat in « esse. *Secundo modo* potest dilectio naturalis respicere omne con-« veniens naturæ, sive consimile, vel conforme in natura : et hoc modo « est dilectio naturalis, non tantum Creatoris, vel Gubernatoris, sed « etiam alterius Angeli, qui est simul in natura angelica, vel etiam « hominis, qui est consimilis in natura intellectuali creata. *Tertio* « *modo* potest dici dilectio naturalis respectu illius boni, quod ordi-« natum est ad participandum completum dilectibile, quod est gloria; « et secundum hunc modum, charitas, sive gratia est pertectio natu-« ræ ; sic secundum hunc modum est diligibile ab Angelo non tan-« tum anima hominis, sed etiam corpus humanum, quod potest par-« ticipare dotes, unde anima in secunda stola perficietur, et Angelus « ex hoc quamdam consequitur dilectionem. *Quarto modo*, dilectio « naturalis dicitur respectu omnis boni, in quantum est bonum : et « sic extendit se ad omnem creaturam, et ad Creatorem.

Notandum 3. Ex Seraphico Doctore in 2. *d.* 3. *a.* 3. *q.* 2. « quod « major alicujus dilectio possit fieri tripliciter : aut ratione boni optati, « aut ratione effectus intensi, aut ratione effectus impensi. *Ratione* « *boni optati* dicitur quis aliquem magis diligere, quando ei majus « bonum optat, et sic dicitur diligere magis, quia ad majus. Hoc modo « naturali dilectione procedente ex judicio rationis rectæ magis dili-« gebat Angelus Angelum superiorem, volebat enim ipsum excellere, « et plus boni habere, sicut et Deus conditor voluit sic ordinare. *Ra-« tione affectus intensi* dicitur magis alterum diligere, quando affectio « ejus plus trahit alterum, et magis consolatur de ejus societate, et « sic dicitur aliquis magis illum diligere cum quo libentius cohabitat: « et sic Angelus magis diligebat per naturam Angelum ejusdem or-« dinis, quia sicut naturali affectu magis diligit quis concives suos, « maxime quando conformantur sibi in moribus ; et sicut magis di-« ligit homo eum, qui est ejusdem professionis, et officii, ubi invidia « non interponit partes suas : sic Angelus alterum Angelum ejusdem « ordinis magis dilectione naturali amplecti intelligendum est, cum « se viderit a Conditore in officii æqualitate, et naturæ similitudine « illi sociatum, nec esset tunc morum diversitas, nec invidiæ mali-« gnitas. *Ratione effectus, sive beneficii impensi* dicitur quis magis eum « diligere, cui plura bona impendit, et circa quem magis sollicitatur, « sicut Magister confovet magis filium tenellum, et sollicitior est « circa illum, quam circa adultum, et magis circa infirmum, quam « circa sanum, et hoc facit consideratione majoris indigentiæ; et hoc « modo dici potest, quod Angelus superioris ordinis magis diligit « Angelum inferioris, quia Angelus paris vel superioris ordinis non

« indiget, sive sua instructione, sive purgatione, sicut Angelus infe-
« rioris ordinis ».

His itaque prælibatis, determinandum est, 1. An sit in Angelis aliqua naturalis dilectio. 2. An hæc dilectione, dum erant viatores, Deum super omnia diligere potuerint. 3. Qualiter tam se, quam alios Angelos diligant.

Conclusio prima. — Revera est in Angelis naturalis dilectio, quatenus naturalis amor opponitur supernaturali; non vero quatenus opponitur libero. Hæc Conclusio duas habet partes, quarum prima est communis inter Theologos, et

Probatur : Quod rebus inferioribus absque ulla imperfectione tribuitur, Angelis non est denegandum : sed dilectio, et amor naturalis absque ulla imperfectione tribuitur formaliter hominibus : ergo etiam Angelis non videtur denegandus. *Deinde*, quælibet res naturaliter diligit se, et suam propriam perfectionem appetit, naturaliterque ad illam inclinatur : nullum enim est ens tam imperfectum, quod naturaliter propriam suam perfectionem non appetat : ergo multo magis Angeli naturaliter appetunt suam beatitudinem, ad quam tamquam ad ultimam perfectionem ordinantur : sed hic appetitus dicitur amor naturalis : ergo etc. *Denique*, dæmones habent naturalem sui dilectionem: ergo et Angeli. Antecedens patet, nam dæmones naturaliter fugiunt suam miseriam : ergo naturaliter diligunt se. Patet sequela ; nam ideo odio habeo aliquem, quia diligo me, vel alium ; ergo si dæmones naturaliter fugiunt miseriam, quam habent, etiam naturaliter diligunt se. Adde quod dæmones naturaliter appetunt suam felicitatem, et beatitudinem in communi : ergo naturaliter appetunt, et diligunt se. Antecedens patet, nam beatitudo in communi non potest odio haberi. Hæc autem angelica naturalis dilectio intelligenda est etiam quantum ad actum elicitum ; etenim in Angelis est amor sequens rationem, et formam apprehensam ; ergo in Angelis est actus elicitus amoris. Probatur antecedens : Angelus habet naturalem cognitionem sui : ergo et naturalem dilectionem sui.

Dices 1: Si in Angelis esset aliqua naturalis dilectio, deberet esse vel recta, et perfecta ; vel inordinata, et imperfecta : sed neutrum dici potest. Non primum : omnis enim recta, et perfecta dilectio, est charitas, adeoque quid supernaturale ; non etiam secundum, siquidem imperfecta dilectio, et inordinata, peccatum est: Angelus autem ut in statu naturæ puræ non peccat. — **Respondeo ad majorem**, quod cum amor naturalis nihil aliud sit, quam inclinatio indita ab Auctore naturæ, necessario dici debet recta ; alias summa Creatori fieret injuria, si quis eum pravam inclinationem indidisse assereret. Attamen cum duplex sit rectitudo, nempe rectitudo naturalis inclinationis, et supernaturalis virtutis ; hæcque sit perfectiva alterius ; inde dici potest, quod rectitudo naturalis non sit omnimode perfecta, quamdiu intra limites suos stat, siquidem perfectior evadit, dum charitati conjungitur : est tamen recta, et perfecta intra ordinem naturæ, quippe conformis est naturæ principiis, quibus res quælibet quæ sibi convenientia sunt appetunt. *Respondeo ad minorem*, illam dilectionem esse revera naturalem, tam prout naturalem sonat inclinationem, et propen-

sionem ad aliquid sui perfectivum, quam prout opponitur rei supernaturali: siquidem hac dilectione Angelus non solum voluntatis suæ perfectionem obtinet, potentiæ namque perficiuntur ab actibus; sed etiam in eam fertur ex propria sua nativa inclinatione qua res quælibet in id, quod sibi conveniens est, propendet. Nec refert, quod hanc propensionem habuerit sibi inditam ab Auctore naturæ, non minus enim per eam dicitur moveri ab intrinseco, nempe ab interno appetitu voluntatis. Similiter hæc tendentia dicitur libera, potest enim Angelus tam erga se, quam erga alia objecta amorem suum suspendere, ut probabitur in tertia Conclusione.

Dices 2: Si quæ esset in Angelis naturalis dilectio, esset media inter dilectionem gratuitam, quæ est charitas, et peccaminosam, quam libidinosam Alensis appellat: at hoc dici nequit, medium enim inter bonum et malum debet esse indifferens; dilectio autem naturalis non est indifferens bono et malo, sed revera est reponenda in genere boni: ergo etc. — **Respondet** ipsemet Alensis, quod etsi illa dilectio naturalis media sit inter gratuitam et vitiosam, non tamen est media inter bonum et malum simpliciter, sed tantum inter bonum quod dicitur supernaturale, et malum supernaturali bono oppositum: quamquam enim partim conveniat cum utroque extremo, cum dilectione quidem gratuita, quia diligit summum bonum; cum vitiosa autem, quia diligit illud propter seipsam, non autem propter ipsummet: nihilominus magis convenit cum dilectione gratuita, quam cum vitiosa, quia fertur circa summum bonum, nempe circa Deum, licet ita feratur propter bonum ipsius diligentis.

Probatur secunda pars, nempe quod dilectio angelica non sit naturalis, quatenus naturale opponitur libero: quod est enim naturale libero oppositum, est ex se necessario determinatum ad unum: sed angelica voluntas dici nequit ita esse determinata ad dilectionem: ergo nec habere dilectionem naturalem libertati oppositam. *Major* constat ex communi Philosophorum sententia, qui in hoc naturale a libero distinguunt, quod illud ex principiis suis intrinsecis ad unum determinetur, sic ignis ad comburendum, grave ad motum deorsum, et leve ad sursum. *Minor* probatur: si angelica voluntas ex se determinata esset necessario ad amandum aliquod objectum, maxime vel Deum, vel ipsummet Angelum: sed neutrum ita necessario diligit; quamquam enim forte necessario feratur ad seipsum diligendum quoad perfectionem, ita quod non possit seipsum odisse, nihilominus non ita determinatur quantum ad exercitium; siquidem ut in tertia Conclusione probabitur, potest cessare ab omni actu dilectionis erga seipsum. Idem dici potest de dilectione erga Deum, imo multo minus determinatur ad amorem Dei, quam ad amorem sui ipsius, non enim seipsum odio habere potest, potest vero odisse Deum, nam de dæmonibus ait Regius Psaltes: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Adde quod unus Angelus potest occupari in amore alterius amore amicitiæ, quem habet ad illum, necnon et concupiscentiæ ad bona, quæ ipsi dilecto Angelo exoptat, per illum autem actum dilectionis, Angelus amans nec sese, nec Deum diligit, quippe neutri bonum per se exoptat: ergo non necessario seipsum, et Deum semper diligit. Hæc veritas patebit evidentius in Conclusione tertia.

Conclusio secunda. — Angelus naturaliter Deum diligere potest plusquam se, et super omnia. Ita Doctor in 3. *dist.* 27. *num.* 13.

Probatque hanc Conclusionem *Primo:* Ratio naturalis ostendit naturæ intellectuali esse aliquid summe diligibile, quia in omnibus actibus, et objectis essentialiter subordinatis, est aliquid supremum, et ita aliqua dilectio suprema, et ita supremum objectum sic diligibile: sed ratio naturalis dictare debet, quod illud summe diligibile sit summum bonum, nempe Deus, alias sequeretur quod charitas inclinaret ad summe diligendum illud quod a ratione naturali dictaretur non esse summe diligendum, et sic charitas non esset virtus, quippe cum non esset conformis rectæ rationi: ergo ratio naturalis dictat Deum esse summe diligendum. Sed voluntas potest naturaliter diligere id omne objectum, quod per rationem naturalem proponitur summe diligibile, nihil enim potest intellectus recte dictare, in quod dictatum non possit voluntas naturaliter tendere; alioqui voluntas esset naturaliter mala; vel saltem non esset libera ad tendendum in quodlibet secundum illam rationem boni secundum quam sibi ostenditur ab intellectu. Quod maxime, inquit Doctor, arguitur de Angelis, quia in statu innocentiæ non fuerunt non recti, quippe tunc non potuerunt habere actum non rectum: potuerunt autem habere aliquem actum elicitum; et supponendum est, quod eum habuerunt, quodque ille actus fuerit rectus: non potuit autem actus ille esse rectus, si illo ipso dilexissent se Angeli super omnia, non autem Deum: ergo etc.

Deinde Amor naturalis Dei super omnia est possibilis, nec enim repugnat illius productio, aut ex terminis, nempe quod sit amor Dei super omnia, et quod sit naturalis, aut ex aliqua ratione a priori, vel a posteriori: sed omnem dilectionem possibilem naturaliter potest Angelus elicere, nisi aliquod adsit impedimentum ex parte voluntatis, quod certe nullum est: si enim esset aliquod impedimentum, quo voluntas non posset elicere talem amorem, maxime vel inclinatio, et propensio illius ad amanda alia objecta, vel amor actualis aliorum objectorum, neque enim aliud impedimentum ex parte voluntatis fingi potest: sed neutrum dici potest. Non quidem primum; eatenus enim illa inclinatio præpediret amorem Dei, quatenus necessario determinaret ad amorem actualem aliorum objectorum: sed ita non est, nulla siquidem propensio voluntatis censetur eam necessario determinare, quia non obstante qualibet inclinatione semper remanet libera. Non etiam secundum: quia amor actualis aliorum objectorum non necessario conservatur, et consequenter mutari potest, et revocari, ipsique succedere amor Dei: ergo nihil habet voluntas ex se quo removeri possit ad formandum amorem Dei naturaliter possibilem.

Denique, inquit Doctor, secundum philosophos vir fortis, quatenus est membrum Reipublicæ, sequendo dictamen rectæ rationis debet se morti exponere propter ipsam Rempublicam tuendam, et consequenter deberet amare magis Rempublicam, quam seipsum: sed eadem ratio multo magis dictat, quod quis debeat diligere Deum magis quam se, et sese exponere propter amorem ipsius Dei, plura namque debet vir fortis Deo, quam Reipublicæ; siquidem tantum Reipublicæ obstringitur propterea quod sit ejus pars, et membrum; Deo autem se totum

quantum ad productionem, et consuetudinem debet; ergo si debeat magis diligere Rempublicam, quam se, multo magis Deum. — *Confirmatur* 1. Quo magis aliquid est alterius, quam sibi, eo amplius debet eum, quam se diligere: sed creatura quæcumque, maxime Angelus, magis Dei est, quippe ab eo habet esse, operari, et bene esse, a se autem sine Deo nullum horum obtinet: ergo magis Deum, quam seipsam tenetur diligere. — *Confirmatur* 2. Quælibet creatura in se includit intrinsecum ordinem, et dependentiam ad Deum, ut ad causam efficientem, et conservantem non solum sui ipsius, sed et totius Universi: ergo naturali appetitu potius fertur in Deum, ut conservantem Universum, quam in seipsam. Probatur sequela: creatura quælibet habet se in ordine ad Deum, ut conservantem Universum, tamquam pars ipsius Universi: sed pars quælibet appetitu naturali potius appetit esse totius, cujus est pars, quam suum esse proprium: ergo quælibet creatura potius appetit subsistentiam, et essentiam Dei, quam sui ipsius; adeoque illa quæ est capax dilectionis magis Deum, quam se naturaliter diligit. *Minor* patet experientia, qua constat hominem manum, vel membrum alterum exponere pro conservatione totius corporis: expositio autem illa est motus naturalis, et non violentus: ergo conveniens illi secundum naturalem inclinationem ejus: sed ita se habent creaturæ respectu Dei conservantis totum Universum; unde si per impossibile Deus exponi posset periculo non essendi, creaturæ se exponerent tali periculo non essendi, ut conservaretur Deus, eo quod sunt partes totius Universi quod subsistere nequit, nisi Deo subsistente, et Universum conservante: ergo exinde sequitur quod creaturæ quælibet magis in Deum, quam in seipsas ferantur. — *Confirmatur denique:* charitas et gratia perficiunt naturam secundum rationem naturæ: sed charitas et gratia inclinant ad amandum Deum super omnia: ergo supponunt in homine et Angelis naturalem inclinationem ad diligendum Deum plusquam se. *Insuper*, præcepta juris naturalis fundantur in inclinatione naturali: ex ipsa enim natura, et dictamine rationis inclinamur ad observanda talia præcepta, puta præceptum de tuenda vita propria, quod fundatur in appetitu propriæ conservationis: sed præceptum de diligendo Deo super omnia est juris naturalis: ergo fundatur in propensione et inclinatione naturali, adeoque homo et Angelus naturaliter inclinantur ad Deum diligendum.

Dices 1: Si Angeli naturalem haberent propensionem ad diligendum Deum plusquam se, eamdem et nos haberemus propter paritatem rationis: sed consequens falsum edocet ipsamet experientia, qua summam difficultatem patimur in subeunda morte pro Dei gloria: ergo signum est naturam nos magis ad amorem nostri, quam ad amorem Dei inclinare. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, duplicem in homine et Angelo distingui posse inclinationem, unam quidem communem et generalem quatenus creaturæ sunt, aliam autem specialem et particularem quatenus sunt tales, et tales creaturæ secundum se, et absolute spectatæ, puta homo consideratus quatenus est animal rationale secundum quod præcise, et formaliter nullum dicit ordinem ad Deum, sed tantum inclinationem naturalem, et tendentiam ad propriam suam perfectionem. Priori modo magis propendet ad Deum, quam ad seipsum diligendum, cum enim creatura quælibet magis Deo

sit, quam sibi, quippe totum suum esse a Deo, ac per Deum habet, inde etiam ut sic magis in Deum, quam ad seipsam inclinatur, et hac ratione magis homo inclinaretur ad obeundam mortem pro Deo, quam ad vitam servandam. Quoniam autem Angelus, et homo secundum se spectati suam naturalem inclinationem, et perfectionem appetunt, inde inclinantur ad seipsos servandos magis, quam ad sui interitum. Hinc homo sentit difficultatem in obeunda morte propter Deum, quæ difficultas non provenit ex majori amore sui ipsius, quam Dei, sed ex eo quod naturaliter diligit propriam vitam, quam cum non posset servare una cum amore Dei, inde difficultatem in ejus amissione patitur. Sicut v. g. qui pro vita tuenda ingruente tempestate merces projicit in mare, difficultatem in hac projectione patitur; nihilominus magis æstimat propriam vitam, eamque plus diligit, quam merces deperditas. Idem dicendum de illo, qui propter totius corporis incolumitatem patitur sibi membrum aliquod putridum abscindi, licet enim hanc abscissionem ægre ferat, magis tamen totum corpus, quam istam partem censetur diligere. Ita contingit in proposito; dum enim quis in obeundo Martyrio naturalem repugnantiam patitur, hæc repugnantia non est indicium majoris amoris erga se, quam erga Deum, imo contrarium infertur, quia scilicet non obstante hac repugnantia, se libenter morti objicit.

Dices 2: Si Deum super omnia diligeremus naturaliter, sequeretur, quod nobis inesset nativa inclinatio ad bonum: sed consequens est contra illud Genesis 8. *Sensus hominis, et cognitio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua:* ergo etc. — **Nego majorem**, et ad textum Scripturæ respondeo, cum intelligi de appetitu naturæ per peccatum vitiatæ, non vero de appetitu naturæ integræ, cum enim appetitus ille a Deo auctore naturæ fuerit inditus, necessario debuit esse rectus, et ad bonum proclivis.

Dices 3: Homo naturaliter inclinatur in bonum proprium: ergo non in bonum ipsius Dei, maxime quando bonum Dei est oppositum bono proprio. Sequela patet, implicat enim inclinationem naturalem ferri in duo opposita, et consequenter si quis inclinatur ad suum esse naturaliter, aversabitur suum non esse, subindeque illud omne quod suum non esse consequitur. — **Distinguo sequelam**: magis inclinatur in bonum proprium, quam in bonum ipsius Dei, absolute et simpliciter, nego: secundum quid, concedo. Hoc est, quatenus creatura est habens existentiam ab ipso Deo mutuo acceptam, magis in Deum cui totam se debet, quam in seipsam dilectione, et inclinatione fertur; magis vero fertur erga seipsam secundum illam propensionem, quam habet res quælibet ad sui conservationem, ita quod revera vellet suam vitam servare, si non deesset occasio mortis pro Deo subeundæ, quæ tamen cum adsit, magis fertur in illam mortem obeundam secundum etiam inclinationem naturæ, quam in vitam servandam. — Ne autem hic fiat allucinatio, adverte Doctorem, et nos cum eo hic agere tantum de potentia physica, et inclinatione naturali naturæ institutæ, seu nullo vitio deturpatæ et debilitatæ, qualis erat natura angelica in statu viæ, ut ipsemet loquitur Doctor n. 15. ita scribens: *Concedo conclusionem, quod ex puris naturalibus potest quæcumque voluntas, saltem in statu naturæ institutæ, diligere Deum super omnia, videlicet*

quantum ad inclinationem, et potentiam physicam naturæ integræ. Etenim pro hoc statu naturæ per peccatum originale vitiatæ et infirmatæ, annuo libenter nos non posse absque speciali auxilio gratiæ elicere actum perfectum amoris Dei super omnia. Si enim auxilium supernaturale desideretur ad alios actus virtutum moralium, multo magis desideratur ad amorem Dei super omnia diligendi, maxime cum hujusmodi amor sit incompossibilis cum affectu peccandi, et includat voluntatem efficacem etiam subeundi martyrii pro tuenda Dei gloria, ejusque voluntate implenda, ut fusius patebit in tractatu *De Gratia.*

Conclusio tertia. — Angeli necessario diligunt se dilectione quoad specificationem necessitante: Non vero quoad exercitium. Hæc Conclusio duas habet partes: quarum

Probatur prima: Angeli non possunt se odio habere: ergo necessario se diligunt quoad specificationem. Probatur antecedens: unusquisque naturaliter suum esse appetit, suamque conservationem exoptat: ergo idipsum Angeli in votis habent, adeoque naturaliter se diligunt; appetitus enim ille nihil aliud est quam ipsa propensio naturalis, qua quodlibet ens sui conservationem exoptat, quæve in spiritualibus dilectio appellatur. *Deinde*, si Angeli possent erga se aliquod habere odium, maxime quia mutare possent judicium, quo practice judicant sui conservationem esse quoddam expetendum, et diligendum, judicarentque sui annihilationem esse exoptandam: sed ita fieri nequit, cum enim nihilum Angeli vel entis, nihil sit, nec proinde quidpiam bonitatis involvat, etiam nihil diligibilitatis in se complectitur. *Denique*, si quidam Angeli optarent, et amore elicito suum non esse diligerent, maxime dæmones: sed ita non est; nam etiamsi dæmones ex naturali amore sui, et appetitu beatitudinis in communi exoptent non esse in tali statu miseriæ, qua præmuntur: verisimilius tamen est, quod simpliciter non appetant sui non esse; siquidem appetitus ille non essendi, si quem habeant, provenit tantum ex urgente miseria, qua detinentur, adeoque magis in statum miseriæ quam in non esse est refundendus.

Probatur secunda pars contra quosdam Thomistas modernos: Libertas quoad exercitium integra persistit in nostra voluntate quolibet in naturæ statu circa quodlibet objectum: ergo multo magis stat integra illa libertas in Angelis. Antecedens admittit S. Thomas, *De Virtute* quæst. 22. art. 6. Consequentia per se patet; cum enim angelica libertas longe sit præstantior nostra, potiori jure dicendi sunt liberi quoad exercitium circa quodlibet objectum naturale ipsis propositum. *Deinde*, si voluntas angelica necessario esset determinata ad actum amoris sui, nullatenus peccare posset in amore sui: sed falsum consequens: ergo et id unde sequitur. Patet sequela, quia peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium: si autem necessario, et naturaliter Angeli determinentur ad actum amoris sui, nec possint alium elicere, actus ille non erit liber, adeoque nec peccaminosus. Probatur *minor:* ille actus non est liber qui non provenit a voluntate indifferente, nec habet ordinem ad eam ut libera est: sed si voluntas naturaliter determinetur ad amorem sui, actus ille non dicit ordinem ad voluntatem, ut est potentia libera: nam si aliquem ordinem dice-

ret, maxime quia postquam illum elicuit, voluntas posset ipsum non conservare: sed in sententia Thomistarum id dici nequit, quippe cum, inquiunt, voluntas nunquam potuerit cessare ab illa dilectione: ergo, etc. — *Denique*, ideo Angelus non est liber quoad specificationem, quia nulla ratio boni potest inveniri in objecto contrario dilectionis suæ, nempe in nihilo sui: sed in objecto contrario hujus dilectionis, nempe in non dilectione actuali, potest Angelus reperire aliquam rationem boni: ergo potest cessare ab actuali dilectione sui. *Major* patet ex priori parte. *Minor* probatur: potest Angelus judicare melius esse uti sua libertate quam habet in suos actus, quam semper habere actum dilectionis erga se; in hoc enim nulla ratio mali apparet: ergo quamquam Angelus cognitione speculativa apprehendat bonum esse quod se diligat, tamen judicio practico judicare potest bonum esse quod in eodem instanti actum amoris erga se non eliciat, nempe vel ut totum se transferat in Deum diligendum, vel ut alterum Angelum amore amicitiæ, vel concupiscentiæ prosequatur: ergo non se necessario diligit amore naturali quoad exercitium. *Confirmatur:* voluntas non necessitatur quoad exercitium ad illum actum in quo potest deprehendi ratio minoris boni: sed Angelus aliquam rationem minoris boni apprehendere potest in dilectione sui; potest enim illam dilectionem apprehendere non solum ut impeditivam exercitii libertatis suæ circa suspensionem suorum actuum, sed etiam ne toto conatu feratur in Deum, ut ultimum finem, neve alterum Angelum charitate præstantissima diligat: ergo in amore sui potest deprehendere rationem minoris boni; sicque poterit talem actum suspendere, et circa præstantiorem ferri.

Objicit 1. Gonetus: Angelus cognoscit et contemplatur seipsum necessario etiam quoad exercitium: ergo eadem necessitate seipsum diligit. Probatur consequentia; tum quia operatio voluntatis proportionatur operationi intellectus, per quam dirigitur et regulatur: tum etiam quia si Angelus necessario semper seipsum intelligit, vult necessario seipsum semper intelligere: hoc autem est seipsum amare, quia hoc est sibi velle maximum bonum: tum denique, quia ex naturali cognitione qua Angelus se, et omnes suas naturales perfectiones comprehendit, resultat necessario judicium practicum omnino immutabile quo se, et omnes illas perfectiones judicat necessario debere amari: ergo necessario cognoscit seipsum cognitione practica causante amorem, et non solum cognitione mere speculativa, quæ amorem non parit. Consequentia patet: antecedens probatur: quia judicium de aliquo objecto est tunc immutabile, quando nulla potest esse ratio formandi judicium oppositum: sed nulla potest esse ratio ob quam Angelus formet judicium oppositum judicio de seipso diligendo: ergo Angelus s', et omnes suas naturales perfectiones apprehendens, format judicium practicum omnino immutabile de seipso diligendo. *Major* patet. *Minor* probatur: amor proprius non generat in Angelo fastidium, sed delectationem; nec impedit sed juvat tamquam medium ad alias operationes, maxime vero ad dilectionem Dei: ergo nulla est ratio ob quam Angelus formare possit judicium contrarium judicio de seipso diligendo: siquidem ratio ob quam potest haberi judicium de suspensione amoris alicujus objecti, est quia amor ille aut tædium generat, aut est impe-

ditivus majoris boni. — **Respondeo 1.** negando *antecedens:* falsum namque est intellectum angelicum seipsum necessario quantum ad exercitium intelligere: siquidem tum ab objecto exterius movente, tum ab imperio propriæ suæ voluntatis diverti potest a sui ipsius intuitu, et cognitionem suam in aliud objectum divertere, ut priori Articulo dictum est. *Respondeo* 2. negando consequentiam, et ad primam ejus probationem dico, quod quamquam Angelus necessario seipsum intelligeret, exinde non sequitur quod seipsum necessario amaret; licet enim intellectus operationem voluntas sequatur, quia nempe non fertur in incognitum; non tamen eam ita necessario sequitur ut versari debeat per actum elicitum amoris circa quodlibet objectum sibi ab intellectu propositum; alioqui nusquam voluntas posset suspendere actum suum, nec ullatenus dici libera quoad exercitium. *Ad secundam* illius probationem, nego antecedens: etenim quamvis Angelus ex naturali cognitione qua se, et omnes suas naturales perfectiones comprehendit, judicet se esse amore dignum, non sequitur tamen inde quod formet judicium practicum omnino immutabile de dilectione sui: licet enim non possit formare judicium oppositum huic amori, nempe quod ipse Angelus esset odio habendus, tamen potest formare judicium suspensivum actus, non propter tædium quod generaret actus continuus amoris sui, sed propter rationem minoris boni, et impeditivi majoris: judicare namque posset Angelus quod ille assiduus sui ipsius amor esset impeditivus amoris Dei totis viribus totoque conatu amandi. Certum namque est quod Deus minus amaretur ab Angelo qui simul seipsum amaret, quam qui amore sui ipsius neglecto, toto divini amoris incendio æstuaret.

Objicies 2. Voluntas Angeli semper vult, sicut ejus intellectus semper intelligit: ergo sicut omnis cognitio Angeli in cognitionem sui, tamquam in primam operationem ab ipsa natura determinatam, et procedentem reducitur, ita et omnis ejus volitio naturalis in amore, et dilectione sui fundatur. Unde communiter dicitur: amicabilia quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amicabilibus ad seipsum: et consequenter amor naturalis quo Angelus seipsum diligit, necessario debet esse continuus, et nunquam interruptus, subindeque necessarius quoad exercitium. — **Distinguo antecedens:** voluntas Angeli semper vult idem objectum ad quod necessario, et naturaliter determinatur, nego: vult diversa objecta, vel si idem, illud tantum vult ex electione, et determinatione libera qua tantum, et tamdiu versatur, quantum, et quamdiu ipsi libuerit, concedo; et nego consequentiam. Adde insuper, probationem consequentiæ etiam videri falsam, non enim amor naturalis cujuscumque objecti necessario reduci debet ad amorem sui; siquidem, ut supra diximus, Angelus Deum amare potest naturaliter plusquam se, et super omnia; amor autem ille quo Angelus diligit Deum plusquam se, reduci nequit ad amorem sui, nec ab eo originem ducere: ergo ratio qua nititur consequentia non est universaliter vera.

ARTICULUS TERTIUS.

DE POTENTIA MOTRICE, ET EXECUTIVA ANGELORUM.

In Deo rerum omnium Opifice triplex operationis genus distinguunt Theologi; etenim præter Intellectum quo cuncta perspicit, præterque Voluntatem qua divino incendio flagrat; Omnipotentiam in eo deprehendunt qua cuncta molitur et exequitur. Totidem in Angelo præstantissima Divinitatis effigie, facultates describunt, intellectum videlicet cujus ope nedum Divinitatem ipsam intueri, et perspicere possunt; et voluntatem qua tum Deum, tum seipsos, et alia quæque diligibilia amore prosequuntur; sed et facultatem Executivam ab intellectu, et voluntate saltem formaliter distinctam, qua circa res creatas tum materiales, tum immateriales multa et mira præstare possunt. — Hanc autem facultatem eis inesse non solum experientia, qua constat Angelos et dæmones erga nos et in Universo plura ac stupenda operari; sed etiam ipsa ratio suadet. Sicut enim in ente supremo intellectuali, Deo scilicet, et infimo, nempe homine, præter intellectum et voluntatem, datur potentia executiva duabus illis subordinata, et ab utraque quodammodo pendens quoad operationem, ab intellectu quidem ut dirigente, a voluntate autem ut applicante: sic in Angelis, mediis inter Deum et hominem, talis potentia debet admitti. Quippe neque tantæ perfectionis est, ut Angelos excedat: siquidem convenit hominibus; neque etiam tantæ est imperfectionis, ut Angelos dedeceat, cum in Deo quoque reperiatur. — Hæc autem executiva facultas cum maxime circa corpora operari deprehendatur, idque vel in eis locum tenendo, vel sese in illis movendo, vel denique illa diversimode agitando, ut eorum omnium distinctam notitiam possimus assequi, præsentem Articulum tres in Sectiones distinguemus; quarum *Prima* aperiet qualiter Angeli in loco corporeo sistantur. *Secunda*, quomodo in eo sese moveant. *Tertia*, qua virtute corpora possint agitare, et producere.

SECTIO PRIMA.

DE LOCO ANGELORUM.

Angelos locum occupare non eadem concors fuit S. Patrum Sententia: quidam enim non solum in loco esse, sed etiam illo circumscribi eos asserunt, quemadmodum corpora: cujus quidem assertionis fuerunt illi omnes, qui Angelos corpore esse præditos putant, inter quos S. Basilius lib. *De Spiritu Sancto* c. 16. *Substantia*, inquit, *eorum est aëreus, si forte, spiritus, aut ignis expers materiæ, quemadmodum scriptum est; qui facit Angelos suos spiritus*, etc. *Ideo, et in loco sunt, et spectabiles fiunt, atque iis qui digni sunt, apparent in propriorum corporum forma.* Plurimi Angelos in loco esse omnino negasse videntur; sic S. Gregorius Nyssenus in libro primo contra Eunomium, ait: *Nemo adeo puerili est ingenio, qui in natura intelligente, et incorporea differentiam loci reperiri existimet; loci enim positio propria est corporum: quod autem natura est intelligens, et materia caret, longe ab omni ratione loci est, ut omnes confitentur.* — Non defuerunt

Scholastici qui Angelos aut esse ubique, aut nullibi asseruerunt. Durandus namque in 1. dist. 27. quæst. 1. censet Angelos neque per actionem, neque per substantiam in loco esse, sed quadam, ut ipse dicit, præsentia ordinis, per quam præsens adest Angelus cuilibet corpori quod movere potest, nec uni potius quam alteri: quemadmodum cœleste corpus, quia in inferiora omnia vim suam diffundit, præsens omnibus adesse dicitur; non quidem proxime, sed propinquorum interventu longinquioribus adest. Angelus vero intime proximeque adest iis corporibus, quæ movere potest; unde cum omnia corpora Angelum movere posse censeat, etiam illum esse ubique docet. Quæ sententia jam pridem a scholis eliminata, et ab omnibus jure contempta, hodie nullum defensorem obtinet. Operæ pretium est ergo hic determinare primo an, et per quid Angeli in loco sistantur. Secundo qualiter locum occupent: tertio, an plures eumdem locum, vel unus plurima loca valeat occupare.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET PER QUID ANGELI CONSTITUANTUR IN LOCO.

Notandum 1. Cum Seraphico Doctore in *primum dist.* 2. *quæst.* 2. quod locus habet triplicem comparationem ad locatum. Comparatur enim *primo*, in ratione continentis: *secundo*, in ratione mensurantis; *tertio*, in ratione conservantis. Continet enim ut vas; mensurat ut quantitas; conservat ut natura. Secundum hanc triplicem habitudinem sunt in loco substantiæ finitæ corporales, et corruptibiles: « Etenim quia finitæ et limitatæ, sunt in loco tamquam in continente: « quia vero sunt corporales, sunt in loco tamquam in mensurante: « tandem ut sunt corruptibiles, sunt in loco tamquam in conservante. « Secundum duas comparationes primas, quæ sunt *continere*, et *mensurare*, sunt in loco substantiæ quæ sunt finitæ, et corporales, sed in- « corruptibiles, puta Cœli inferiores: secundum primam vero, quæ est « *continere*, sunt in loco substantiæ finitæ spirituales et incorruptibiles « ut Angeli. Et hoc dico de loco corporali: nam Angelus locum habet « spiritualem conservantem, scilicet Dei virtutem: locum mensuran- « tem sive circumscribentem propriæ substantiæ, nempe virtutis limi- « tationem vel clausionem: locum vero continentem, non tantum spi- « ritualem, sed etiam corporalem habet ».

Notandum 2. Locum corporeum, in quo Angelus dicitur existere, generatim posse distingui duplicem: unum ipsi connaturalem, alterum violentum sive præter naturæ ipsius inclinationem. Locus Angelo connaturalis dicitur ille, cui se præsentem sistit juxta nutum suæ liberæ voluntatis; violentus autem in quo non se libere collocat, sed in eo per vim externam clauditur, et detinetur, qualis est. v. g. ignis æternus, et infernus, respectu dæmonum. De utroque loco hic inquirimus quænam sit ratio proxima per quam formaliter Angeli dicantur locum occupare. Circa cujus difficultatis resolutionem, triplex distinguitur Auctorum sententia: *Prima* est Angelici Doctoris ejusque discipulorum asserentium, rationem formalem immediate fundantem ubicationem Angeli in loco connaturali, esse operationem virtualiter transeuntem: in loco autem violento, esse passionem per quam contra

suam voluntatem in aliquo loco detinetur. *Secunda* assignat pro fundamento talis ubicationis et præsentiæ, modum aliquem unionis per liberam Angeli voluntatem productum, quo ante omnem operationem transeuntem loco corporeo unitur; ita Vasquez *disp.* 188. *Tertia* denique sententia docet rationem formalem qua Angelus immediate sit in loco, esse ipsam Angeli substantiam, qua realiter, et substantialiter fit præsens loco quem occupat. Ita Doctor Subtilis *in secundum dist. 2. quæst. 6.*

Notandum 3. Ex Doctore *loco mox laudato numero* 6. in creaturis ad veram determinationem loci, et locati sex desiderari conditiones: *Primo*, inquit, *esse in loco; Secundo esse in loco actuali: Tertio esse in loco determinato, et æquali: Quarto esse in loco commensurative: Quinto esse in loco determinative, hoc vel illo: Sexto esse in loco naturaliter vel violenter. Quatuor primæ conditiones*, inquit, *conveniunt corpori in quantum corpus est, quinta convenit ipsi ab agente, sexta convenit ipsi in quantum est corpus naturale.* Cæterum ex his sex conditionibus, tres tantum per se, et intrinsece videntur desiderari ad rationem loci, et locati formaliter instituendam, quæ non solum rebus corporeis, sed etiam substantiis spiritualibus convenire possunt: *Prima conditio* est quod sit realis, et actualis præsentia locati ad locum, sine qua nec corporeæ res, nec spirituales vere dici possunt alicubi existere. *Secunda conditio* ut res locata, quantum ad substantiam, et entitatem suam, terminetur ac finiatur spatio, et ambitu ipsius loci. *Tertia* denique ut hæc determinatio ad locum fiat per rationem formalem ubificationis. Ratio autem formalis, ut observat idem Doctor in 4. *dist.* 10. *quæst.* 3. *ad* 2. sumitur bifariam: *Primo*, proprie pro ratione formali proxima qua res talis dicitur formaliter; sic albedo est ratio formalis qua paries dicitur albus. *Secundo*, sumitur fundamentaliter pro ratione remota qua res taliter denominatur; sic albedo unius parietis est ratio formalis fundamentalis similitudinis, quam unus paries albus habet ad alterum. Quæ duæ rationes formales in ubificatione etiam reperiuntur; nam ratio formalis existendi in loco proprie dicta, et proxima, est respectus rei locatæ ad locum; fundamentalis vero, et remota, est illa in qua fundatur talis respectus: sic in corporibus, ratio formalis existendi in loco circumscriptive, est quantitas; in Angelis vero aut animabus, est substantia, ut infra probabimus.

Conclusio prima. — Angeli neque nullibi sunt: neque ubique: sed in aliquo certo et definito spatio. Hæc est communis quantum ad tres partes apud omnes Theologos: quarum

Prima aperte colligitur ex Scriptura sacra, quæ pluribi mentionem facit de loco Angelorum, ut constabit in probatione secundæ partis. Hinc inter articulos a Stephano Parisiensi damnatos iste tertius in capite 1. scribitur, *Quod Angelus vel anima separata nusquam est.*

Probatur item ratione: Si Angeli essent nullibi, maxime propter eorum spiritualitatem qua dicerentur omnino separabiles, et independentes a spatio vero vel imaginario: sed hæc ratio non officit quin vere dicantur esse in loco; quippe cum Deus ipse, quamvis summe spiritualis, sit revera ubique, non tantum per præsentiam, omnia cognoscendo; per potentiam, omnia in omnibus operando; sed etiam

per essentiam, quatenus implet omnia sua substantia, et entitate necessario in immensum usquequaque diffusa. *Deinde,* Angeli ab instanti suæ creationis, vel steterunt immobiles, vel motum localem habuerunt: si primum, ergo sunt per substantiam ubi creati fuerunt, nempe in cælo aliquo inferiori empyreo: si secundum, ergo locum mutando, spatium aliud, et locum verum aut imaginarium obtinuerunt, adeoque semper supponuntur in loco. *Denique,* Angeli non possunt non esse præsentes intime Deo, ex hypothesi quod existant: at si non essent in aliqua parte spatii veri aut imaginarii, non essent Deo intime præsentes. Tandem, non est minus improbabile, quod aliquid vere existat, et nusquam existat, quam quod vere existat, et tamen nunquam existat: ergo quemadmodum quidquid est aliquando est, etiam et alicubi debet esse. Hinc S. Greg. Nyssenus lib. 1. contra Eunomium: *Fieri non potest,* inquit, *ut quæ creatione producta sunt aut fiunt, non omnino in loco vel in tempore habeant ut existant. Sola nullius egens, et æterna, ac res omnes complexa natura, neque in loco est, neque in tempore.*

Probatur secunda pars, nempe quod *Angeli non sint ubique:* Primo quidem ex Scriptura quæ docet Angelos esse in uno loco, ut in alio non sint, sic Apocal. 12. *Locus eorum non est amplius inventus in Cælo:* ubi sermo est de malis Angelis e Cælo propter peccatum pulsis: docet item Angelos moveri localiter, et ita esse præsentes alicui parti Universi, ut si alteri adesse velint, necesse habeant deserere hunc locum, et ad illum accedere per motum localem: sic Zachariæ 2. *Ecce Angelus qui loquebatur me, egrediebatur in occursum ejus, dixit ad eum, curre, loquere ad puerum istum:* sic Job. 1. Sathan ait: *Circuivi terram, et perambulavi eam:* Tobiæ 5. Raphaël Angelus dixit: *Omnia itinera ejus frequenter ambulavi, etc.* Quæ omnia in sensu proprio, et litterali sumenda sunt; maxime cum nulla urgeat ratio ad tropos confugere; atque etiam id ipsum litteraliter S. Patres explicent. Nam S. Basilius lib. *De Spiritu sancto* cap. 6. aperte ait: *Cæterarum porro Virtutum singulæ certo circumscriptæ loco esse creduntur; etenim Angelus ille qui Cornelio adstitit, non erat eodem tempore apud Philippum: neque qui ex altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore propriam in Cælo stationem obibat. At spiritus semel, et in Habacuc operatus, et in Daniele apud Babylonem creditur.* Subscribit Theodoretus qu. 3. in *Genesim*, ubi solum Deum incircumscriptum esse pronuntiat: *Quæ autem ab initio aliquo cæperunt esse sunt circumscripta; Quare licet expertem corporum fateamur esse naturam Angelorum, circumscribi tamen asserimus illorum substantiam.* Consentit S. Damascenus lib. 2. *De Fide* cap. 3. ubi de Angelis ait: *Circumscripti sunt, quoniam cum in Cælo sunt, non sunt in terra; cum in terram a Deo mittuntur, non manent in Cælo.* Idipsum aperte docet S. Gregorius Papa lib. 2. Moralium; *In hoc,* inquit, *est nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos, et loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur; Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt: sed tamen eorum substantiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur.*

Tertia pars sequitur ex præcedentibus, eamque Seraphicus Doctor loco laudato duplici ratione confirmat: primam repetit ex ratione Spi-

ritus creati, et limitati. Cum enim, inquit, Spiritus increatus, qui Deus est, habeat in se simplicitatem, per quam est intra omnia, et immensitatem, per quam continet omnia, et est extra omnia; communicat illas conditiones creaturæ eatenus, quatenus nata est recipere: « Sed quia Spiritus non potuit recipere virtutem continentiæ, « eo quod ejus simplicitas sit finita, ideo est in loco; et quia non « habet partem, et partem, ideo secundum se totum est simul hic, et « nunc: unde non potest habere capacitatem ad continendum: cum « autem corpus sit compositum, et habeat plures partes, non potuit « participare simplicitatem divinam, sed propter partium extensionem, « potuit participare ac recipere capacitatem ad continendum: idcirco « Deus fecit unum nobilissimum corpus quod posset omnia ambire, « et extra quod omnino nihil esset, puta empyreum, in quo Angelum « reposuit ». Aliam rationem deducit ex eo quod in solo corpore sit distinctio secundum hic, et ibi; « quia enim, inquit, cæteræ creaturæ « ordinem habent in mundo, distinctionem, et positionem habent se- « cundum gradus perfectionum: et ita una est hic, et alia ibi, una « sursum, et alia deorsum: et quia in solo corpore est potentialis di- « stinctio secundum hic, et ibi, ideo inter creaturas soli corpori debet « dari universalis potentia locandi respectu visibilium, et invisibilium, « ut sic Universum esset unum in omnibus suis partibus ordinatum. Et « sic patet ratio duplex quare data est corpori potentia locandi Spi- « ritum, et Spiritum contineri a corpore. Hoc enim exigebat ordo Uni- « versi, tum propter limitationem Spiritus creati, tum quia in solo « corpore distinctio est secundum hic, et ibi. »

Objicies 1. Plures ex SS. Patribus, qui Angelos loco definiri pernegant; nam præter Gregorium Nyssenum in præsentis Sectionis præludio laudatum, idipsum edocet Didymus in lib. 1. *De Spiritu sancto*, ubi creaturas spirituales negat circumscribi loco, et finibus, et lib. 2. ait: *Loca, et commutationes locorum ab incorporalibus separanus:* idem edocet S. Basilius homil. 30 *De Paradiso*, ubi ait: *Locum esse præcipue corporis: animam vero ex consequenti, ac velut accessionis instar esse in loco propter habitudinem ad corpus, cum ex naturæ suæ proprietate loco minime circumscribatur:* ergo multo minus Angeli debent loco circumscribi, cum nullum ad corpus ordinem dicant. *Quod enim magnitudinis molis, et partium est corpus* (inquit Nemesius lib. *De natura hominis* c. 3. ubi docet animam minime circumscribi, eo quod sit Spiritus) *nulla loci parte circumscribi potest; cum mole enim locus existit, quippe locus est terminus corporis ambientis, quo id quod continetur, amplectitur.* Unde Boëtius de Hebdomadibus, ait: *Communis animi conceptio, quæ omnibus videtur, est incorporeum non esse in loco.* Ergo cum Angelus sit omnino incorporeus, nulla ratione dicendus est esse in loco. — **Respondet** Doctor, supra laudato n. 17. præfatas, et alias similes sanctorum Patrum sententias sic esse intelligendas, ut velint substantias spirituales non esse in loco circumscriptive, et commensurative, quemadmodum corpora quorum singulæ partes singulis loci partibus correspondent, ut explicat S. Damascenus loco supra laudato: *Cum autem Angeli intelligentiæ sint,* inquit, *etiam intelligibiliter in locis sunt, non corporum more circumscripti. Non enim ut corpora secundum naturam figurantur, neque triplici dimensione con-*

stant, sed eo ipso sunt in loco, quod intelligibiliter præsentes sint etc. Ideoque illi SS. Patres negant Angelos circumscribi loco, quia partibus carent quas metitur locus, qui rem collocatam ita complectitur, ut pars parti respondeat. Quod Augustinus in Epistola 28. ad Hieronymum declarat sic: *Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima: Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest: nec minor in minoribus, et in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et in singulis tota est.*

Objicies 2. Locus, secundum Philosophum, est *Ultima superficies corporis continentis immobilis prima:* sed nullum corpus continet Angelum, quia continens debet esse actualius contento: corpus autem non est actualius Angelo: ergo Angelus non est in corpore tamquam in loco. — **Respondet** *Doctor* ibidem negando *minorem*, et ejus probationem distinguit: continens per modum causæ debet esse actualius contento, concedit: continens per modum loci, ita ut locatum reperiatur totaliter intra locum, negat. Si autem quæratur qualiter Angelus indivisibilis possit contineri intra superficiem aliquam corporis: respondetur non in alio sensu, nisi quatenus est præsens isti superficiei; non quod illa sit ultima superficies ipsius, quia Angelus non potest esse in loco cum extensione partium, sed ita ut penetrative sit intra partem illius corporis cui præsens est. — Ex his merito infert Doctor, quod Angelus non est necessario in loco; si enim corpus non necessario in loco existat, quippe cum produci possit extra mundum, et poni in vacuo, multo minus Angelus pendebit a loco corporeo: potest enim produci independenter a productione cujuslibet creaturæ corporeæ, et sic tunc nihil esset, in quo diceretur locari, adeoque non habet ex natura sua necessitatem ut alicui loco inexistat. Habet tamen potentiam, ut loco insit saltem definitive, sive interim illa potentia tundetur in ipso quatenus substantia est, sive quatenus natura limitata actualiter est, sive ratione alicujus extrinseci; *Et ideo*, inquit Doctor, *non oportet quærere aliquam intrinsecam rationem essendi in loco, quia ibi nulla est, sed tantum est in ipso potentialitas passiva, qua potest esse in loco, quia non repugnat sibi.*

Conclusio secunda. — Ratio formalis fundamentalis qua Angelus constituitur in loco, non ab ejus operatione, sed ab illius substantia petenda est. Hæc est Doctoris in 2. dist. 2. qu. 6. n. 1. ✳ "ubi cum proposuisset opinionem S. Thomæ dicentis in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. et 1. parte quæst. 52. art. 1., Angelum formaliter constitui in loco per operationem et applicationem virtutis quæ effectum aliquem in loco producit, ait: *Istud videtur esse damnatum sicut* " ✳ *quidam articulus damnatus ab Episcopo Parisiensi (nempe Stephano) et excommunicatus. Quod si dicatur, quod Excommunicatio non transeat mare, vel Diœcesim; si tamen fuit articulus condemnatus sicut articulus hæreticus, ubique est condemnatus sicut hæreticus; non auctoritate Diœcesani tantum, sed etiam auctoritate Papæ, Extra. de Hæres.*

c. Ad abolendam; *vel saltem sententia est suspecta, quando in aliqua Universitate solemniter est damnata.* — ✳ " Primus autem ex illis articulis quos damnavit Stephanus Parisiensis Episcopus, erat quod *substantiæ separatæ a materia sint alicubi per suam operationem tantum, et quod non possunt moveri ab uno loco extrinseco ad alium.* Quæ cum sit propositio copulata ex duabus, dubium relinquit an damnatio cadat super copulam ambarum, aut super singulas per se sumptas ac separatas. Et propterea fortasse Scotus usus est verbo *videtur*, quia ferri poterat censura super utramque connexam, et non super unam, vel alteram avulsam. — Hunc etiam articulum damnatum fuisse testantur Richardus a Mediavilla in 2. dist. 37. art. 2. quæst. 1.; et Gabriel in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2.; et Henricus, qui unus fuit ex damnantibus, refert illam censuram. Ut inde appareat perperam nonnullos Thomistas succensere Subtili Doctori quasi vel illam damnationem gratis confinxisset, vel eam uti vitreum clypeum adversariis objiceret, eaque quasi omnium validissimo argumento ad suam adstruendam et stabiliendam sententiam uteretur: quod quam ludicre confictum sit, rationibus Doctoris probanda est Conclusio.

Primo vero fulcienda est " ✳ illis omnibus Scripturæ Sacræ textibus, quibus Angeli dicuntur prius accessisse ad loca, quam in eis quidpiam fuerint operati; sic Luc. 2. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam, et ingressus dixit etc.* Prius ergo ingreditur, et fit præsens, quam loquatur. Matth. 4. *Accesserunt Angeli, et ministrabant ei*, nempe Christo Domino post expugnatum dæmonem tentatorem: fuerunt ergo prius Christo præsentes, quam quidquam erga ipsum fuerint operati; subindeque illorum præsentia ex operatione præcise non est colligenda.

Reponunt Thomistæ, Angelos esse quidem prius præsentes, quam operentur, sed præsentia inadæquata, et inchoativa, quam habet Angelus quando incipit se ordinare ad aliquem locum, ut ibi operetur: quam Cajetanus *præsentiam ordinis* appellat, docetque tres conditiones ad eam requiri, nempe judicium practicum de operatione nunc, vel tali tempore ab Angelo facienda; secundo electionem talis operationis, et expeditionem potentiæ executivæ, quibus suppositis, docet Angelum fieri præsentem loco inchoative, et incomplete priusquam in illo operetur; complete vero, et adæquate per operationem. — Contra, ad veram, et adæquatam rationem præsentiæ angelicæ solum requiritur, quod revera Angelus totus sit hic et non alibi, quid enim aliud rei præsentia sonat? At eo ipso quo Angelus est alicubi, verum est dicere, quod revera ibi sit, non vero alibi, etiamsi nihil ibi operaretur: ergo ejus præsentia ibidem est adæquata. *Deinde*, in illo instanti, quo Angelus se ordinat ad operationem, potest ab ea removeri, vel per divinum imperium, quo alibi evocabitur, aut ab operatione exercenda prohibebitur, quemadmodum prohibiti sunt illi Angeli, quibus in Apocalypsi dictum est: *Nolite nocere terræ, et mari etc.* Vel per denegationem divini concursus: at eo in casu, revera Angeli fuissent loco præsentes, nec tamen in eo operantes: ergo etc. *Denique*, si Angelus esset adæquate in loco tantum per operationem, sequeretur, quod nusquam dici posset operari in loco; quia operari in loco supponit locum, et rem in loco constitutam: sed Angelus, ut operans, non supponit seipsum ut constitutum in loco, quandoquidem

per suam operationem deberet constitui in loco: ergo numquam diceretur operari in loco: quod consequens cum nullus admittat, nec pariter admitti debet id unde infertur.

Probat conclusionem Doctor 1. Prius est esse, quam operari: ergo prius est esse in loco, quam operari in loco: sed posterius non est causa prioris: ergo operari in loco non est causa cur Angelus sit in loco. *Confirmatur:* sicut se habet esse simpliciter ad operari simpliciter, ita se habet esse hic ad operari hic. Ergo quemadmodum operari simpliciter suppouit esse simpliciter; ita operari hic necessario supponit esse hic: adeoque prius Angelus debet esse hic quam operetur hic.

Verum Thomistæ negant antecedens: siquidem, inquiunt, nihil prohibet aliquid esse prius simpliciter quod non est prius secundum aliquid, sicut subjectum est prius simpliciter superficie, sed non quatenus est coloratum: tria namque, ait Cajetanus, sunt in re locata, in corpore enim v. g. est substantia quæ locatur, quantitas quæ est ratio locandi, et relatio præsentiæ, quæ sequitur ad illa duo tamquam ad proprium fundamentum. In Angelo similiter est substantia quæ est præsens ut *quod*, contactus virtutis, qui est præsens ut *quo*, et ipsa relatio præsentiæ consurgens ex illis duobus. Quæ tria possunt diversimode considerari, et juxta diversas considerationes habere rationem prioris, et posterioris: nam si considerentur ut sunt entitates quædam existentes in rerum natura, sic prior est in Angelo substantia, quam operatio, et operatio quam relatio: sicut etiam in corpore prior est substantia quam quantitas, et relatio: si vero considerentur non absolute, ut sunt entitates, sed ut rationes essendi in loco, sic quemadmodum in rebus corporeis prior est substantia quam quantitas, et deinde sequitur ipsa relatio, ita in rebus spiritualibus prior est ipsa operatio quam substantia Angeli, ad quæ tamquam ad subjectum, et rationes fundandi resultat relatio præsentiæ. — **Contra** 1. Exemplum de subjecto non est ad propositum, constat enim quod ratio extensi colorati illud subjectum constituat in ratione superficiei, siquidem superficies est extensio corporis secundum longitudinem, et latitudinem: at non ita constat quod operatio sit ratio constitutiva Angeli in loco; imo contrarium evincitur; prius enim, ut jam diximus, agens locatum esse debet, quam agere, quod in agentibus corporeis est evidentissimum, prius namque locantur, quam agant. *Secundo*, falso supponunt quod quantitas sit ratio locandi corpora, etenim quantitas panis, et vini in Eucharistiæ Sacramento eadem permanet post consecrationem, nec tamen est ratio cur panis dicatur existere in loco; siquidem amplius non existit: adeoque quantitas præcise non est ratio cur corpus sit in loco, cum hæc possit subsistere illo destructo. *Insuper*, adorandum Christi Domini Corpus in Eucharistia non habet quantitatem, qua illius partes extendantur ad locum, et ab eo circumscribantur, nec minus tamen revera est in loco definitivo; adeoque quantitas secundum se non est ratio cur corpora sint in loco, sed solum in quantum corpora afficit, et eis inexistit. *Tertio* denique, non vere reponunt, quod applicatio vel contactus virtutis ad locum sit ratio qua Angelus sit in loco; illa enim applicatio vel est actus primus Angeli, vel secundus. Si primum, cum actus primus Angeli sit

ipsamet ejus substantia, vel facultas substantialis; consequens est, quod Angelus sit præsens loco ratione suæ substantiæ. Si secundum, vel ille actus est transiens, vel immanens. Non immanens ut fatentur etiam Adversarii, quippe actus immanens nullum habet respectum ad extra, subindeque non potest esse ratio qua Angeli dicantur præsentes in loco. Non etiam transiens, si enim operatio transiens esset ratio formalis constitutiva Angeli in loco, qualis est illa transiens operatio; ergo cum illa operatio extrinseca Angeli sit circumscriptive, et mensurative in loco (siquidem commensuratur corpori circa quod agit, et in quo recipitur; corpus autem circumscribitur loco) pariter illa operatio loco debet circumscribi: idcirco enim operatio hominis v. g. quatenus rem operatam importat, circumscribitur loco, quia recipitur in subjecto, quod loco circumscribitur: sed Angeli præsentia non est in loco circumscriptive, ut constabit Quæstione sequenti: ergo, etc. Adde quod si virtus ipsamet substantialis Angeli non est ipsi ratio existendi in loco: ergo neque applicatio ejusdem virtutis; nam si quantitas corporis non esset ratio existendi in loco circumscriptive, nec ejus applicatio talem præsentiam efficeret. *Insuper,* sicut applicatio virtutis calefactivæ ad calefaciendum lignum, non est ratio calefaciendi, sed tantum conditio sine qua non; ita a simili applicatio virtutis angelicæ ad locum non est ratio existendi in loco, sed conditio sine qua non cognosceremus Angelum esse præsentem huic loco potius, quam alteri; angelica namque præsentia solum per operationem nobis innotescit, quamquam prius supponatur in loco, quam ibidem operetur.

Probat 2. Doctor: si Angelus præcise esset in loco per operationem, sequeretur quod plerumque nusquam esset; ✳ "siquidem plerumque accidit ut nihil operentur in locis in quibus cogitari possunt existere. Primo namque nullum opus efficiunt in cælo empyreo: in aliis autem orbibus cælestibus aliquæ dumtaxat Intelligentiæ ipsis regendis et movendis occupantur, cæteræ vero suam virtutem in eis non exerunt. In sphæra ignis nihil quidquam moliuntur, neque enim pabulo aut fomite, aut aura incitante, ignis in centro suo eget. In aëre interdum quidem dæmones grandines, tonitrua, et fulmina tamquam Dei vindicis lictores et ministri excitant et torquent; at boni Angeli ab his feriantur et quiescunt. Nihil etiam hi impendunt operis in maris æstu et motu, neque enim tempestatum auctores reputantur boni Angeli, tametsi dæmones eas interdum concitent. In terra tandem nec in arboribus, floribus aut animantibus quidquam operis cogitari potest quod Angelorum virtuti dignum sit adscribi; nam absque eorum opera fluvii sua limpiditate et natura decurrunt in præceps, prata germinant, arbores ornantur floribus et fructibus, animalia vivunt suosque motus pro nutu et impetu agunt, et universa natura juxta leges a divino suo Opifice præscriptas absque peculiari Angelorum regimine suos in fines tendit. Occupantur equidem in inferis ad reprobos torquendos et cruciandos etiam cruciatibus et tormentis addicti dæmones; verum dæmones sunt, non vero sanctissimi Angeli de quibus potissimum nobis est sermo. Igitur his non aliud erga creaturas assignandum videtur ministerium quam circa hominum custodiam et animarum in Purgatorio gementium liberationem et solatium. At pauci sunt ex tam

ingenti eorum multitudine qui istis ministeriis detineantur. Ex his itaque omnibus colligere licet quod si Angelorum in loco existentia, ex eorum circa locum operatione colligenda esset, eorum pauci censerentur in loco consistere. " ✳

Respondet Gonetus ex Cajetano, primo quidem Angelos habere aliquam operationem circa Cælum empyreum, quamvis ejusmodi operatio nobis non innotescat. — **Verum hæc solutio** omnino gratis profertur, nec ullatenus est admittenda; tum quia si talis operatio angelica nobis non innotescat, asseritur absque fundamento, et gratis fingitur: tum quia sic facile esset argumenta quæcumque dissolvere: quis enim difficultatem quamlibet non posset eludere respondendo rem quidem ita esse, ut asseritur, sed illius rationem, et causam nos latere?

Respondet 2. Angelos producere aliquod lumen quo magis perficitur innatus splendor Cæli empyrei: licet enim, inquit, non possit Angelus immediate qualitates alterativas producere, v. g. calorem, et frigus, sed solum applicando activa passivis; bene tamen lucem, nam lux est suprema omnium qualitatum corporearum; natura autem inferior in sui supremo attingitur a natura superiori, quia, ut ait. S. Dionysius *De divinis nominibus: Sapientia divina conjungit fines primorum principiis secundorum*. Ex hac autem luce corpus illud cæleste maxime decoratur et ornatur, sic enim de Beatis dicitur Apoc. 21. *Afferent gloriam suam, et honorem in illam*, scilicet Civitatem cælestem; multo magis Angeli luce sua speciali gloriosissimam efficient civitatem illam. — **Contra**, gratis et absque ulla ratione fingitur Angelos Cælum empyreum novo lumine exornare, illud enim lumen, vel ab ipsis Angelis promanaret, quemadmodum emanabit a corporibus beatis, ut asseritur per laudatum contextum Apocalypsis, vel ab eis producetur: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, cum enim Angeli pure sint spirituales substantiæ, lumen corporeum, quo Cælum illustretur, ex se profundere nequeunt. Non etiam secundum, vel enim illam lucem producerent per creationem, vel per generationem. Non per creationem, siquidem creatio soli Deo propria est, ut cum Doctore Subtili probavimus in Physicis. Adde quod, si Angeli possent producere lumen per creationem, eo quod supremum infimi produci possit ab aliquo superioris ordinis; si, inquam, hac ratione posset Angelus creare lumen, multo magis posset creare animam rationalem, hæc enim licet illis sit inferior, maxime tamen eis est cognata: consequens autem admittit nemo; ergo nec antecedens debet admittere. Non etiam producere possunt Angeli lumen per generationem; generatio namque fit per corruptionem formæ prius in materia existentis, in Cælo autem empyreo nihil est, quod corrumpi possit, adeoque nihil unde generatio possit fieri. *Denique*, substantia perfectissima, quale est Cælum empyreum, debuit a suo Conditore in suæ formationis initio cum tota perfectione sibi debita procedere, subindeque lumen sibi conveniens ex vi suæ creationis obtinuit. Nec valet reponere, substantiam perfectissimam alteri subordinatam ab illa posse compleri, quemadmodum Angeli inferiores, quamvis perfecti, indigent tamen illuminari a Superioribus. Hæc, inquam, responsio non est ad propositum, discrimen namque longe est inter Cælum empyreum, et Angelos, cum

enim Angeli sint intellectualiter operativi, novam in dies suscipere possunt perfectionem et illustrationem, quod utique de Cælo empyreo prorsus immobili, et inalterabili dici nequit; cum enim nullam possit exercere actionem nec potest etiam ullam perfectionem acquirere, adeoque omnem sibi debitam perfectionem habere debuit ex vi suæ perfectionis.

Probat 3. Doctor: Si Angelus necessario deberet operari ubi est, sequeretur quod Angelus movens Cælum, esset immediate in toto Cælo; totum enim Cælum est proportionatum virtuti Angeli; sed falsum consequens; Angelus enim summe diffusam haberet præsentiam, et per universum Cælum protensam, quod Adversarii non admittunt. — Nec dicas quod Angelus sit tantum in illa Cæli parte, in quam immediate operatur, quamque movet, et illa mediante reliquas. Non enim Angelus, inquit Doctor, ex se habet magis movere unam partem immediate, quam reliquas, nisi quatenus magis applicatur uni parti, quam reliquis; si autem prius applicetur uni parti, quam immediate movet, consequens est, quod prius sit in loco cum illa parte, quam operetur in illa parte, et sic non habebit præcise ab operatione, quod sit in loco. Alias similes habet probationes Doctor, quas omnes sicut et præcedentes hac ratione perstringo:

Probatur 4. Angelus potest esse in loco corporeo absque ulla operatione, aut applicatione virtutis suæ, quæ sit operatio proprie, vel improprie dicta, et absque eo quod patiatur in loco, aut illum exornet; ergo non habet ab operatione tamquam a ratione fundamentali, quod sit in loco. Probatur antecedens: corpus potest esse in loco absque ulla applicatione virtutis, aut operatione proprie, vel improprie: ergo multo magis Angelus. Antecedens admittunt Adversarii; probatur consequentia: idcirco potest corpus poni in loco absque ulla operatione, vel quia potest in ipso habere *ubi* intrinsecum, per quod formaliter dicitur esse in loco, nempe relationem locati ad locum; vel quia per actionem causæ extrinsecæ loco motivæ poneretur in loco; sed tam Angelus est capax ubi, ac formæ intrinsecæ, per quam poneretur formaliter in loco absque operatione ulla, et est etiam tam capax poni in loco per actionem causæ loco motivæ ipsius quam corpus: ergo sicut corpus potest poni in loco absque operatione ulla propria, aut impropria, poterit et Angelus. Probatur *minor:* primo nulla proferri potest, nec assignari ratio cur Angeli substantia sua quantitate virtutis non ita sit capax loci definitivi absque operationibus, quam substantia materialis corporis beneficio suæ quantitatis molis est capax loci circumscriptivi: ergo, etc. *Secundo*, Deus non magis ab aliquo dependet ut aliquem Angelum in loco constituat independenter ab operatione, quam ut in eum corpus aliquod deportet, et collocet: sed hoc potest: ergo et illud. *Tertio*, dum Angelus alicubi locatur, et operatur, Deus potest ejus operationem suspendere, vel ei prohibendo ne quid ultra faciat in isto loco, vel ei suum concursum denegando: sed per illam suspensionem actionis non minus Angelus remanet præsens in illo loco, eumque ibidem alius Angelus æque videret, ac videbat dum operaretur: ergo independenter ab operatione revera tam est capax loci occupandi, ac corpus.

Objiciunt 1. Thomistæ: substantia corporea ex ratione sua formali

non potest proxime, et immediate tribuere corporibus esse in loco: ergo nec substantia spiritualis potest esse ratio formalis proxime fundans ubicationem in rebus corporeis et immaterialibus. Consequentia patet: si enim substantia corporea non possit ex se, et præscindendo a quantitate, esse ratio formalis proxime fundans ubicationem corporibus, sed hoc solum habeat ratione quantitatis, multo minus substantia spiritualis habebit ex se, quod sit ipsi Angelo ratio formalis essendi in loco. Antecedens vero probatur: illud solum est in corpore ratio formalis immediate illi tribuens esse in loco, quod est ipsi ratio formalis proxima et immediata tangendi locum: atqui substantia corporea nequit ex se esse ratio formalis proxima et immediata tangendi locum; substantia siquidem corporea non tangit locum immediate ratione sui, sed tantum ratione quantitatis inter ipsam, et locum mediantis: ergo, etc. Probatur *major* a simili, nam aliquis vestitus, quamvis habeat vestem, nullo modo dicitur vestitus, nisi vestem tangat: ergo neque substantia poterit esse in loco nisi locum tangat, vel contactu physico per quantitatem, ut corporeæ substantiæ; vel metaphorico per virtutem, ut omnes spiritus. — **Respondeo 1.** *negando consequentiam:* quamquam enim contactus realis, et physicus esset necessarius, ut corpora dicantur esse formaliter in loco, non inde sequitur, quod pari jure desideretur contactus virtutis, ut substantia spiritualis loco formaliter præsens dicatur: ideo namque contactus physicus dicitur desiderari in corporibus, quia nempe sunt in loco divisibiliter, et per commensurationem; ita quod eorum partes loci partibus correspondeant, et commensurentur, ad quod, ut apparet, necessario requiritur contactus, et applicatio partium corporis ad partes loci: secus autem est de substantia spirituali, quæ cum definitive, et modo prorsus invisibili sit in loco, non est necessum, ut aliquem contactum habeat, aut certe non alium, quam suæ substantiæ realem præsentiam: quemadmodum enim corpus per quantitatem locum tangere dicitur, et hac ratione fit ei præsens; ita Angelus per suam substantiam fit realiter præsens loco, quod sufficit ut ipsum tangere dicatur. *Respondeo* 2. negari posse antecedens, necnon et *majorem* illius probationis: *Tum quia,* ut jam diximus, adorandum Christi Domini Corpus in Eucharistia spoliatum sua quantitate saltem externa, et qua locum realiter tangere posset, revera est præsens in altari, et sub speciebus eucharisticis, præsentia definitiva; adeoque quantitas illa, qua locus tangitur, non est ratio formalis cur corpora præcise sint in loco. *Tum quia* species eucharisticæ panis et vini eædem post ac ante consecrationem permanent: sed peracta consecratione illorum quantitas non est ratio formalis, cur substantia panis et vini dicatur esse in loco, siquidem illa substantia desiit esse, nec amplius subsistit: ergo quantitas non est ratio formalis fundans ubicationem corporum in loco, quippe cum corpora saltem divinitus possint esse formaliter in loco sine quantitate, et quantitas ipsa remanere possit in eodem loco absque eo quod corpora formaliter in loco constituat.

Objiciunt 2. Quod est proxima ratio fundandi ubicationem angelicam importat determinationem, aut limitationem in ordine ad locum, cum per illud ita sit hic, ut non sit alibi: sed substantia Angeli secundum se, et remota operatione, non importat talem determinationem;

ordo enim ad locum non est essentialis, sed accidentalis Angelo: ergo remota omni operatione, substantia Angeli non est ratio formalis immediate fundans ubicationem Angeli. — **Nego minorem**: illa namque determinatio, aut limitatio in ordine ad locum, vel intelligitur causaliter, et denotat causam extrinsecam, aut intrinsecam, per quam Angelus determinatur ad hunc locum occupandum, potiusquam ad alterum; vel fundamentaliter, aut formaliter, quatenus nempe existens hic habet rationem fundandi relationem ad hunc locum, potiusquam ad alterum: sed hæc habere potest independenter ab ulla operatione extrinseca; siquidem vel per divinam, vel per suam voluntatem determinari potest ad subeundum hunc, aut illum locum: cui ubi præsens sit, ejus substantia est ratio sufficiens fundandi relationem præsentiæ, et ubicationis ad locum; ad id namque nihil aliud requiritur, quam quod dici possit Angelum esse revera hic præsentem, et non alibi, adeoque habere respectum præsentiæ ad hunc, et non ad alterum locum, quæ omnia fieri possunt seclusa qualibet operatione: ergo quovis modo illam determinationem usurpent Thomistæ, fit independenter ab operatione.

INSTANT: Substantia Angeli secundum se est indifferens ad omnem omnino locum in particulari: ergo ut sit in loco certo, aut determinato, necessario requirit aliquid, per quod determinetur ad hunc locum potiusquam ad alterum subeundum: sed illud non potest esse aliud, quam ejus operatio transiens: ergo per hanc formaliter in loco substituitur. — **Nego minorem**: nam, ut dictum est, illa determinatio, vel intelligitur causaliter, vel fundamentaliter. Si primum, id habet Angelus non a sua operatione transeunte ad locum, sed vel a propria virtute motiva, qua libere se transtulit ad eum locum, vel a virtute extrinseca, puta a Deo, per quam in eo loco productus est, vel detinetur, vel ad eum fuit translatus. Si vero illa determinatio accipiatur fundamentaliter, id habet ex substantia sua, quæ licet ex se sit indifferens ad existendum hic, aut alibi, tamen ubi præsens sistitur hic, vel per suam, vel per alienam voluntatem, non est amplius indifferens ad fundandum respectum ad hunc, vel alium locum, sed necessario fundat respectum præsentiæ ad eum locum, in quo substantialiter præsens est.

URGENT ITERUM: Seclusa operatione, nihil habent Angeli, quo fundare possint relationem realem præsentiæ ad locum: ergo hæc necessario desideratur, ut locum determinatum habere dicantur. Probatur antecedens: si quid præter operationem sit in Angelo, quo fundare posset hanc relationem immediate, maxime illius substantia: sed Angeli substantia non potest esse fundamentum immediatum talis relationis: *Tum quia* substantia secundum se, et præcise non fundat aliam relationem, quam identitatis. *Tum quia* si fundaret relationem, maxime vel quatenus est substantia, et prout habet conceptum communem substantiæ, vel quatenus est substantia angelica: sed neutrum potest affirmari: non quidem primum, alioqui omnis substantia similem relationem fundaret: non etiam secundum, quia ratio formalis substantiæ angelicæ nihil aliud formaliter denotat, quam substantiam spiritualem totalem, et adæquatam, nullum ordinem dicentem ad corpus: ergo substantia Angeli per se præcise non potest fundare relationem

ad spatium, vel locum. — **Nego antecedens**; et ad *minorem* illius probationis dico, substantiam Angelicam fundare respectum ad locum, non præcise quatenus substantia est, nec quatenus substantia angelica, sed quatenus substantia est hic, et non alibi; quemadmodum v. g. paries fundat relationem similitudinis ad alterum, non præcise quatenus est substantia corporea, neque quatenus est extensus, sed quatenus est vel albus, vel niger. Ad id autem quod dicitur, nempe substantiam non aliam fundare relationem, quam identitatis; *respondeo* id verum esse dum confertur cum altera substantia, non vero dum comparatur cum aliquo alio, quemadmodum enim substantia quatenus creata, dum confertur Deo, dicit ad Deum respectum dependentiæ; ita dum comparatur ad locum, dicere potest ad eum respectum præsentiæ omnino distinctum ab illo respectu identitatis, quem habet ad aliam substantiam. Inde patet Thomistas videri non satis congrue philosophari, dum pro suæ opinionis fundamento quasi indubitatum proferunt, substantiam secundum se nullam posse relationem fundare, quippe cum ad Deum relationem dependentiæ, et ad aliam substantiam relationem identitatis habeat.

Objiciunt 3. Si substantia Angeli secundum se, et antecedenter ad operationem virtualiter transeuntem, esset proxima ratio fundans ubicationem, seu immediate tribuens Angelo, quod sit in loco, Angelus semper certum sibi locum vindicaret, et non posset in majori, aut minori pro suo libito existere: sed hoc dici nequit: ergo nec illud. *Minor* infra patebit. Probatur *major:* nam substantia Angeli intra propriam lineam est quid invariabile, semper enim eamdem habet perfectionem substantialem, et nunquam in suo esse substantiali variatur: ergo si illa secundum se, et antecedenter ad operationem sit proxima ratio fundans ubicationem angelicam, seu immediate tribuens Angelo, quod sit in loco, semper certum sibi locum vindicabit, nec poterit pro suo libito in majori, aut minori intra spheram suæ activitatis existere. — *Confirmatur*, ex eo quod quantitas molis sit in nobis ratio formalis essendi in loco, non potest corpus v. g. occupare sive replere modo majorem, modo minorem locum nisi fiat aliqua mutatio intrinseca in ipsius quantitate, puta per condensationem, vel complicationem, aut rarefactionem: ergo similiter si substantia Angeli secundum id quod habet intra propriam lineam, sit ratio formalis proxima essendi in loco, non poterit Angelus aliquando in majori, aliquando in minori loco existere, nisi ipsa ejus substantia intrinsece, et intra propriam lineam varietur, quod tamen est impossibile. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, quod quamvis Angeli substantia ex se sit invariabilis secundum suam entitatem, variari tamen potest per respectum ad locum, cui applicatur, quatenus nempe subest divinæ, aut propriæ voluntatis determinationi, per quam ad locum talem, vel talem applicatur. Quamvis enim substantia Angeli secundum se sit determinata ad locum sibi adæquatum, in hoc sensu, quod non possit esse in majori, non tamen est determinata ad existendum in toto illo loco, neque in aliqua certa ejus parte, sed indifferenter potest esse, aut in loco, aut intra ejus latitudinem in majori, aut in minori loco: atque proinde necessarium est, quod quantum ad hoc determinetur aliquo modo, ita ut ipsa substantia sit res determinata. Non est tamen intelligendum de-

terminationem hanc ita fieri, ut ipsa substantia Angeli prius (saltem ordine naturæ) quam uniatur loco, amittat terminationem, quam habet ex sua natura, et acquirat aliam, quasi per quamdam constitutionem, aut dilatationem, ratione cujus postulat tantum, aut tantum locum intra latitudinem illius, quem secundum naturalem terminationem postularet; quemadmodum corpora ratione propriæ quantitatis postulant locum certæ extensionis, et ut sint in minori, necessarium est, quod eorum quantitas prius saltem ordine naturæ constringatur, aut alio modo acquirat novam terminationem: sed dicendum est fieri prædictam terminationem in Angelo per hoc solum, quod ejus substantia applicatur tanto, aut tanto loco, juxta propriæ voluntatis mensuram. *Ad confirmationem*, nego paritatem: disparitas enim est inter substantiam corpoream, et angelicam, quod illa dum est in loco divisibiliter, in eo sit per omnimodam commensurationem totius quantitatis cum toto loco, et partium ejusdem quantitatis cum partibus loci: hæc vero sit tota in toto, et tota in qualibet parte, sicut anima rationalis in corpore, et Corpus Christi in Eucharistia; unde sicut anima rationalis absque sui variatione intrinseca potest informare nunc majorem, nunc minorem materiam, et Corpus Christi aliquando esse sub majoribus, aliquando sub minoribus dimensionibus sive speciebus, juxta voluntatem consecrantis, ita et Angelus absque intrinseca variatione suæ substantiæ poterit aliquando in majori, aliquando in minori loco existere, juxta beneplacitum suæ voluntatis, ratione cujus uniri potest angelica substantia vel toti loco sibi adæquato, vel tantum alicui ex partibus loci.

Urget Gonetus: Etiamsi aliqua substantia sit tota in toto aliquo loco, et tota in qualibet parte illius loci, inde non fit quod illa possit se constituere nunc in majori, nunc vero in minori loco, prout ipsi libuerit; nam Deus est totus in toto loco corporeo, et totus in qualibet parte illius, et tamen non potest non replere omnem locum creatum. *Item* anima rationalis est tota in toto corpore, et tota in qualibet ejus parte, et tamen non potest ad libitum aliquando informare totum corpus, aliquando solum unam partem illius. Unde quod illa possit informare modo minorem materiam, dum scilicet primo actuat corpus pueri, modo majorem, quando nimirum idem puer crescit, hoc non provenit ex eo quod sit tota in toto corpore, et tota in qualibet ejus parte, sed quia ex natura sua determinata est ad hoc ut primo actuet minorem materiam, deinde majorem in propriam substantiam hominis conversam. *Similiter* quod corpus Christi possit aliquando sub minoribus, aliquando sub majoribus dimensionibus panis, juxta beneplacitum consecrantis signantis materiam in illud convertendam, existere, provenit ex natura sive institutione Sacramenti Eucharistiæ ipsum ad hoc determinante. At vero substantia Angeli non est per se, et ab intrinseco sive ex natura sua determinata ad hoc, ut pro diversis temporibus sit nunc in minori loco, postea vero in majori; quin potius cum sit omnino invariabilis ab intrinseco, oportet consequenter, quod determinet ipsum Angelum ad existendum semper in æquali loco, si sit illi ratio formalis proxima existendi in loco. — **Nego minorem**: cum enim substantia angelica quantum ad motum, et unionem ejus ad talem, vel talem locum, omnino pendeat ab ejus libera voluntate,

licet secundum se sit invariabilis; tamen non determinatur ab intrinseco ad semper existendum in æquali loco; unde multo facilius, quam anima rationalis, potest majorem, aut minorem locum occupare, anima namque ita colligatur, ut corpori major, aut minor illius diffusio, ab ipsius corporis majori, vel minori constitutione pendeat; Angelus vero non ita pendet a loco; sed pro nutu suæ voluntatis potest suæ substantiæ præsentiam ad ampliorem, vel strictiorem locum profundere. — Ratio autem cur peculiariter Angeli substantia ad occupationem loci pendeat potius ab ejus libera voluntate, non vero corporea hominis quantitas ita ejus libertatis imperio subdatur, ut pro nutu majorem vel minorem locum occupet, neque animæ rationalis substantia libera sit ad totum corpus informandum, vel tantum aliquas illius partes, nec Deus possit efficere ratione suæ immensitatis, et æternitatis, quod ejus substantia sit tantum in aliqua parte loci, non autem ubique; neque quod ejus duratio alicui tantum parti temporis coëxistat: ratio, inquam, hujusce discriminis est, inquit noster Rada, quod quantitas perfectionis in Angelo, quantum ad illam unionem habet duo, ratione quorum convenit ipsi ita subdi libertati ipsius Angeli: *Primum* est, quod ex propria entitate, et ex modo, quo unitur, non repugnat ipsi indifferenter uniri toto loco, et parti ejus: *Alterum* est illam unionem esse terminum operationis liberæ ipsius Angeli, scilicet motus localis: nam Angelus medio motu locali applicat, et unit seipsum efficienter alicui loco. At vero quantitati corporeæ deest primum ratione suæ extensionis, ut explicatum est; et animæ rationali deest secundum, unio siquidem ejus ad corpus, quod informat, non est terminus alicujus actionis liberæ ipsius animæ, sed fit ab agente extrinseco, et similiter potentia Dei ad omnem locum, et coëxistentia cum toto tempore, si ex parte Dei, considerentur, non terminant actionem aliquam liberam ipsius Dei: sed supposito, quod sint locus, et tempus, necessario coëxistit ipsis Deus, alioquin esset Deus mutabilis secundum locum, et secundum tempus.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALITER ANGELI EXISTANT IN LOCO.

Tria maxime hac in Quæstione sunt discutienda: *Primum*, an Angeli quemlibet locum maximum et minimum occupare valeant: *Secundum*, an plures eidem loco simul possint inexistere; *Tertium*, an unus pluribus esse in locis queat.

Notandum 1. Locum Angelorum distingui posse duplicem; adæquatum videlicet sive totalem, et inadæquatum seu partialem. *Locus adæquatus*, et totalis ille est, qui correspondet Angelo secundum ultimum suæ potentiæ, et virtutis, in quo toto esse substantialiter potest, et extra illum simul esse naturaliter nequit: *Locus vero inadæquatus*, et partialis, atque minor toto loco adæquato, ille est, in quo Angelus existens potest etiam propria virtute extra illum esse; videlicet tamquam in loco partiali continuo; cujusmodi est pars aliqua prædicti loci adæquati, et spatii. Quærimus ergo an Angelus naturali, aut supernaturali virtute possit in pluribus locis adæquatis, et inadæquatis simul existere.

Notandum 2. Extra controversiam esse, quod unus Angelus possit simul in pluribus locis inadæquatis continuis, et inter se non distantibus existere, cum enim ejus substantiæ præsentia ad locum pendeat ex ejusdem libertatis applicatione, aperte constat, quod si aula sit locus adæquatus Angeli, et quatuor illius aulæ partes, et anguli sint ipsius locus inadæquatus, quod pro libito poterit suam præsentiam ab uno, et altero angulo removere, ut solum duabus aliis partibus, et angulis se præsentem sistat, maxime cum hoc virtutem ejus naturalem non excedat: indivisibilis enim ejus substantia ad locum certæ et determinatæ magnitudinis naturaliter non protenditur, quemadmodum extenduntur corpora, quæ pro sua majori, vel minori quantitate majorem, vel minorem locum naturaliter, et necessario requirunt. Unde solum difficultas est an Angelus possit esse pro suo nutu, et virtute naturali in locis inadæquatis discontinuis, et inter se distantibus, contentis tamen intra locum sibi naturaliter adæquatum; v. g. an possit Angelus existens in aula, se præsentem sistere in duobus angulis istius aulæ absque eo quod existat in medio.

Notandum 3. Præcisam rationem, cur duo corpora non possint naturaliter eumdem locum simul occupare, ex eo maxime repetendam, quod eorum corporum quemlibet locum cui præsens est, repleat: locus autem uno corpore repletus aliud capere nequit: quemadmodum vas aliquo liquore plenum, alterius liquoris superinfusionem virtute naturali non capit. An autem eadem vigeat ratio, vel alia similis proferenda cur duæ substantiæ spirituales eumdem simul locum occupare non possint, invicem non conveniunt Auctores; plurimi namque cum S. Thoma, et ejus discipulis affirmant Angelos non posse uni, eidemque loco adæquato simul adesse: cæteri vero cum Subtili Doctore rem problematice in utramque partem disputant, magis tamen in affirmantem, quam in negantem partem inclinant. His prænotatis, sit

Conclusio prima. — Licet Angelica substantia sit indivisibilis, divisibilem tamen locum occupare potest, necnon et minimum indivisibilem. Hæc Conclusio quoad utramque partem est Doctoris in 2. dist. 2. quæst. 6. num. 13.; quamquam enim hac in re videatur problematicus, magis tamen in affirmantem, quam in negantem partem propendet.

Probatur prima pars, nempe quod anima indivisibilis divisibilem locum occupare possit: si quid enim huic occupationi et præsentiæ obesset, maxime angelicæ substantiæ indivisibilitas: sed illa non officit quin loco divisibili se præsentem sistere valeat: nam licet substantia animæ rationalis sit pariter indivisibilis, nihilominus divisibile spatium occupat, cum sit tota in toto corpore quod informat, et tota in qualibet ejus parte: similiter quamvis substantia, et essentia divina revera sit summe indivisibilis, nihilominus quia est infinita secundum entitatem, per universum mundum realiter et substantialiter diffunditur, ut probatum est agendo de Immensitate divina: ergo pari ratione quamquam substantia angelica sit indivisibilis, divisibilem tamen locum occupare potest. Adde quod cum Angeli præsentia fiat vel per voluntariam suæ substantiæ applicationem ad locum, ut supra cum

Doctore Subtili docuimus, vel per virtutis applicationem et diffusionem, ut contendunt Thomistæ, utraque schola hanc Conclusionis partem necessario pro certa, et indubitata habere debet: certum namque est quod Angelus naturaliter velle possit, quod sua substantia per determinatum locum se præsentem sistat; quid enim huic volitioni posset obsistere? Maxime cum substantia indivisibilis divisibilem locum occupare queat. Certum pariter, quod Angelus alicui spatio extenso, et divisibili suam virtutem applicare potest; quamquam enim illius operativa virtus, et operatio, sint in entitate sua formaliter indivisibiles, sunt tamen virtualiter divisibiles, et extensæ, eo quod inferant, et immediate causent effectum divisibilem et extensum in subjecto circa quod operantur. — Inde tamen inferre non licet, quod Angelus quantitati infinitæ, si daretur, posset fieri præsens, quippe cum ejus nativa virtus sit limitata et determinata, nec proinde possit in infinitum se extendere; non enim fieri posset præsens quantitati infinitæ ut infinitæ, nisi præsens fieret omnibus ejus partibus, implicat autem finitam et limitatam substantiam infinitis partibus posse proportionari et commensurari: ergo, etc. Unde merito concludit Doctor ibidem num. 11: *Conceditur communiter, quod Angelus non potest esse in loco quantumcumque magno, quia hoc est proprium Dei.* — An autem Angelus habeat locum ita determinatum, ut non possit esse in majori vel minori, *Hoc* (inquit numero 14.) *dubium est, quia nec videtur posse faciliter probari una pars, nec alia: quod quidem inconveniens est, si quantitas sua virtualis per quam potest esse præsens alicui loco, sit naturalis ratio essendi in tanto loco suo modo, sicut quantitas corporis est naturalis ratio essendi in tanto loco suo modo: ita quod licet in potestate mea sit, me esse in hoc loco, vel in illo loco, non tamen est in potestate mea esse in tanto loco, vel in tanto: quia iste effectus est naturaliter consequens quantitatem, quæ non subest potestati meæ: et sicut nec in se, ita nec quantum ad istum effectum, esse scilicet in tanto loco, vel tanto. Nihil ergo videtur sequi inconveniens si ita poneretur in Angelis, vel si ponatur quod quantitas eorum habeat aliquem locum adæquatum, quo majorem non posset habere secundum conditiones suæ virtutis, et essentiæ; licet tamen ipsa subsit voluntati Angeli, ut possit non semper habere illum locum, sed majorem vel minorem; non sequitur inconveniens.* Quibus Doctor, inquit Poncius in Commentario ad eumdem locum, vult non posse assignari ullam rationem convincentem, qua probari possit quod Angelus valeat occupare ad libitum minorem locum, aut quod non valeat. Si enim diceretur quod ex natura sua quilibet Angelus petat esse connaturaliter in toto loco, sicut corpus quadripalmare petit esse in loco correspondenti, ita ut non posset poni naturaliter in minori, certe non posset Angelus ponere se in minori loco, sed quamvis posset ponere se in alio loco, semper omnis locus in quo posset se ponere, deberet esse tantus: nec est ulla ratio convincens ob quam non dicatur ita esse de facto. Rursus, si poneretur non exigere ex natura sua tantum locum, sed ex se esse indifferentem ad locum quemcumque infra locum summum, quem posset habere usque ad locum minimum, tum posset sine dubio poni in minori, et minori loco, nec necessario deberet semper habere locum ejus-

dem magnitudinis: sed nec etiam ulla ratio convincens est ob quam ostendatur quod ita non sit de facto. Hæc ita Poncius.

Probatur etiam secunda pars: nempe quod Angelus possit existere in loco minimo: quamquam enim Doctor loco supra laudato numero 11. asserere videatur Angelum non posse existere in loco quantumcumque parvo, attamen id solum problematice sustinet, quippe cum statim dubium proponat an possit esse in puncto, nec alterutram partem determinet, ait enim numero 13: *Si tamen posset esse in puncto vel non, non videtur ratio necessaria, nec ad unam partem, nec ad aliam: quia licet Angelus sit indivisibilis, non habet tamen indivisibilitatem limitatam sicut punctus: et ideo non oportet ipsum esse in puncto sicut in loco. Nec forte repugnat sibi esse in puncto sicut in loco: quia nullum inconveniens videtur ex hoc inferri, quia si ex esse in puncto sicut in loco hoc inferatur quod non posset moveri localiter nisi spatium esset ex punctis, non sequitur, posset enim immediate ex loco punctuali ferre se in continuum, cujus continui punctus est terminus.* Cum itaque censeat Doctor Angelum posse existere in puncto, haud dubium est cum pariter problematice asserere eumdem in loco indivisibili posse existere.

Quod insuper suadetur: ipsi loco potest inexistere substantia Angelica, cui revera potest fieri præsens definitive: sed Angelus definitive potest esse præsens loco minimo, et indivisibili; siquidem per præsentiam definitivam res est tota in toto, et tota in qualibet parte totius, sic Angeli substantia cum sit indivisibilis potest rei indivisibili inexistere: ergo, etc. Adde quod exinde nullum sequatur inconveniens; nam, inquit noster Herrera *Disp. 6. quæst. 7.*, si posset aliquod assignari inconveniens, maxime quod Angelus non posset movere se localiter ex uno loco ad alium, quia punctum non est locus, cum sit indivisibile, nec dantur duo puncta immediata. Hoc autem non obstat, quia cum Angelus sit in loco definitive, illud habebit rationem loci definitive quod potest fundare relationem præsentialitatis Angeli ad illud, et per consequens cum in puncto possit haberi ista ratio fundamentalis, quia potest prædicari de Angelo, hoc est, ita esse hic quod non alibi, ideo in puncto potest reperiri vera ratio ubi vel loci. Inconveniens autem de motu locali nullum est, ut ipse Doctor respondet, quia Angelus existens in puncto posset ferre se immediate in locum continuum, hoc est, in superficiem proximam puncto, cujus continui (scilicet superficiei) punctum est terminus.

Denique quando Angelus est in loco sibi adæquato, est etiam in quacumque parte ipsius: sed locus minor quocumque loco divisibili determinato, est pars illius loci magni: ergo est in illo loco minori de facto, quando est in loco maximo: sed existentia ipsius in illo loco nullam habet dependentiam a simultanea existentia ejus in aliis partibus loci majoris: neque enim potest ostendi in quo genere causæ, aut conditionis sine qua non, possit habere talem dependentiam: ergo potest esse in illo solo quin sit in reliquis partibus.

Objicies 1. Si Angelus existere posset in minimo loco, etiam posset existere in Cælo, et in terra. Probatur: quidquid potest esse in uno ex æqualibus, potest esse in quocumque alio ipsi æquali, si figuratio aliqua quæ esset in uno ex æqualibus non repugnet ipsi: sed

nulla figuratio loci ullius potest repugnare Angelo, cum sit indivisibilis: ergo si potest esse in uno loco, potest esse in quocumque loco ipsi æquali, si non determinetur ad locum aliquem parvum. At hoc est inconveniens; quia sequeretur quod Angelus posset esse naturaliter simul in Cælo, et in terra: si enim potest ocupare locum quadratum, hoc est, quatuor laterum æqualium, et non determinetur ad locum aliquem determinatum parvum, in quo minori esse non possit. quandoquidem ex illo loco quadrato possit fieri locus quadrangulus (hoc est quatuor laterum, quorum duo sint longiora aliis duobus, et æqualia inter se) tantæ longitudinis, ut possit protendi ad Cælum. quia latera ipsius possunt comprimi magis, et magis in infinitum, et quo magis comprimuntur latera, eo magis protenditur corpus illud versus longitudinem, sequitur quod possit simul existere in Cælo, et in terra. — **Respondet Poncius** *in sua summa Theologica*, negando primum subsumptum, et sequelam probationis; quia ex quadrato quatuor pedum non potest naturaliter fieri ullum quadrangulum quod possit protendi a terra ad Cælum; quamvis enim possit per compressionem laterum protendi in longitudinem majorem, et majorem in infinitum; tamen hoc tantum potest fieri respectu partium indeterminatarum, et in infinitum syncategorematice; non vero respectu partium determinatarum, et in infinitum categorematice; ex hoc autem non sequitur quod simul possit naturaliter extendi usque ad Cælum: sicut non sequitur, licet sint tot partes syncategorematice in quantitate palmari quot in centum-palmari, quod possit occupare simul tantum loci, quantum centum-palmaris. — ⁂ " Hoc idem argumentum confirmat et urget Doctor ex quodam principio mathematico Euclidis. propos. 35. lib. 2. ubi docet quod *quidquid potest esse in uno æqualium, et in reliqua si sibi figuratio non repugnat.* Unde sic argumentatur Doctor loco supra laudato num. 12 — et in commentario ad hunc Doctoris locum: *Quidquid potest in uno æquali potest esse in altero: si sibi non repugnat figuratio aliqua, secundum quam unum distinguitur ab alio: sed Angelo nulla figuratio loci in quo est repugnat: igitur si potest in uno æquali, et in altero. Et per consequens si potest esse in quadrato quantumcumque parvo vel stricto, quod oportet ponere dicendo quod non repugnat sibi esse in quantocumque loco, sequitur quod non repugnat sibi esse in loco quantumcumque longo, quia quadrangulus est æqualis isti quadrato parvo, in quo potest esse.* Quæ quidem certissima est argumentatio. Excipit autem: *nisi figuratio repugnet*, quod ad corpora pertinet. Nam aqua, vel vinum, vel alius liquor, cum exigat certam figuram capacem, non poterit esse in quadrangulo formato ex quadrato: cum si quadrangulus nimium constringatur, et in longitudinem enormem protendatur, liquores illos non capiat. At vero Angelus caret corpore, ac est expers figuræ, si potest esse in quadrato, potest esse in quadrangulo, numquam hic protendatur in infinitum. — Ad Doctorem dico ipsum revera hoc argumentum urgere et confirmare adversus S. Thomam qui lib. 1. q. 52. a. 2. cum in corpore articuli negasset Angelum posse esse in corpore quantumcumque magno, eumque redegisset ad certum, ac determinatum locum ibidem, postea non dubitavit dicere intra suam sphæram posse esse in majori et minori loco usque ad indivisibile. *Angelus*, inquit,

est indivisibile extrà genus quantitatis et situs existens; unde non est necesse quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm: sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel major vel minor secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus, vel minus. Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus. Et supra dixerat Angelum non esse alligandum necessario puncto indivisibili, quamquam ipse sit indivisibilis; itaque solum suam sphæram ei liberam relinquit, ut intra eam, sive in majori loco, sive in minori esse queat. Ac ita cum intelligit Cajetanus ibi, et communiter auctores tum domestici, tum externi. Hoc, inquam, argumentum torquet Doctor adversus S. Thomam ut demonstret illius assertionem non esse firmam et constantem, nec certis nixam fundamentis. At vero ipse in oppositam sententiam non descendit, sed tantum eam ut probabilem proponit, quidquid in contrarium pronunciet noster Franciscus Macedo sect. 6. collat. 1. *De loco Angelorum.* Ita namque docent fideles Doctoris interpretes recentiores, puta Cavellus in scholio ad hunc Doctoris locum; Vulpius disp. 18. art. 1; Mastrius; Tataretus in eumdem Doctoris textum, quibus præiverat Lichetus in Commentario, et Poncius ibidem, ubi copiose simul ac subtiliter præfatum argumentum solvit et retorquet argumentum hoc modo: qua ratione sequeretur Angelum posse esse in quocumque quadrangulo æquali alteri minimo quadrato assignabili, et consequenter in loco quantumcumque magno; atque adeo esset simul in cælo et in terra; pari ratione idem Angelus posset esse in quadrato quocumque minori qui esset minimus locus quem Angelus possit occupare. Si enim Angelus possit esse v. gr. in quadrato cujus quodlibet latus sit decem aut viginti palmorum, non possit autem esse in quadrato tam parvo, cujus quodlibet latus sit unius palmi tantum. Cum sic illud quadratum magnum potest extendi in quadrangulum tam longum quam potest quadratum istud parvum, comprimendo latera ipsius, etiam antequam perveniat ad arctitudinem istius quadrati parvi, quia habet in latitudine multo plures determinatas, et tot partes indeterminatas supra latitudinem quadrati parvi, potest tantum extendi versus longitudinem per compressionem laterum, quantum potest extendi quadratum parvum, et consequenter si quadratum parvum potest extendi a terra in cælum, et in quamcumque longitudinem in infinitum, poterit etiam sic extendi quadratum magnum, etiam non reducendo ipsum ad tam arctam latitudinem quam habet quadratum parvum, et consequenter, si Angelus potest esse in quocumque quadrangulo æquali isti quadrato, potuit esse simul in cælo ac in terra, et in quadrangulo quantumcumque longo. Ergo illud ipsum inconveniens quod sequitur secundum adversarios, eo quod Angelus possit esse in quadrato tam parvo, sequitur ex eo quod esset in quadrato tam magno quam ipsimet concedunt. *Ita Poncius.*" ✳

Objicies 2. Si Angelus non haberet locum determinatum quantum ad parvitatem, sed posset se præsentem sistere in minori, et minori in infinitum, esset perfectionis infinitæ: sed hoc est falsum: ergo, etc. Probatur sequela; quia est majoris perfectionis in ipso quod possit præsens fieri in minori, et minori loco: si enim, inquit Doctor, *n.* 12., posset in infinitum esse in majori, et majori loco, concluderetur

infinitas virtutis suæ; ita ergo concluderetur infinitas virtutis suæ, si posset esse in infinitum in minori, et minori. — **Nego sequelam**, necnon et consequentiam ejus probationis; ratio namque disparitatis est, quod occupatio majoris, et majoris loci in infinitum, quæ argueret perfectionem infinitam, est illa quæ fit per partes determinatas, ex quibus si omnes ponerentur a parte rei, fieret infinitum categorematicum: unde non est mirum quod virtus per quam illa occupatio fieri posset esset infinita, ac consequenter repugnans Angelo; sed occupatio minoris, et minoris loci in infinitum fit respectu partium indeterminatarum, ex quibus omnibus positis in actu, non sequitur infinitum categorematicum dari. ✳ " Quia partes illæ non sunt distinctæ nec actu divisæ, sed tantum potentia in infinitum distinguendæ et divisibiles. — Accedit quod, inquit Poncius *ibidem*, præfatum argumentum etiam retorqueri possit in adversarios. Nam, ait, ipsimet fatentur quod intra locum adæquatum maximum Angeli et locum minimum ipsius posset ponere se in loco minori et minori usque ad locum illum minimum, et quod hoc etiam sit in ipso majoris perfectionis. Unde sic arguo: inter locum illum maximum et locum minimum dantur loca minora et minora in infinitum, quia excessus loci maximi supra minimum est divisibilis in infinitum: sed Angelus potest ponere se in quocumque loco ex illis: ergo potest se ponere in loco minori, et minori in infinitum, etiam secundum illos auctores. Aut hoc ergo arguit perfectionem; et sic vel talis est concedenda Angelo, vel non est concedendum ipsi, quod possit id facere; aut non arguit, et sic mala est consequentia prima cum consequentia suæ probationis. Inde concludit Poncius Angelum revera posse reducere suam præsentiam ad minorem locum quam adæquatum, cui adstipulantur plures Scotistæ recentiores, ut Branchatius disp. 5. q. 6; Mastrius 12 Metaphysicæ disp. 11. q. 5. art. 2; et alii bene multi asserentes hac in re Doctorem non adversari, sed tantum esse probabilem utpote cum ipse supponat tamquam probabile quod Angelus possit esse in puncto, et constat ex ipsius verbis supra laudatis, cujus utique ratio est manifesta. Nam si Angelus possit esse in loco indivisibili, qualis est mundus, multo magis potest esse in loco minus divisibili, quia locus ille minimus divisibilis est magis proportionatus loco adæquato divisibili ipsius Angeli, quam locus omnino indivisibilis. Deinde, qui potest esse in locis extremis, potest etiam esse in intermediis: at Angelus potest esse in loco plurimum divisibili sibi adæquato, atque etiam in puncto: igitur potest etiam consistere in loco minus divisibili, qui inter magis divisibilem et punctum est medius ✳ ".

Conclusio secunda. — ANGELUS NON POTEST NATURALITER ESSE IN DUOBUS LOCIS ADÆQUATIS: NEC ETIAM IN LOCIS INADÆQUATIS DISCONTINUIS: IN UTROQUE TAMEN POTEST SUPERNATURALITER EXISTERE. Hæc tres partes complectitur, quas omnes aperit Doctor q. 7. n. 2.

Probatur prima pars: locus adæquatus ille dicitur qui nec locatum excedit, nec ab eo exceditur: ergo implicat quod Angelus simul, et semel præsens sit pluribus locis, quorum quilibet sit adæquatus. Patet consequentia; si enim esset in pluribus, quemlibet eorum in particulari excederet; quippe cum ita non esset in uno quin pariter existeret in alio, et sic quilibet eorum locorum esset adæquatus, ut

supponitur, et simul non esset, quippe cum locatum existens etiam in alio priorem locum excederet. *Deinde* si Angelus posset esse simul, et semel in pluribus locis adæquatis, non ei opus esset transire de loco ad locum ut aliquid operaretur: sed consequens est falsum, et contra Scripturam sacram, quæ docet Angelos accedere ad corpora vel ad spiritus, ut circa res ejusmodi quidpiam operentur, ut Quæstione præcedenti dictum est: ergo etc.

Secundam partem, ut dubiam relinquit Doctor aliis discutiendam. Cum enim dixisset quod unus Angelus non possit esse in duobus locis adæquatis: *Quia,* inquit, *tunc iste locus non videretur sibi esse adæquatus secundum virtutem suam naturalem;* subdit: *Sed utrum in duobus locis discontinuis posset esse, quorum nec unus, nec alius esset sibi adæquatus, dubium est: nec videtur ratio necessaria pro, nec contra.* Verior tamen apparet negans sententia quam affirmans: *Tum quia,* si Angelus se præsentem sistere posset pluribus locis inadæquatis discontinuis, simul esset in pluribus locis, ut plura sunt: loca enim illa partialia, et inadæquata nec essent unum secundum entitatem, ut constat; nec secundum continuitatem, quippe supponuntur esse discontinuata; nec secundum ordinem, quia præsentia Angeli in uno non derivatur ex præsentia illius in altero, adeoque Angelus esset in illis, ut plura sunt: sed non potest esse in pluribus locis, ut plura sunt; alioquin etiam posset esse in pluribus locis adæquatis, cujus contrarium mox probatum est. *Tum quia* si posset Angelus naturaliter esse in pluribus locis inadæquatis discontinuis, simul fieri posset præsens pluribus locis qualibet distantia invicem remotis; si enim distantia quæ est inter duo loca inadæquata inter se discontinua non impedit quominus Angelus ipsis inexistat non existendo in intermediis, etiam major distantia illius angelicæ præsentiæ non obstabit: sed illud consequens est absurdum: sequeretur enim exinde, quod Angelus simul fieri posset præsens naturaliter Cælo, et terræ; quod nullus Theologorum admittit. — Nec valet reponere id quidem fore verum si illa distantia, et discontinuatio fieret extra sphæram activitatis angelicæ, et loci ejus adæquati, quod cum ita non sit, inde non sequitur, nec Angelum esse in pluribus locis, ut plura sunt, nec eum posse existere in locis quacumque distantia remotis: hæc, inquam, responsio præcedentium rationum vim non infirmat. *Primo namque* sive illi loci sint extra sphæram activitatis angelicæ, sive non, revera sunt invicem dissiti, et ab invicem distincti; adeoque revera sunt plures, subindeque Angelus in eis existens, existit non ut in uno, sed ut in pluribus. Adde quod cum Angelus sit præsens loco ratione suæ substantiæ, et per applicationem liberæ voluntatis, si possit se præsentem sistere in quatuor angulis aulæ invicem discontinuis, quidni pariter poterit se præsentem sistere etiam in loco aulæ viciniori, non tamen contiguo? si enim distantia unius cubiti non impediat quominus sit præsens locis discontinuis, qua ratione poterit impedire distantia duorum vel trium cubitorum?

Confirmatur hæc ratio una cum præcedentibus; *Primo* quidem, quia nulla apparet ratio ob quam talis virtus videatur potius Angelo tribuenda quam cæteris entibus, quæ limitata sunt, et determinata naturaliter ad unum locum, ita quod statim ac videmus rem in loco, conjicimus illam distingui ab alia in altero loco posita. *Secundo,* An-

gelus ita determinatur ad locum, quemadmodum anima ad informandum corpus: sed eadem anima nequit simul informare partes distantes non informando intermedias: ergo nequit Angelus existere in pluribus partibus discretis loci nisi existat in partibus intermediis. *Tertio,* multiplicatio præsentiæ Corporis Christi in diversis locis invicem dissitis dicitur miraculosa: ergo miraculum foret si res spiritualis existeret in diversis locis discontinuis, et consequenter Angelus se præsentem sistere nequit virtute propria in diversis locis dissitis.

Dices 1: Tota ratio propter quam nullum corpus potest esse in duobus locis etiam partialibus discontinuis, et distantibus, est quia corpus est quid continuum, et dependens a loco, subindeque non potest esse in locis discretis nisi ejus quantitas dividatur: hæc autem ratio locum non habet in Angelis, cum careant quantitate, et sint independentes a loco: ergo, etc. — **Nego majorem**; non enim ideo corpus aliquod non potest esse in pluribus locis quia divideretur, sed etiam quia secundum suam entitatem limitatam ita determinatur ad unum locum, ut simul plura occupare nequeat; quæ ratio in Angelis viget. Unde sicut corpus clauditur in uno loco circumscriptivo, nec potest simul plura occupare, ut plura sunt, et discontinuata; ita pari ratione loco definitivo clauditur Angelus, ut propria sua virtute non possit ad plura sese extendere.

Dices 2: Angelus, ut diximus, est in loco per liberam applicationem suæ substantiæ ad illum, ita ut cum voluerit, possit suam substantiam applicare toti loco sibi adæquato, vel solum alicui ex ejus partibus: ergo nihil prohibet quominus possit illam applicare duabus extremitatibus, non vero medio. — **Nego consequentiam**, quod enim Angelus totum locum sibi adæquatum occupet vel tantum unicam ejus partem, nulla apparet repugnantia; cum inde non sequatur eum esse pluribi, et ultra sphæram suæ virtutis naturalis: id autem sequitur si duobus locis inadæquatis discontinuis adesset, adeoque non est paritas.

Probatur tertia pars, nempe quod, inquit Doctor n. 2., Angelus esse possit in pluribus locis tam adæquatis, quam inadæquatis per divinam potentiam: si quid enim obesset, maxime quia unum, et idem non posset esse in pluribus locis modo definitivo: sed consequens est absurdum, nam Corpus Christi Domini præsens est realiter sub speciebus Eucharisticis discontinuis, et distantibus: ergo multo magis Angelus pluribi præsens adesse poterit. Patet consequentia, facilius enim est unicum quam plura patrare miracula: ut autem Corpus Christi præsens fiat sub speciebus consecratis, duo maxime oportet interveniant miracula, aliud quo sua nativa quantitate spolietur, et modo veluti spirituali existat; alterum quo fiat pluribi præsens: ut autem Angelus pluribus locis adsit, unicum tantum miraculum requiritur, quo videlicet ejus præsentia multiplicetur: ergo multo facilius quam corpora pluribi poterit constitui.

Dices 1: Si Angelus pluribi existeret, distaret a se: sed hoc est absurdum: ergo etc. Probatur sequela *majoris;* quia loca illa, ut supponitur, distant a se: ergo et Angelus existens illis. Probatur consequentia; quia quæ sunt simul uni tertio, sunt simul inter se: ergo quæ non sunt simul uni tertio, non sunt simul inter se, et consequenter sunt distantia inter se. — **Respondet Doctor** *numero supra laudato,*

negando sequelam cum consequentia utraque probationis: quia quemadmodum non sequitur, quod Deus distet a se, etiam si distent corpora quibus est præsens; et quemadmodum non sequitur quod anima hominis distet a se, etiam si informet manum dextram, et sinistram, quæ inter se distant: ita non sequitur quod Angelus existens in pluribus locis distet a se, etiamsi loca in quibus existit distent inter se; sive existat in illis locis supernaturaliter, aut naturaliter: sed solum cognoscitur quod existat in illis. Quod addo, quia si cognosceretur quod Angelus existeret in uno loco naturaliter; et Angelus existeret etiam in alio loco naturaliter; deberet existimari quod non esset unus Angelus qui existeret in utroque loco. *Ad confirmationem* autem distinguit consequens Doctor: quando illud quod est simul in illis, est limitatum ad unum tantum, concedit: quando non est, negat: sicut patet de anima, inquit, in manu dextra, et sinistra posita, quæ anima non distat a se, et tamen manus distat a manu: similiter Deus non distat a se, tamen distant inter se illa, quæ cum illo sunt, vel hic vel Romæ.

Dices 2: Angelus est unius naturæ limitatæ: ergo debet esse limitatus secundum quodlibet quod potest ipsi inesse, et consequenter nequit simul habere plura loca. — **Respondet Doctor** distinguendo consequens, secundum quodlibet omnino cujuscumque rationis, negatur consequentia: quia alias non posset habere plures intellectiones simul, nec plures etiam præsentias continuas: secundum quodlibet quod sibi potest inesse per modum proprietatis naturalis, et accidentis inseparabilis, transeat prima consequentia, et negatur secunda.

✻ " Dices 3: Si Angelus posset simul existere in duobus locis, sequeretur quod posset pariter simul quiescere in uno loco et moveri ab altero loco ad alium: sed hoc contradictorie pugnat, inde enim esset consequens quod quiesceret simul et non quiesceret: igitur etiam repugnat ipsum in duobus locis existere. — **Respondet Doctor**, *numero tertio* concedendo sequelam *majoris*, et negando *minorem* cum probatione. Verum enim esset in ea hypothesi quod Angelus ille quiesceret secundum unum *ubi*, et non quiesceret secundum alterum *ubi:* at non esset verum quod quiesceret et non quiesceret simpliciter: nam *quiescere simpliciter* significat rem nullatenus moveri respectu cujuscumque loci, ac subinde excludit omnem prorsus motum ab ipsa re locata. At quiescere respectu unius loci et non quiescere respectu alterius possunt de eadem re verificari, quia non pugnant contradictorie, quia simul non affirmatur de eadem re secundum eumdem locum et statum, sed secundum diversum; unde concludit Doctor quod in ea hypothesi si quis inferret ex eo quod Angelus ille quiescat in uno loco et moveatur ab altero in alium, quod simul quiesceret et non quiesceret *simpliciter*, committeret fallaciam a dicto *secundum quid* ad dictum simpliciter, et in discursu exorbitaret ex ignorantia elenchi, quia inferret quod aliqua quæ non sunt contradictoria utpote cum non affirmentur aut negentur de eadem re secundum idem, tamen essent contradictoria.

Dices 1: Duo ubi sunt formaliter incompossibilia utpote cum sint contraria, siquidem inter illa potest dari motus localis qui semper sit inter duo extrema contraria et invicem opposita, nam omnia *ubi* di-

stantia sunt distinctæ speciei, adeoque contrarietatem quamdam important; igitur illa duo *ubi* non possunt in uno eodemque Angelo reponi, contraria enim non possunt esse simul in eodem subjecto. — **Distinguo antecedens**: duo ubi sunt incompossibilia et contraria secundum se et respectu sui, quia sunt diversæ speciei, concedo; secundum aliud et ratione subjecti, subdistinguo: si sumantur inadæquate, nego, nam Angelus in loco adæquato existens habet tot *ubi* inadæquata quot sunt partes illius loci, ac subinde est simul in pluribus locis inadæquatis. Si sumantur illa duo *ubi* adæquate, non possunt uni eidemque subjecto competere, subdistinguo: virtute alicujus agentis naturalis, concedo; supernaturalis, nego; tametsi enim duo *ubi* naturaliter censeantur contraria et incompossibilia, quia unum viribus naturæ acquiri non potest quin deperdatur aliud; tamen cum ex fide constet unum corpus posse simul esse in duobus locis virtute divina, nihil obstat quin idem affirmetur de Angelo, cum nobilioris sit entitatis et vegetioris virtutis, proinde aptior est ut ex ordinatione Dei diversa loca simul occupet. Neque huic occupationi quidquam officit specifica illorum *ubi* distinctio, siquidem duæ res specie distinctæ possunt etiam naturaliter in eodem subjecto reperiri, ut albedo et dulcedo in lacte, vis sensitiva et vegetativa in eodem animali. " ✳

Conclusio tertia. — PROBABILIUS EST PLURES ANGELOS NATURALI VIRTUTE POSSE SIMUL ESSE IN EODEM LOCO, NON SOLUM MATERIALI, SED ETIAM DEFINITIVO. Ita Doctor, qui quamvis dubius hac in quæstione resolvenda videatur, nihilominus affirmantem partem probat, negantis vero argumenta dissolvit.

Suadetur 1. ex S. Patribus, quorum aliqui licet corpora Angelis affingant sicut et hominum animis, utrosque tamen in eodem loco posse plures consistere affirmant. Sic Tertullianus, libro *De anima*, cap. 25. Platonem secus opinantem redarguit, *Quod si quis ut Plato*, inquit, *non putat duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in unum congestas ostendissem, sicut et corpora in fœtibus; verum et alia multa cum anima conserta, dæmones scilicet, nec unius, ut in Socrate ipso: verum, et septenarii spiritus, ut in Magdalena: et legionarii numeri, ut in Geraseno: quo facilius anima cum anima conseretur ex societate substantiæ, quam spiritus nequam ex diversitate naturæ.* Gregorius vero Nazianzenus, Epistola prima ad Cledonium, refutans Apollinarem, qui perfectum hominem fuisse negabat in Christo, quoniam duo perfecta simul esse nequeunt; ita respondet: *Non sane, siquidem corporeo modo rem expendas; vas enim unius modii capax, duos modios minime continebit, nec corporis unius locus duo, aut plura corpora. Si autem ut intelligibilia, et incorporea ea consideres, illud animadverte, quod idem ipse, et animam, et rationem, et mentem, et Spiritum sanctum continui*: subdit: *hæc enim intelligibilium natura est, ut incorporeo, et indivisibili modo, et inter se, et cum corporibus misceantur.* Quæ mixtio non fit secundum substantialem eorum unionem, sed secundum ejusdem loci occupationem, et præsentiam.

Probat Doctor 1. quidem auctoritate Richardi a sancto Victore, qui colligit dæmones non habere corpora, eo quod integra dæmonum

legio unicum hominis corpus occupaverit. « Non enim potuisset legio « fuisse in aliquo, si dæmones habuissent corpora, idéo, inquit Do- « ctor, videtur arguere quod si habuissent corpora fuissent corpora « eorum simul in eodem loco ». Igitur modo quando non habent corpora, videtur dicendum quod simul fuerunt absque corporibus. « In- « super si unus Angelus movens cælum sit in meridie, et alius bonus « Angelus missus de cælo ad terram debeat transire per illum locum, « non videtur necessitas quod non transeat per lineam rectam, vel « quod alius cedat sibi. *Denique*, inquit, si omnes Angeli fuissent « creati ante creaturam corporalem, sicut videtur verum secundum « Damasc. lib. 7. c. 21., non videtur facile assignare quomodo tunc « non fuissent simul : et si tunc non fuisset inconveniens eos esse « simul, nec modo : quidquid autem fit de facto, et de possibili, de « potentia dico naturali eorum : de possibili tamen respectu potentiæ « divinæ, non videtur esse impossibile, quin per ipsum possent esse « simul ».

Probatur insuper conclusio: Duo Angeli possunt virtutes suas naturales operativas, atque suas substantias eidem simul corpori seu loco totaliter applicare, et præsentes facere : ergo in eodem loco adæquato possunt simul adesse secundum suas virtutes, et essentias. Consequentia est evidens: antecedens probatur manifestissime, quia Angelus potest simul cum anima rationali idem inhabitare corpus, ut patet in his qui vexantur a spiritibus immundis : ergo pari ratione poterit esse simul cum altero Angelo, quia anima rationalis est ejusdem rationis cum Angelis quantum ad modum existendi in loco. *Deinde*, quia si virtutes, et essentiæ duorum Angelorum eidem loco simul applicatæ esse nequirent, maxime quia unius virtus, et essentia non compateretur secum virtutem, et essentiam alterius, sed illam excluderet, quemadmodum quantitas una corporea a suo loco naturaliter pellit alteram : hoc autem dici non potest, cum virtutes illæ, et essentiæ sint spirituales, alias neque virtus animæ, et essentia secum pateretur in eodem loco et corpore Angelicam virtutem et essentiam : igitur etc. *Denique*, virtutes, et essentiæ angelorum multo immaterialioris et sublimioris naturæ sunt quam lumen istud quod videmus : sed constat duo diversa lumina a duobus luminosis causata in eodem simul adæquato loco existere : ergo a fortiori poterunt simul applicari, et in eodem loco esse duæ virtutes, et essentiæ Angelorum ; atque adeo et duo vel plures Angeli, quia unus alteri non obstat. ✳ " His accedit quod plures Angeli etiam possunt habere diversas operationes totales in eodem loco ; imo quod de facto eas habeant, nam Angelus bonus intime præsens homini suggerit ei cogitationes rectas et bonas, malus vero eidem pariter præsens malos ac pravos sensus et motus ipsi instillat. Habent ergo illi duo Angeli in eodem loco intime præsentes operationes adæquatas omnino diversas, ac subinde corruit Thomistarum ratiocinium. " ✳

Dices 1: Non possunt dari duæ causæ totales respectu ejusdem effectus : sed operationis, qua constituitur Angelus in loco, ipsemet Angelus est causa totalis : ergo alius Angelus nequit habere operationem in illo loco, et consequenter nequit esse in illo loco. — **Respondet Doctor** *primo*, falsum supponi in hoc argumento, nempe quod

Angelus constituatur formaliter in loco per operationem. *Respondet* 2. quod quamvis id concederetur, et quod una operatio provenire posset a pluribus Angelis, et consequenter quod ab una operatione non haberent esse in eodem loco; tamen inde non sequeretur quin quando Angelus unus habet unam operationem, alter posset habere aliam. Quod si dicatur quod in corpore nequeat Angelus habere ullam operationem, nisi operationem loco motivam, quæ moveat ipsum localiter, et quod quando movetur ab Angelo localiter per unum motum non possit moveri per alium alio motu; *Respondet* 3. Hoc gratis concesso, adhuc duos Angelos posse concurrere ad eamdem operationem, ita ut uterque non sit causa totalis ipsius, sed partialis, et tum quamvis ab operatione eadem haberent esse in loco, non sequeretur quod idem effectus produceretur a duabus causis totalibus. Quod autem Angelus possit esse causa partialis talis motus, et admittere concursum alterius, patet, quia est causa libera illius non minus quam homo, et potest consequenter adhibere totum conatum, vel partem: et si partem adhibuerit alter Angelus, potest hic adhibere libere aliam partem: et sic motus integer erit ab utroque tamquam a duabus causis partialibus integrantibus unam causam totalem. ✳ " His adde quod Angelus naturaliter potest in eodem loco consistere cum quolibet corpore: igitur multo magis in eo subsistere potest cum alio spiritu. Antecedens admittunt adversarii; consequentia vero per se manifesta: duæ enim substantiæ spirituales completæ minorem habent repugnantiam ut simul consistant quam habeant substantia corporea et spiritalis quæ opponuntur et specifice distinguuntur. " ✳

Dices 2: Quæ habent eumdem modum essendi non possunt esse simul: sed Angeli habent eumdem modum essendi in loco: ergo non possunt esse simul. Probatur *major:* quia propterea quod corpora gloriosa nequeunt naturaliter esse simul, quamvis corpus gloriosum possit esse simul cum corpore non glorioso: et propterea etiamsi essent duo Dii, non essent simul cum creaturis. — **Respondet idem Doctor** negando *majorem*, quam merito putat esse irrationabilem, seu improbabilem, quia esse in loco non importat ullum respectum essentialem, et dependentiam rei locatæ ad locum; esse autem ab alio tamquam a causa per se, sicut effectus est a causa, dicit dependentiam essentialem effectus ad causam: ergo si possunt esse plures effectus ab una causa, non erit inconveniens quod plures res possint esse in eodem loco quantum est ad esse *in* præcise. *Deinde*, omnia temporalia dicunt eumdem respectum ad tempus, seu eumdem modum essendi in tempore, sicut spiritualia dicunt eumdem modum essendi in loco: sed hoc non obstante plura temporalia possunt esse simul in eodem tempore: ergo et plura spiritualia in eodem loco quantum ad hanc rationem. *Denique*, omnia accidentia corporalia habent eumdem modum essendi in loco, et tamen hoc non obstante plura ex illis sunt in eodem loco, ut albedo, et dulcedo lactis. Ad probationem autem *majoris* respondet: si verum est quod duo corpora gloriosa nequeant esse simul, aut duo Dii, quod hoc non oriatur ex eo quod habeant eumdem modum essendi in loco, sed ex aliqua alia ratione. In rei autem veritate existimandum potius est quod duo corpora gloriosa possint esse simul, et duo etiam Dii, si essent possibiles.

Dices 3: Plurimi e sanctis Patribus in ea sunt sententia, quod nulla res creata, quamtumvis corporis expers, cum re altera spirituali misceri infundique possit, utpote cum hoc Dei sit proprium, cui (inquit Paschasius lib. 2. *De Spiritu sancto* c. 1.) *Tantum debetur hoc privilegium ut conscientiam possit intrare secretam: anima vero animæ aut Angelus Angelo conjungi potest, infundi non potest.* Hinc affirmat dæmones hominum incessores, *Solas corporis latebras intrare posse; animæ vero interiora adire non posse:* quod eo argumento probat, *quia conscientias scire non possunt.* Idem docet Didymus lib. 1. *De Spiritu sancto* c. 15; sed clarius Cassianus collat. 7. c. 13. ubi ait: *Nihil esse incorporeum nisi solum Deum, et idcirco ipsi tantummodo penetrabiles omnes spirituales atque intellectuales esse substantias, eo quod solus, totus, et ubique, et in omnibus sit; ita ut cogitationes hominum, et internos motus absque abditamentis, et universa inspiciat atque perlustret*: ergo revera duo Angeli non possunt esse simul sicut nec cum anima rationali. — **Nego consequentiam**, præfati namque Patres, et quicumque alii, qui similia proferunt, non tam de ea penetratione, et infusione quæ per loci conjunctionem fit, intelligendi sunt, quam de efficientia, et instinctu quo per sese, nullaque re interjecta, Deus animam nostram movet, quod Angeli præstare nequeunt. Ita rem interpretari videtur S. Bernardus serm. 5. in Cantica: *Illud,* inquit, *scitote nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari; ut videlicet nullo mediante nostri suive corporis instrumento, ita nobis immisceatur, et infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores: vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum, hoc modo mihi capabilis est, nullius ergo capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo ac incircumscripto Spiritui, qui solus cum docet Angelum, sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur; per se innotescit, purus capitur a puris.*

SECTIO SECUNDA.

DE MOTU ANGELORUM.

Quoniam localis motus ad locum comparandum ordinatur, idcirco explicato Angelorum loco, de illius acquisitione, vel amissione, ac subinde de mutatione locali quæ ad illum terminatur, ordine methodico dicendum sequitur, ejusque non solum existentia, sed et causa, natura, ac species variæ in præsenti Sectione sunt aperiendæ.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET PER QUID ANGELI LOCALITER MOVERI DICANTUR.

Notandum 1. Circa præsentis Quæstionis determinationem triplicem esse Auctorum sententiam: *Prima* fuit Durandi *in primum distinct.* 37 *secunda parte illius qu.* 1. *num.* 26. asserentis Angelum simul esse ubicumque operari potest, sive simul, sive successive, unde sentit, et quod Angelus simul sit in omnibus corporibus Universi, et quod si plura vel majóra fierent, statim, et sine ulla sui mutatione in eis existeret, quia in omnibus potest semper successive operari, quamvis non

possit omnia simul movere; quia, inquit, sufficit habere simul potestatem ad operandum in quocumque loco disjunctim, et in omnibus successive, ut simul omnibus adsit, eo modo quo potest esse. *Inde quæstione secunda* infert non posse Angelum proprie moveri localiter, ita ut transferatur de loco ad locum, quia non est in loco circumscriptive, nec definitive; sed simul est in omni loco in quo esse potest. Hinc putat Angelum non proprie moveri localiter, ita quod ejus substantia deserat unum locum, et incipiat esse in altero: sed solum quia successive apparet in diversis locis per varios effectus quos in illis producit. *Secunda* sententia est S. Thomæ 1. *par. qu.* 53. *art.* 3. necnon et Cajetani ibidem articulo primo, ubi ait: diligenter advertendum est motum localem proprie loquendo non convenire substantiis spiritualibus; sed quemadmodum abusive et æquivoce dicitur substantias spirituales esse in loco ita et moveri localiter. Unde moveri non est eas esse subjectum motus, sicut nec locari est eas esse subjectum ubi: sed virtualiter tangere in genere causæ efficientis diversa loca. ✻ « Ita Cajetanus in laudatum Doctoris Angelici locum. At ipsemet Angelicus Doctor clarius mentem suam aperit et motum continuum arcet ab Angelis in 1. dist. 37. quæst. 4. art. 1. ubi sic ad 3. « Motus Angeli lo-« calis non est positus esse continuus, ideo non oportet quod pars illius « motus sit motus, et ideo nec in *A* movetur, nec in *B* movetur, li-« cet *A* et *B* sint partes ejus, sed successio horum quod est esse in « *A*, et esse in *B* motus ejus vocatur, sicut plane si attendatur motus « ejus vel secundum intellectum, vel secundum affectum, quia ipsa « successio affectionum motus ejus dicitur, et in corpore ad finem. Di-« citur Angelus esse in loco in quantum applicatur loco per operatio-« nem, et quia non simul est in diversis locis esse dicitur, motus ejus « vocatur; unde sicut conceptiones intellectus convenienter se habent « sine continuatione, ita et operationes ejus. Unde motus ejus localis « non est continuus, sed ipsæ operationes ejus consequenter se haben-« tes circa diversa loca secundum quas in illis esse dicitur localis mo-« tus sic esse dicuntur. » Ita S. Thomas. ✻ *Tertia* denique sententia est Doctoris Subtilis *in secundum dist.* 2. *qu.* 9. *et sequentibus*, ubi sicut Angelum vere et proprie constituit in loco per suam substantiam, ita et affirmat vere et proprie moveri.

Notandum 2. Cum nostro Herrera *disp.* 7 *qu.* 1. quod in unoquoque loco spatium reale aliter sese habeat ad corpora quam ad spiritus; nam respectu corporum se habet per modum continentis, quia revera corpus continet, et per modum spatii repleti: quippe cum corpore ita impleatur, ut aliud admittere nequeat; sic dum aqua est in vase, vas dicitur locus aquæ, quatenus aquam continet, dicitur autem spatium, quatenus impletur aqua: potest etiam dici *ubi* ipsius aquæ, quatenus nempe fundat vel terminat relationem præsentialitatis, quia ita aqua est hic ut non sit alibi. Quantum autem ad spiritus, spatium illud reale potest quidem habere rationem *loci*, necnon et *ubi* respectu substantiæ spiritualis in ipso locatæ, siquidem substantia illa Angeli vel animæ rationalis ita ibidem est realiter, ut non sit alibi; non tamen potest habere rationem spatii repleti, quippe cum spatium illud reale non impleatur per præsentiam substantiæ spiritualis, sed etiamsi ades-

sent omnes Angeli in aliquo reali spatio, non minus spatium illud posset quodlibet corpus excipere quam si nulli spiritus adessent.

Notandum 3. Ex Doctore *lib.* 2. in *Metaphysicam num.* 93. aliquid moveri, et movere tripliciter, 1. per accidens; 2. juxta aliquam partem; 3. secundum se totum. Illud dicitur moveri per accidens quod movetur ad motum alterius cum quo naturalem habet connexionem, sive hæc conjunctio fiat per modum formæ substantialis aut accidentalis, sic movetur anima ad motum corporis, et quodlibet accidens ad motum sui subjecti: vel ad modum integrantis, sic partes moventur ad motum totius: vel uti contentum in continente naturaliter, sic liquor movetur ad motum vasis, et nauta ad motum navis circumfertur: vel quod alicui conjungitur aliqua necessitate naturali, ut grave illi cui innititur. Secundo modo aliquid dicitur *motum,* aut *movens* propter motum ab aliqua sui parte productum, aut in ea receptum: sic Petrus dicitur sanatus, propter sanatum illius oculum, et jecisse lapidem, propterea quod manu lapidem projecerit. Tertio modo aliquid dicitur *motum,* et *movens* secundum se totum: sic animal movetur secundum omnes sui partes, et acqua frigefacit, et ignis calefacit secundum omnes sui partes.

His ita prælibatis, tria sunt in præsenti Quæstione determinanda: Primum an Angelus revera moveatur localiter, non solum metaphorice, sed etiam realiter, et proprie. Secundum utrum moveatur motu tam per se quam per accidens. Tertium an non solum ab alio moveri, sed etiam seipsum movere possit.

Conclusio prima. — Angelus revera movetur localiter; idque motu proprie dicto. Hæc est communis quantum ad primam partem inter Theologos contra Durandum.

Probatur 1. Auctoritate Scripturæ Sacræ, quæ motum localem tribuit Angelis non solum in corpore existentibus, sed etiam extra corpus; sic Isaiæ 13. *De Dæmonum* principe dicitur: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Quibus verbis Diabolorum principis, et omnium suorum asseclarum memoratur lapsus, non solum secundum affectum depravatæ voluntatis, sed etiam secundum loci distantiam, et eorum e Cælo usque ad inferiores partes terræ dejectionem. Quod utique confirmat Christus Dominus, *Luc.* 10. dicens: *videbam Satanam quasi fulgur de Cælo cadentem:* hinc *Apocal.* 2. narratur prælium magnum per Principem exercitus Domini, nempe Michaëlem, adversus rebellantes Angelos factum, et eos ita de Cælo fuisse deturpatos, ut non fuerit inventus amplius locus eorum in Cælo. — *Idem confirmant* omnes illi textus in prima Conclusione præcedentis sectionis a nobis laudati, quibus non solum aperte significatur Angelos revera locum occupare, sed etiam de loco in locum per motum localem deferri. — *Confirmatur,* ex eo quod idem asserendum sit de Angelis, quod de anima separata; sed anima rationalis a corpore sejuncta, revera movetur localiter: ergo et Angeli. *Major* constat tum ex illo *Matthæi* 22. ubi Christus Dominus docet animarum in Cælo existentium sortem fore Angelis similem, *erunt,* inquit, *sicut Angeli Dei:* tum ex eo quod animæ separatæ omnino sint substantiæ spirituales, nullum actuale cum corpore commercium habentes sicut Angeli; adeoque si non ob-

stante sua spiritualitate, et indivisibilitate locum occupare possint, et moveri localiter, idem de Angelis ferendum erit judicium. Probatur *minor*, tum ex articulo fidei quo credimus animam beatissimam Christi in triduo mortis descendisse ad inferos: nam Concilium Lateranense sub Innoc. III. *Cap. Firmiter*, exponens illum articulum fidei, *Descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in Cœlum*, ait, *Sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit in utroque:* ergo revera Christi Domini anima descendit ad inferos per motum localem corpus suum deserendo, et inferiores terræ partes subeundo. Tum quia justorum animæ statim e corporibus solutæ, dicuntur deportari per sanctos Angelos in locum quietis. Sic *Lucæ* 16. anima Lazari dicitur deportata in sinum Abrahæ: ergo certum est eas de loco in locum moveri.

Reponit Durandus quod ad prædictorum textuum veritatem non sit necesse Angelos substantialiter locum mutare, sed satis esse quod mediante aliquo effectu incipiant apparere, et se præsentes significare ubi antea non apparebant; quemadmodum *Matthæi* 3. dicitur de Spiritu sancto quod *descendit sicut Columba super Christum*; et *Joannis* 3. de Filio quod *descendit de Cœlo*. Unde quemadmodum ille Filii, aut Spiritus sancti descensus non significat in eis mutationem localem; sed solum quod Spiritus sanctus per Columbam, et filius per assumptam humanitatem de novo produxerit aliquem effectum quem antea non edebat: ita a simili, non opus est ut Angeli secundum suam substantiam locum mutent, sed sufficit quod quædam opera alicubi exerceant, ut ad eum locum dicantur moveri. — Contra, toties Scripturæ Sacræ verba debent ad litteram usurpari, quoties nullam in se repugnantiam, aut aliquid implicans, et indecens involvunt: sed tales sunt illi textus motum localem in Angelis affirmantes. Nihil enim exinde sequitur absurdum, ut constabit in solutione argumentorum objiciendorum, sicut grande sequeretur absurdum, si Filius, aut Spiritus sanctus diceretur mutare locum substantialiter; hoc enim apparet impossibile ex ipsamet Scriptura Sacra, quæ Deum ubique præsentem diserte pronuntiat, adeoque incapacem qui substantialiter locum mutet, quod de Angelis dici nequit. Adde quod præfatos contextus cum in modum interpretati fuerint sancti Patres: maxime S. Augustinus *lib.* 1. *Retractationum cap.* 24. ubi ponit differentiam inter descensum Angeli, et descensum Filii Dei, *Quia Filius Dei non descendit, neque venit ubi antea non erat, sed apparuit in humana carne secundum quam antea non erat: Angelus autem revera secundum substantiam deseruit Cœlum, et cœpit esse ubi antea non erat.* Similiter S. Ambrosius, libro *De Spiritu sancto* cap. 10. comparans Spiritum sanctum cum Angelo ait: *Ille cum sit ubique non potest recedere a loco, neque acquirere locum: Angelus vero cum loco definiatur, potest locum acquirere, et deserere.* Quod egregie explicat Diadochus apud Damascenum in Eglogis titulo 17. *Solius*, inquit, *divini Verbi, quod hominem suscepit, proprium est*, (ubique esse) *quod et in terra hac vere et non sola specie visum est, et Cœlum non reliquit, sed omnia semper comprehendentis, uti semper propter incircumscriptam immensitatem naturæ divinæ, quod quidem Angeli non possunt: Quo enim tempore mittuntur in mundum, impossibile est eos in eodem loco esse, et supra Cœlum.* — Hoc ipsum

confirmant omnes alii sancti Patres: sic S. Chrysostomus, *homilia tertia in Epistolam ad Hœbreos*, tractans illa verba, *in ministerium missi*, ait de Angelis: *in multa loca propter nos mittuntur, et ad nostram ministrant salutem... Circa nos cursitant, hoc est eorum ministerium, propter nos in omnes mitti partes*: quod variis Scripturæ testimoniis confirmat, et tandem differentiam missionum Filii divini, et Angelorum explicans ait: *Filius non sicut Angelus fuit missus, non enim a loco in locum transit, sed carnem suscepit, Angeli vero loca mutant, et prioribus, in quibus sunt, dimissis, ad alia veniunt, in quibus non erant*. Concinit S. Gregorius Nazianzenus, *oratione* 34. ubi inter proprietates Angelorum ponit, *Quod omnia loca peragrant, omnibus ubique impigre adsunt: tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem*. Ubi notanda est hæc particula, *ubique adsunt*, ejusque explicatio, per quam satis declarat non esse simul *ubique*, sed posse *ubique* nos juvare, et impigre id facere per promptitudinem voluntatis, et naturæ velocitatem. Quomodo loquitur etiam Tertullianus in *Apolog.* cap. 22. dicens: *Omnis spiritus ales est, hoc est, Angeli, et dæmones; igitur momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est, quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enunciant, velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur*. Ubi per vocabulum *Ales est*, alludit ad sententiam Dionysii in cap. ultimo *De Cœlesti Hierarchia* dicentis, *Angelos depingi pennatos, ut eorum celeritas significetur*: et ratione ejusdem velocitatis dixit Tertullianus *Angelos in momento ubique esse;* utique per velocissimum transitum: qualiter etiam intelligendus est S. Hieronymus *Epistola* 55. ubi tractans illud Apocalypsis 14. *Sequuntur Agnum quocumque ierit* dicit: *Si Agnus ubique:* ergo Martyres, *qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt;* unde subdit: *cum dæmones toto vagentur orbe, et ex celeritate nimia ubique præsentes sint, multo magis Martyres, etc.* Quæ omnia verum, ac realem motum significant: adeoque Angeli non solum revera moventur, sed etiam motu reali, et proprio.

Probat pariter hanc veritatem ratione Doctor Subtilis, *qu.* 9. *num.* 8. Omne receptivum formarum alicujus generis, quod non est ex se determinatum ad aliquam unam ex illis, nec est illimitatum ad illas omnes habendas, moveri potest ab una illarum formarum ad aliam, ut patet de superficie, quæ cum sit plurium colorum receptiva, nec determinata ad illorum aliquem, potest nunc istum, nunc alterum recipere: sed Angelus est receptivus plurium *ubi*, in quibus vere existere potest definitive, ut supra probatum est; et non est magis determinatus ad unum locum, quam ad alium, neque potest omnibus simul esse præsens, sed interdum in uno, quandoque vero in alio, quia nec est infinitus, nec est immensus: ergo mutari potest ab uno *ubi*, et loco ad alterum. — *Deinde*, Angelus habet locum definitum, cui ex natura sua necessario non adest: ergo et mutabilitatem a loco in locum. Consequentia est evidens, quia immutabilitas localis provenire tantum potest vel ex necessaria præsentia in omnibus locis simul, vel ex adhæsione necessaria ad unum locum. ✳ " Angelus autem nec in omnibus locis existit, nec alicui loco illigatur, ut manifestum est et statim probabitur. " ✳ Antecedens vero constat quantum ad primam partem, nempe quod Angelus habeat locum determinatum, siquidem revera est in loco, ut supra probatum est. Patet etiam quantum ad

secundam partem: locus enim realis est quid corporeum; Angelus autem nulli corpori naturali necessitate adhæret, cum nec sit ejus forma substantialis, nec ad ipsum constringatur ex natura sua; adeoque ab ipso præpediri non potest ejus motus, sicut impediri potest motus animæ rationalis, dum in corpore detinetur. — *Denique,* cum Angeli intellectu, et voluntate polleant, possunt cognoscere, et appetere locum: at in eis frustraneus esset ille appetitus, si ad illum locum non possent sese transferre: ergo etc. ✳ " *Confirmat* Doctor ex eo quod si repugnet Angelum moveri continuo, maxime quia sunt substantiæ spirituales: at exinde non obstat. Enimvero anima rationalis a corpore sejuncta est substantia spiritualis et independenter a corpore operans: at illa vere movetur localiter, ut constat exemplo animæ Christi qui in triduo mortis descendit ad inferos; igitur etiam localiter moveri possunt Angeli. " ✳

Secunda pars etiam ex dictis probata manet, nedum enim illi tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum contextus motum in Angelis affirmant, sed etiam ipsum esse verum, et realem significant; quod insuper probatur: Angelus vere, et proprie existit in loco corporali, quamvis non commensurative, sed solum definitive: ergo vere et proprie moveri potest localiter. Consequentia patet, quoniam eo modo convenit rebus finitis et limitatis moveri, quo convenit eisdem esse in loco. *Deinde,* qui vere et proprie mutat locum, unum deserendo, et alterum acquirendo, etiam vere et proprie movetur localiter; motus enim localis fit per veram abjectionem unius termini *a quo,* et acquisitionem termini *ad quem:* sed Angelus dum de Cælo v. g. ad terras descendit, revera cælum deserit, et terram pertingit, siquidem, ut supra dictum est ex sanctis Patribus, non possunt esse naturæ viribus simul in Cælo, et in terra: ergo, etc. *Denique,* quidquid secundum se transit de loco in locum per applicationem suæ substantiæ diversis locis, etiam secundum se, et substantialiter, non autem tantum metaphorice, et æquivoce dicitur moveri: sed Angelus dum alicubi apparet, revera ibi substantiam suam applicat, eamque removet a loco, in quo prius erat: ergo substantialiter, et proprie movetur.

Dices 1: Ex Aristotele 3. *Physicorum textu* 6., motus est actus entis in potentia secundum quod est in potentia: ergo est acquisitio alicujus perfectionis, quam mobile habere non potest, nisi per motum: sed nec *ubi*, nec *locus* potest esse perfectio Angeli: ergo non potest moveri ad illa. Probatur *minor:* omnis perfectio præstantior est perfectibili: sed nec *ubi*, nec *locus* sunt perfectiora Angelo: ergo nec sunt ipsius perfectiones. — **Respondet Doctor** num. 9. negando *minorem* cum *majore* probationis illius: *Etenim*, inquit, *Angelus habet intellectionem, quæ est perfectio potentiæ intellectivæ: tamen intellectio est simpliciter ignobilior, sive imperfectior natura angelica. Et ita potest concedi de* ubi, *vel præsentia corporali cum Angelo, quod sit aliqua perfectio Angeli, sicut aliquis actus dicitur perfectio; sed longe ignobilior illa natura, cui inest.* Adde quod non omnis motus terminari debeat ad perfectionem mobilis; nulla namque perfectio per motum neutrum, et violentum comparatur. ✳ " Accedit quod etsi motus terminari debeat ad aliquam perfectionem, non est necesse quod illa perfectio cedat in bonum ipsius mobilis; sed sufficit quod aliquid utili-

tatis et perfectionis alteri. Sic autem Angeli moventur ad hominum perfectionem et salutem. " ✳

Instabis ex Philosopho 4. *Physicorum:* indivisibile moveri nequit: sed Angelus est indivisibilis: ergo non potest moveri. — **Respondeo**, Philosophum loqui de indivisibili quantitativo, cujusmodi est punctum, quod non movetur motu proprie dicto, per quem videlicet acquirat locum, et ubi circumscriptivum, non autem loquitur de indivisibili substantiali, cujusmodi est Angelus. ✳ " Quin etiam, addit Doctor, indivisibile mathematicum et quantitatis per se existens, puta punctum, moveri potest localiter et continue. Nam sphæra super planum mota describit lineam in ipso plano, ut dictum est in Physicis; ipsa tamen sphæra si sit perfecta non tangit planum nisi in puncto. Igitur indivisibile etiam mathematicum potest moveri localiter et continuo, ac subinde id multo magis Angelo tribuendum est. " ✳

Urgebis: motus est accidens divisibile: sed substantia indivisibilis, qualis est Angelus, non potest esse subjectum accidentis divisibilis: ergo nequit Angelus esse subjectum motus, nec proprie moveri localiter. — **Distinguo minorem**: indivisibile non potest esse subjectum accidentis divisibilis permanentis, idest, habentis omnes suas partes simul, cujusmodi est albedo, et nigredo, concedo: successivi, quod habet esse in fieri ut motus, nego. Vel aliter *distinguo minorem:* non potest esse subjectum motus divisibilis per susceptionem illius divisibilitatis, et extensionis concedo; per commensurationem, et quamdam proportionem ad ipsum, nego: sic enim anima rationalis, licet secundum substantiam indivisibilis, est in corpore divisibili, quod informat, et Angelus in loco divisibili, cui præsens est.

✳ " Dices 2: Successio continua in motu oritur vel ex resistentia mobilis ad motorem, vel spatii divisibilitate quod decurritur, vel medii retardantis actionem motoris. At ex neutro ex his capitibus potest esse successio in motu Angeli. Non quidem ex primo capite, quandoquidem mobile idem sit ac motor, nimirum Angelus qui seipsum movet. Non etiam ex secundo aut tertio capite, quia medium et spatium per quod fit motus angelicus non resistit ipsi Angelo ut motori aut ut mobili, quandoquidem Angelus posset movere se per medium, penetrando ipsum sine ulla motione ipsius mobilis. Igitur in motu angelico nulla potest esse successio. — **Negat majorem** Doctor. Nam successio in motu angelico oritur præcise ex divisibilitate spatii quod decurritur; nam, inquit Doctor num. 41., inter cælum et terram multa sunt media quæ decurrere debet Angelus dum e cælo in terram transit; nec per virtutem suam motivam efficere potest ut illa media simul consistant: ideo illa decurrere debet successive. " ✳

Dices 3: S. Augustinus *lib.* 8. *De Genesi ad litteram c.* 20. docet corpus omne moveri per tempus, et locum: creaturam autem spiritualem non moveri per locum, sed tantum per tempus; Deum autem nullo modo moveri: ergo censet S. Augustinus Angelum non posse moveri localiter. — **Respondeo**, S. Augustinum ibi sermonem instituere de motu circumscriptivo, qualis tantum corporibus competit: non autem de motu definitivo, qui fit absque locali circumscriptione, ut exponit Hugo Victorinus *cap.* 16 adeoque ejus sententia opinioni Durandi non suffragatur.

Dices denique : S. Bernardus, *Serm.* 5. in *Cantica* aperte docet Angelos egere corporibus ad motum, quia, inquit, *Non est discurrere, nec de loco in locum transire nisi corporeum, quod Angelos facere tam indubitata, quam nota probat auctoritas.* Ergo revera Angeli per se non sunt capaces motus. — **Nego consequentiam,** non enim loquitur S. Bernardus de Angelis secundum se spectatis, sed tantum penes ministeria, quæ circa nos obeunt : cum enim initio capitis dixisset: *Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecoris, noster, Angelicus, et qui condidit istos. Non est ex omnibus, cui sive propter se, sive propter alium, sive propter utrumque, necessarium corpus non sit, corporis vel similitudo, excepto duntaxat illo, cui omnis tam corporalis, quam spiritualis creatura merito confitetur, et dicit:* Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Postmodum de sanctis Angelis sermonem faciens ait: *Jam quod et supercœlestes Spiritus opus corporibus habeant, illa maxime certos nos facit vera, et vere divina sententia:* nonne omnes, ait, Administratorii Spiritus sunt missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? *Quonam ergo modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore?* Unde statim subdit: *Denique non est discurrere, nec de loco in locum transire, nisi corporum, quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quam nota probat auctoritas: Hinc est quod et visi sunt Patribus, et ad eos intraverunt, et manducaverunt, et pedes laverunt, etc.* Quibus aperte constat ipsum loqui de Angelis quantum ad ministeria, quæ erga homines exercent, non autem quatenus secundum naturam suam considerantur, nam, inquit Alensis, *quæst.* 33. *membro* 3. ubi « prætatam auctoritatem ita pariter explicat: « Quantum est de natura sua con-« venit Angelis moveri de loco ad locum sine corpore, sive corporis « assumptione, quod utique patet exemplo animarum separatarum : « animæ enim separatæ, inquit, possunt moveri non assumendo cor-« pus : quoniam aut alienum corpus assumerent, aut suum : alienum « non videtur competere : de suo videmus, quod non assumunt; cum « jaceant in sepulchris, quare multo magis spiritus Angelici possunt « moveri sine assumptione corporis, cum ex se, et natura sua sint « separati; nec videantur dependere aliquo modo a corpore, aut ali-« quam relationem habere ad ipsum ».

Conclusio secunda. — Angelus non movetur motu per accidens, et ad motum corporum, quibus inexistit : Sed motu per se. Hæc est Doctoris *in quartum dist.* 10. *qu.* 6. ubi ait: *si Angelus voluntarie faceret sese præsentem lapidi, si moveo lapidem, non propter hoc moveo Angelum, quia nec est mobilis per se a virtute mea, nec per accidens in proposito, quia nec est forma, neque pars alicujus mobilis per se a me. Si ergo Angelus esset præsens lapidi moto a me in termino motus, hoc non esset per actum meum, sed per actionem suam propriam, qua faceret se præsentem ibi.* Quod autem non moveatur per accidens

Probatur : quidquid movetur per accidens, debet habere naturalem unionem, et conjunctionem cum corpore, in quo existit : sed talem unionem, et conjunctionem non habet Angelus cum corpore, in quo est : ergo, etc. *Major* constat ex tertio Notabili, etenim ut aliquid di-

catur moveri per accidens, necessum est quod moveatur ad motum alterius, seclusa omni alia causalitate effectiva; vel ex parte sui, vel ex parte alterius causæ moventis ad ipsum directe terminata. *Minor* vero per se constat, siquidem Angelus cuicumque corpori inexistat, in ipso non est nec per modum formæ substantialis, ut anima in corpore, vel accidentalis, ut albedo in pariete, vel contenti in continente, ut liquor in vase, et nauta in navi; vel corporis gravis in quiete, ut lapis in terra; nec alia potest excogitari naturalis conjunctio, quæ intercedat inter ipsum Angelum, et locum corporeum, in quo est: ergo non videtur cum eo ullam naturalem habere conjunctionem, adeoque non potest ad ejus motum moveri, nisi quatenus ipsemet seipsum cum corpore moto movet, vel a causa superiori, puta a Deo, efficaciter movetur. — *Deinde*, si Angelus ad motum corporis moveretur, simul posset quiescere, et moveri, necnon et duobus motibus contrariis agitari; puta sursum, et deorsum: sed hoc apparet absurdum: ergo et id unde sequitur. Patet sequela *majoris:* si enim Angelus pro loco suo adæquato duos haberet lapides, et unus eorum moveretur, altero remanente immoto, vel alius sursum, alius deorsum projiceretur, necessum esset, quod Angelus quiesceret cum immoto lapide, et moveretur cum lapide projecto, similiter cum uno lapide sursum, cum altero deorsum haberetur, quæ certe cum repugnent, etiam et absurdum est id unde sequuntur. — *Denique*, si Angelus moveri posset per accidens, sequeretur quod etiam invitus moveri posset ab homine; ex hypothesi enim quod v. g. unus Angelus fuisset a Deo destinatus juxta sacras alicujus sancti Reliquias in altari constitutas, et aliquis homo eas manu furtiva, et sacrilega surriperet: si ad motum corporis cui inexistit Angelus moveri deberet, necessum esset eum invitum ad deportationem earum sanctarum Reliquiarum ab homine moveri: sed consequens non solum absurdum apparet, verum etiam et contra experientiam qua constat nullum prævalentem per infirmam imbecillioris virtutem reluctante animo posse moveri: ergo cum Angelus longe sit homine superior et fortior, dici non debet quod invitus ab homine moveatur, et consequenter moveri non potest per accidens.

Probatur etiam secunda pars a Doctore, *in secundum* d. 2. q. 9. et 10; Quamquam enim propriis terminis quæstionem non explicet, nihilominus in toto suo discursu, id manifeste supponit, admittendo in Angelo potentiam receptivam motus, et docendo illum agere in seipso cum se movet. Adde quod, ut mox diximus, aperte docet Angelum non moveri per accidens: necessum est ergo censeat illum moveri per se. *Probatur hujusce assertionis veritas;* illud dicitur moveri per se, quod revera per se est subjectum motus: sed Angelus est revera subjectum sui motus: ergo per se movetur. *Major* constat; res enim mota dicitur a motu: ergo quæ motum in se recipit, et immediate, per se dicitur mota. *Minor* vero probatur, tum quia eo modo Angelus dici debet moveri localiter, quomodo est in loco: sed ut supra probatum est, est in loco fundamentaliter per suam substantiam qua nihil magis ipsi intrinsecum, formaliter autem per respectum præsentiæ ad locum in ipso Angelo receptum: ergo etiam movetur localiter per motum in se residentem. *Minor* constat ex dictis. *Major* vero admittitur ab omnibus Philosophis; cum enim motus localis sit ten-

dentia mobilis ab uno loco ad alterum, necessum est, quod ejus motus illius locationi correspondeat, saltem quantum ad rationem præsentiæ: *Tum quia* idem est subjectum termini motus in facto esse, et in fieri: sed subjectum termini in motu locali in facto esse, est ipsa substantia Angeli præsens huic loco quem per motum acquisivit: ergo eadem est etiam subjectum illius termini in fieri, et consequenter motus localis; quoniam motus localis nihil aliud est quam ipse terminus in fieri seu acquirendus: *Tum denique* quia motus Angeli est ipsa acquisitio successiva *ubi*, seu existentiæ Angeli præsentis in alia atque alia parte spatii: sed hujusmodi existentia, et præsentia revera est in Angelo: ergo pariter in ipso est motus.

Dices: Si motus Angeli esset quid reale in ipso receptum, sequeretur toties Angelum realiter mutari quoties movetur; sed consequens videtur absurdum: infinitis enim realibus mutationibus foret obnoxius, quod præstantissimam naturam creatam, et Deo omnino immutabili valde proximam, videtur dedecere: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: foret obnoxius mutationibus per formas reales absolutas quæ physice, et entitative ipsum immutarent, nego: per formas respectivas, seu per relationes quæ nullam physicam, et entitativam mutationem pariunt, sed solum denominationem ad aliquid extrinsecum, nego: motus enim Angeli ultra ejus substantiam non dicit aliquam entitatem absolutam, sed solum actionem qua formaliter, et immediate Angelus acquirit successive existentiam propriæ substantiæ, seu respectum præsentiæ illius substantiæ ad hoc vel illud spatium per quod transit, et ad locum determinatum tendit: is autem respectus nullam realem, et entitativam mutationem importat, alioquin millies in qualibet temporis morula realiter homo mutaretur; quippe cum innumeras de novo suscipiat relationes et correlationes.

Conclusio tertia. — Angelus seipsum movere potest localiter. Ita Doctor *in secundum* d. 2. q. 10. et communis est apud Theologos.

Probaturque 1. Ex Scriptura sacra quæ de Angelorum motu eodem modo sermonem instituit ac de motu hominum, vel aliorum animalium se moventium: eisdem enim verbis significantibus motum procedentem a principio intrinseco rei se moventis utitur. Sic dæmon *Job.* 1. dixit: *Circuivi terram, et perambulavi eam*, et de ipso S. Petrus *Epistola prima* cap. 5. ait: *Circuit quærens quem devoret:* unde *Lucæ* 8. *Matthæi* 4. *et Joannis* 13. dæmonibus attribuuntur verba *veniendi, accedendi, ingrediendi, et egrediendi:* sic Christus præcipiebat *spiritui immundo ut exiret ab homine:* sic Christum rogabant dæmones, *ut permitteret eis in porcos ingredi:* quibus constat dæmones tamquam habentes potestatem se movendi solum petiisse, ut permitterentur ingredi porcos, hoc est, ut non prohiberentur. Idipsum aperte convincitur ex illis Christi verbis Matthæi 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit: Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi, et veniens invenit eam, etc. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi:* in quibus, ut scite advertit Suarez lib. 4. cap. 23., sex aut septem verba sunt quæ significant motum localem, et ab intrinseco, scilicet verbum

intrandi, exeundi, ambulandi, quærendi, revertendi, veniendi, vadendi, et assumendi. Hæc enim dici non possunt de re, quæ seipsam movere non potest, sed ab alio tantum moveri. — Ex his etiam, inquit Suarez, sumitur optima ratio quam attigit Gregorius : quia omnes dæmonum motus, et itinera ad malum finem, scilicet perniciem hominum ordinantur, juxta illud *circuivi terram, et perambulavi eam :* ergo dici non potest, quod illi motus a solo Deo specialiter fiant ad arbitrium ipsius dæmonis ; impium enim esset ita de Deo existimare: ergo necesse est fateri ab ipsis dæmonibus se moventibus fieri. Probatur consequentia, quia si Angelus non se movet ; multo minus unus Angelus poterit movere alium : ergo a solo Deo moveri poterit, et ut talis motus non sit Angelo violentus vel necessarius, oportebit Deum tunc solum movere Angelum cum ipse moveri vult, ac proinde ipsum solum ducere dæmones quando ipsi tentare nos volunt ; quod repugnat præfatis Scripturæ textibus.

Conclusionem probat Doctor *loco laudato hac ratione :* quotiescumque aliquid habet potentiam ad acquirendum aliquid per motum, perfectio est in eo quod habeat quoque potentiam activam, per quam possit illud acquirere : at vero Angelus habet potentiam passivam ad motum localem, ut mox diximus, siquidem Angelus est subjectum sui motus : ergo illi non est deneganda activa : quandoquidem, ut ait Aristoteles, dignificanda est natura quantum apparentia permittunt. Patet consequentia, quia Angelus non est minoris conditionis quam res corporeæ, et inferiores creaturæ ; immo est illis longe nobilior : atqui in illis cum potentia receptiva alicujus perfectionis, simul etiam reperitur activa virtus, ut patet in animantibus, in quibus est quoque potentia passiva, et activa ad augmentum, et operationes sensuum, et ad seipsos movendum : patet etiam in rebus inanimatis, nam ex eo, quod gravia habeant potentiam passivam, ut sint in centro, habent etiam potentiam activam, ut possint illud acquirere : ergo multo magis si sit in Angelo potentia passiva, gaudet quoque activa; quidni autem moveret se, si ad movendum aliam virtutem activam habeat? — *Confirmatur,* quia movere se est gradus vitæ, quo Angeli fruuntur: ergo movent se. Insuper, Angeli sunt viventes perfectissimi, et naturaliter non sunt ubique, et ideo mutationis localis capaces sunt : ergo possunt illam in se efficere. Probatur consequentia, quia supposita imperfectione propriæ limitationis, ad perfectionem vitæ pertinet facultas intrinseca se movendi, cujus argumentum est, quia inferiora viventia si participant cognitionem non solum intellectualem, sed etiam sensitivam, perfectam virtutem habent se movendi localiter : quis ergo dubitabit Angelos multo perfectius movere se posse, præsertim cum in hoc nulla sit difficultas, vel apparens repugnantia?

Objicies: nihil idem secundum idem potest esse in potentia, et actu simul : sed movens qua movens, est in potentia ad motum, et quod movetur ut sic, est in actu motus, seu habet motum actu : ergo nihil idem indivisibile potest esse simul movens, et motum, seu potest simul movere, et moveri, et consequenter Angelus nequit se movere. *Confirmatur,* quia aliquæ differentiæ contrahentes, ac dividentes ens finitum ut sic, sunt incompossibiles in eodem, ut patet de differentiis, quibus contrahitur ens ad substantiam, et accidens : ergo

a pari, differentiæ actus, et potentiæ, quibus contrahitur ens ut sic, nequeunt reperiri in eodem. — **Negat majorem Doctor**: sed illam *distinguo;* nihil potest esse in potentia, prout dicit carentiam actus, et in actu simul, concedo *majorem:* nihil potest esse in potentia virtuali producendi, aut suscipiendi actum, et simul in actu formali, idest, simul habere actum formalem, nego *majorem*. Similiter distinguo *minorem:* sed quod movetur est in potentia ad illud quod movetur, prout potentia dicit talem carentiam pro illo instanti, aut tempore quo movetur, et quod movet est in actu; idest, habet actum oppositum isti carentiæ, nego *minorem:* est in potentia, prout potentia non dicit talem carentiam, et in actu simul, concedo *minorem*, et nego consequentiam. *Ad confirmationem dicit Doctor*, quod omnino opposita dividentia ens, quæ vere opposita sunt, realiter nequeant reperiri in eodem; et consequenter, quod esse in actu, et potentia, prout sunt differentiæ entis sic oppositæ, nequeant reperiri in eodem; sed nego, quod talia reperiantur in eodem. Itaque quando dividitur ens finitum, ut sic, in ens in actu, et ens in potentia, non accipitur ibi ens in potentia pro ente productivo, aut susceptivo alicujus, et ens in actu pro ente habente talem actum, alias materia prima non posset simul cum forma habere potentiam susceptivam ejus, et quia alias male sic divideretur, et absque fundamento, et contra veritatem: sed ibi accipitur *ens in potentia* pro ente possibili non actu existente, et *ens in actu* pro ente actu existente; evidens autem est, quod omne ens sit, aut in actu, aut in potentia hoc modo, et quod nullum ens sit simul in actu, ac in potentia hoc modo.

Dices 2: In illo qui se movet, debet distingui pars se movens a parte per se mota: sed in Angelo nequit assignari pars movens, et pars mota: ergo non se movet. Probatur *major* tum auctoritate Aristotelis, *libro Physicorum;* tum etiam ratione, quia si una pars moveret alteram, sequeretur quod totum simul quiesceret ad quietem unius partis, et non quiesceret ad motum alterius. — **Respondeo**, *majorem* esse veram de substantia corporea movente se motu organico, in ea siquidem hæc concurrunt ad motum, nempe cognitio quæ primo movet partem illam corporis quæ primo impellitur, quia potentia motiva concurrens ad talem motum est organica, et consequenter non solum distinguitur ab anima realiter quæ est primum movens, sed etiam fortassis ipsamet potentia organica residet in aliqua parte corporis, et primo movere debet aliquam aliam partem. Sed ex hoc non sequitur quod quidquid aliud moveatur a se alio motu non organico debeat habere duas partes realiter distinctas, ut patet in gravibus, et levibus, in quibus quælibet pars movet, et movetur, quia quælibet pars habet intrinsecum principium activum, et passivum sui motus. Unde non mirum si in Angelis, quorum substantia est indivisibilis, ad eorum motum non ita requiratur una pars movens, et altera mota. Adde quod in eis etiam, saltem metaphorice, assignari possit pars movens, et mota; nam eorum substantia movetur per voluntatem.

Objicies 3. Potentia naturalis Angeli debet ordinari ad aliquem finem naturalem juxta naturalem ordinem Universi: sed potentia motiva secundum locum respectu ipsius Angeli ad nullum finem naturalem potest deservire: ergo non est in illo. Probatur *minor:* Angelus

numquam movetur propter sui indigentiam, neque etiam propter indigentiam naturalem aliarum rerum, eo quod universæ res inferiores sufficienter adjuventur ex motibus cælestium corporum ; imo et ipse homo, quod attinet ad corpus, et ad omnes potentias animales, sufficienter etiam juvatur in suis operationibus ex cælestibus motibus ; quod vero attinet ad mentem, immediate subjicitur ipsi Deo, qui solus potest immediate contingere intellectum, et voluntatem : ergo superflua est hujusmodi naturalis virtus motiva secundum locum respectu ipsius Angeli. — **Nego minorem**, illa namque potentia activa non est in Angelo frustranea, tum quia ipsa indiget ut rerum singularium species a rebus sibi remotis per suum ad eas accessum possit accipere : tum etiam ut operationes aliquas ad Universi moderationem spectantes possit exercere, quas aliter non posset exercere : tum denique, quia motus ille maxime dicit libertatem angelicam, qua possit de loco in locum se transferre.

Objicies denique : relationes oppositæ non possunt eidem extremo reali competere : sed relationes moventis, et moti sunt oppositæ : ergo idem Angelo convenire nequeunt. — **Respondeo cum Doctore**, in 2. dist. 25., quod relationes sunt triplicis generis : *Quædam* enim sunt, quæ repugnant inter se, non ex eo quod non possint esse in eodem fundamento, sed quia aliquæ illarum includunt essentialem dependentiam ; sicut relationes causæ, et causati : et quia idem non potest dependere essentialiter a *seipso*, ideo istæ relationes non possunt eidem convenire. *Aliæ* sunt relationes, quæ includunt essentialem ordinem originis, ut sunt relationes producentis ad productum, et sic implicat, quod idem sit producens, et productum. *Aliæ* autem relationes sunt (uti moventis, et moti) quæ nec includunt dependentiam essentialem, nec originem, et ideo possunt fundari in eadem natura, et in eodem supposito, nec arguunt nisi dependentiam accidentalem. Neque ex hoc sequitur, quod ista relatio sit ejusdem ad seipsum, quamvis eadem voluntas, et idem Angelus sit movens, et motus : nam si Angelus consideretur ut causans motum in se, fundat relationem moventis ; si autem consideretur Angelus præcise quatenus recipit motum in se, tunc fundat relationem moti, et sic tantum requiritur, quod illa forma, ratione cujus Angelus movetur, nempe modo passiva, sit realiter distincta ab ipso Angelo movente, et moto. Hæc Doctor.

Ex his collige primo, quod potentia locomotiva Angeli ab ejus substantia non sit distincta realiter : distinctio namque ista esset omnino superflua, quippe cum non idem inferendum sit de potentia locomotiva Angeli, ac hominis ; siquidem cum potentia locomotiva hominis sit organica, pendeatque a facultate externa, et corporea, haud dubium est illam esse ab anima rationali realiter distinctam : secus autem est de Angelis, qui cum corporis, et facultatis corporeæ sint expertes, non apparet qua ratione eorum locomotiva potentia realiter distinguatur, tum ab Angeli substantia, tum ab ejus voluntate ; probabilius igitur mihi videtur illam eamdem esse omnino cum voluntate ; quippe cum non sint multiplicandæ facultates absque necessitate ; nulla autem apparet necessitas admittendi facultatem locomotivam ab angelica voluntate distinctam ; siquidem angelica voluntas

habet suam entitatem, et substantiam sibi subordinatam quantum ad locum, et motum; et consequenter sola sufficere potest ad efficiendum motum, et suam propriam substantiam alicubi movendam, et locandam.

Collige secundo. Angelum quemlibet moveri posse a Deo extrinsece, ita ut ipse solum concurrat passive ad talem motum: tum quia id non repugnat ex parte ipsius Angeli, cum non sit ubique, et moveri possit, nec moventi resistat: et quamvis resisteret, ejus resistentia, quoniam est finita, posset superari ab agente majoris virtutis. Neque etiam repugnat *ex parte motus localis* absolute, et in communi, quia motus Angeli non est vitalis, et ex consequenti non postulat, quod necessario fiat a principio intrinseco ipsius mobilis. Neque denique repugnat *ex parte agentis*, quia vel Angelo superiori, vel saltem Deo non deest virtus ad hujusmodi effectum, neque in eo involvitur aliqua imperfectio, quæ Deum dedeceat: ergo Deus Angelum per se movere potest. Posset etiam Angelus superior movere inferiorem, etiam resistentem propter majorem in illo virtutem, sicut animal fortius movet minus forte, etiam invitum. Sic Magi, qui dæmones habent potentiores, aliorum machinationes evertunt, uno scilicet dæmone superiori alium interiorem coërcente: sic etiam dæmones animas damnatas indubie invitas rapiunt ad infernum. Qualiter autem id fiat, non ita facile est determinare: verisimile tamen apparet, quod Angelus potentior se uniat, et quodammodo alliget inferiori, quo posito sequitur ipsius quies vel motus, prout Angelus alligans quieseit, vel movet seipsum: sicut enim Angelus superior se potest ad certum locum determinare, et alligare, sic non apparet cur non possit alteri spiritui se pariter alligare, ut eum deferat, et detineat quolibet, et quamdiu libuerit. Quod si spiritus alterum alligans non sit, vel maneat ipsi alligato præsens: facilius explicatur illa alligatio dicendo, quod fiat tantum a Deo, moraliter autem a spiritu, prout Sancti nonnulli referuntur imperio suo detinuisse dæmonia: qualiter etiam Angelus Raphaël dicitur alligasse dæmonem Asmodeum in deserto.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS, ET QUOTUPLEX DISTINGUI POSSIT MOTUS ANGELICUS.

Notandum 1. Motum localem solito quadruplicem distingui, nempe Continuum, Discretum, Successivum, et Instantaneum. *Continuus* dicitur ille, in quo mobile per partes deserit terminum a quo, et acquirit terminum ad quem. *Discretus* e contra ille est in quo mobile deserit totum simul terminum a quo, et immediate acquirit simul totum terminum ad quem: ita tamen ut in ultimo suo esse in termino a quo veluti quiescere videatur, antequam immediate inexistat termino ad quem per primum sui esse in illo. *Successivus* idem est omnino cum continuo, nisi forte in hoc invicem discrepent, quod motus continuus appelletur ille, quo mobile pertingit ad locum suum adæquatum a motore intentum, et propositum in inceptione motus: successivus vero sit ille, quo mobile interdum non pertingit ad locum adæquatum propositum, sed in medio subsistit; unde fit quod omnis

motus continuus sit etiam successivus; omnis vero successivus hac ratione dici non debeat continuus. *Instantaneus* denique dicitur ille motus, quo mobile deserit terminum a quo, et acquirit terminum ad quem eodem momento; ita ut hæc unius termini abjectio, et alterius acquisitio uni tantum instanti nostri temporis coëxistat. Hinc apparet, quod motus continuus discreto, et successivus instantaneo directe opponatur. Quærimus ergo an hoc duplici, seu quadruplici motu locali Angeli moveantur.

Notandum 2. Divisibilitatem motus ex triplici capite maxime esse repetendam. *Primo* quidem ex parte mobilis, quando nempe illud est extensum et divisibile, habetque partes extensas, ita quod una moveri non possit nisi post alteram, qualis est motus animalis. *Secundo,* ex parte spatii extensi, et habentis varias partes quarum una decurri non potest nisi post aliam, puta aër medius inter cælum, et terram. *Tertio* ex parte durationis temporaneæ; cum enim tempus sit mensura motus secundum prius et posterius, ac proinde secundum successionem, necessum est, quod mensuratum sit divisibile, quando mensura est divisibilis. Hinc toties motus dicendus est divisibilis, quoties mobile partes habet distinctas, aut spatium ita protensum et dispositum est, ut una pars prius decurri non debeat quin decurratur altera; vel dum motus per aliquam temporis successionem durat: non est autem necesse, quod hæc tria simul concurrant, ut motum vere divisibilem constituant, sed sufficit quod alterutrum intercedat in ipso motu. Certum est autem, quod angelicus motus dici nequeat divisibilis ex parte ipsius Angeli, cum ejus substantia sit omnino indivisibilis: an autem divisibilitatem obtineat a spatio quod decurritur, vel a tempore quo durat, hic est resolvendum.

Notandum 3. Motum considerari posse dupliciter: primo quidem in genere, et quatenus complectitur omnem transitum a termino a quo ad terminum ad quem; sive ille transitus supponat aliquid medians inter utrumque terminum, sive non. Secundo in specie, prout revera significat, non solum omnem talem transitum, sed et medium inter utrumque terminum, quod mobile debeat pertransire, ut a termino a quo pertranseat ad terminum ad quem. Prior dicitur potius mutatio, quam motus, complectiturque omnes illas mutationes instantaneas generationis et corruptionis, illuminationis et tenebrarum, etc. quas Philosophi motum solent appellare, sed laxius et minus proprie usurpato vocabulo *motus*. Posterior vero tantum significat illam tendentiam mobilis a termino a quo ad terminum ad quem per spatium medians inter utrumque. De utroque hic erit sermo. Tria namque hic sunt determinanda: *Primum*, an Angelus per se moveri possit localiter motu continuo: *Secundum*, an moveri queat motu discreto: *Tertium*, an in instanti possit transire ab eodem loco ad alterum per verum motum, aut solum per veram mutationem.

Conclusio prima. — Angelus potest moveri per se de loco ad locum motu continuo, et successivo. Ita Doctor in secundum dist. 2. q. 9. n. 8. ubi cum dixisset Angelum posse seipsum movere, *Quia non est immensus, et illimitatus ad omnia ubi: ergo potest mutari ab uno ubi ad aliud:* addit: *et quod continue, patet:*

quia inter duo ubi sunt infinita ubi media, quod probatur ex continuo motu corporis per omnia illa ubi : per omnia autem illa potest Angelus transire, ita quod in nullo illorum ubi sit nisi indivisibiliter, et per consequens non potest omnia illa pertransire nisi continue moveatur. Quibus Doctor non solum affirmat Angelum posse moveri, sed etiam quod moveri possit continue absque intermissione ulla per aliquod tempus, puta per quadrantem, aut horam, aut diem : quod utique probat, quia inter duo loca, a quorum uno ad alterum potest moveri Angelus, ita ut necessario debeat relinquere locum priorem priusquam posteriorem acquirat, sunt vel infinita loca acquisibilia successive, ex hypothesi, quod dentur infinitæ partes in continuo, sive actu, sive potentia, ut communiter conceditur ; aut saltem sunt plurima loca intermedia successive, et continue acquisibilia, alioquin corpus non posset successive, et continue moveri ab uno loco ad alium : ergo Angelus movendo se ab uno loco ad alterum, potest continue per illa loca intermedia seipsum successive, et continue movere. — *Confirmat Doctor* hanc rationem ex eo quod si Angelus non posset continue seipsum movere sicut et corpora, maxime quia substantia ejus est spiritualis et indivisibilis : sed hæc ratio non officit ; anima namque rationalis est pariter substantia omnino indivisibilis, separata tamen a corpore moveri potest localiter, idque motu continuo : *Imo*, inquit, *Anima Christi beatissima movebatur localiter, quia descendit ad Inferos, sicut dicit articulus fidei : Patet etiam ex Scriptura, quod Angeli mittebantur quandoque cum corpore assumpto, et si tunc cum corpore movebantur, videtur quod tunc fuerit aliqua motio passiva ipsorum, alia formaliter ab ipsa motione passiva ipsius corporis, quia non erant formaliter aliquid ipsius corporis. Similiter credibile est, quod frequenter missi sint sine corpore, sicut de illo misso ad Joseph de conceptu beatæ Mariæ dubitantem.*

Probatur: Angelus potest successive deserere locum aliquem, et eodem modo acquirere alterum sine ulla interruptione : ergo potest moveri de loco ad locum continue. Consequentia patet. Probatur antecedens: quando Angelus est in loco minori, eo qui sibi est adæquatus, potest paulatim, et successive deserere partem ejus, ita ut remaneat in minori, et acquirere majorem intra latitudinem loci adæquati : ergo etiam potest successive, et per partes deserere totum locum in quo est, seipsum transferendo eodem modo ad alterum locum totalem. Patet hæc consequentia, nulla enim apparet ratio cur non possit Angelus hoc modo deserere, et acquirere locum totalem sicut partialem. Probatur antecedens: Angelus libere sese applicat majori, aut minori loco intra latitudinem loci sibi adæquati : ergo etiam postquam est in aliquo loco minori adæquato, potest aut deserere partem ejus, non simul, sed per partes, aut extendi ad majorem locum, non enim potest aliter intelligi quomodo sit Angelo liberum, postquam est in loco sese vel ad minorem locum aretare, vel ad majorem protendere intra latitudinem sui loci adæquati. *Deinde*, si repugnaret Angelo moveri motu continuo, et successivo, maxime quia ejus substantia est indivisibilis : sed anima rationalis quamvis sit indivisibilis potest successive deserere partem aliquam materiæ illius, quam informat, quando nempe aliqua pars corporis successive corrumpitur, et tabescit : similiter extendi potest

ad informandam novam partem substantiæ, quæ per continuam nutritionem aggeneratur: ergo pari ratione poterit Angelus, non obstante sua indivisibilitate, aut deserere partem ejus loci adæquati in quo est, aut se extendere ad alias ejusdem loci partes successive acquirendas. *Confirmatur*, non magis repugnat Angeli indivisibilitati acquirere locum extensum successive, quam esse in loco extenso, et indivisibili: sed secundum est possibile: ergo et primum. — *Denique* Angelus potest transire ab uno loco ad alterum transeundo per omnia loca intermedia, nullum relinquendo impertransitum, et in eorum nullo quiescendo: ergo potest moveri motu continuo, et successivo. Consequentia patet, quia non potest moveri per omnia illa media *ubi* nulla media quiete, nisi motu continuo, ac successivo. Antecedens vero probatur, quia corpus potest omnia illa media transire: ergo et Angelus. Patet consequentia, quia in hoc minor repugnantia apparet. Item ad continuitatem, et successionem motus sufficit divisibilitas spatii: ergo Angelo, etsi indivisibilis sit, non repugnat moveri continue. Consequentia est aperta, præsertim cum Angelus possit in loco divisibili existere. Antecedens vero patet ex secundo Notabili.

Dices 1: Angelus est indivisibilis secundum substantiam: ergo non potest moveri motu continuo. Probatur sequela, nam ad motum continuum requiritur, quod movens sit partim in termino a quo, et termino ad quem: quia quod movetur, non movetur quando est in termino a quo, tunc enim quiescit, neque quando est in termino ad quem, quia jam mutatum est: ergo quod movetur continue, partim debet esse in termino a quo, et partim in termino ad quem: sed Angelus est impartibilis: ergo non potest moveri localiter continue. *Confirmatur*, quia mobili indivisibili debet correspondere locus indivisibilis: ergo si Angelus pertransit continue aliquod spatium, necessarium erit, quod suo transitu numeret infinita indivisibilia, quæ sunt in spatio, attingendo unum post alterum, quod tamen est impossibile; quoniam multitudo, quæ potest numerando pertransiri, habet terminum, et ex consequenti non est infinita. — **Respondet Doctor** loco supra laudato, num. 36: *Quando dicitur, quod Angelus non possit moveri, quia est indivisibilis, quamvis potest faciliter responderi, quod Angelus occupat locum divisibilem, et ideo respectu loci se habet, ac si esset divisibilis, aut si occupat locum punctalem, et ita impunctaliter existens non potest continue moveri, ut semper habeat esse punctale; tamen quia non videtur ratio quare negatur indivisibile moveri, etiamsi esset indivisibile quantitatis per se existens: ideo potest concedi, quod Angelus habens ubi punctale potest continue moveri, ut in puncto semper existens.* Inde probat indivisibile posse moveri localiter etiam continue, ut constat ex motu sphæræ, et cubi super perfecte planum: quoniam, inquit, divisibilitas, et successio motus provenit ex divisibilitate mobilis, vel spatii, quorum alterutrum ad motus divisibilitatem et successionem sufficit.

Dices 2: Successio continua in motu oritur ex resistentia mobilis ad motorem, vel medii per quod fit motus ad ipsum mobile, quod per ipsum movetur, vel medii ad motorem, qui per ipsum movet: sed nullo ex his capitibus potest esse successio in motu Angeli: ergo motus ejus nequit esse successivus continue. Probatur *minor*, quia non

ex primo capite, quandoquidem mobile hic sit Angelus, et idem Angelus est motor quando movet se : Angelus autem sibi ipsi non resistit. Non etiam ex secundo, aut tertio capite, quia medium per quod fit motus angelicus non resistit Angelo ut motori, aut ut mobili, quandoquidem Angelus posset movere se per medium penetrando ipsum sine ulla motione medii. *Confirmatur*, quia corpus per medium vacuum non moveretur successive, quandoquidem tale medium non resisteret ipsi : sed medium plenum non magis resistit Angelo, quam medium vacuum resisteret corpori : ergo Angelus nequit moveri successive per ullum medium, sive corporeum, sive vacuum. — **Negat minorem Doctor** *loco laudato n.* 40. ubi duplicem distinguit successionem in motu, aliam quæ ipsi convenit ratione spatii, alteram quæ ipsi tribuitur ex resistentia medii, quod tacile non potest decurri, puta propter suam crassitiem, qua fit ut tacile mobili non cedat. Prima est essentialis : secunda accidentalis. Essentialis convenit illi ratione spatii cujus cum partes non sint simul, etiam simul non possunt decurri, et pertransiri, quapropter necessum est, quod mobile quodcumque successive pertranseat, unam post aliam decurrendo : sic Angelus a Cælo in terram descendens necessario debet medium aerem successive decurrere. Successio vero accidentalis, quæ provenit, vel ex resistentia medii, aut ex majori, vel minori impedimento ex parte ipsius vincendo, non potest habere locum in Angelo ; quippe nec medium ipsi potest resistere, nec in eo aliquod esse impedimentum ratione cujus velocius, vel tardius terminum acquirat. Inde concludit Doctor *n.* 43. quod fieri potest motus successivus in vacuo, loquendo de successione essentiali, quia nempe motus ille corresponderet partibus loci repleti ; non esset tamen successivus accidentalis, quippe non haberet majorem vel minorem velocitatem, « omnino enim, inquit Doctor, nullam « velocitatem aut tarditatem superadditam haberet mobile in vacuo, « sicut haberet in pleno : ratione videlicet spatii facilius aut difficilius cedentis mobili ».

Dices 3: Si Angelus moveretur continue, sequeretur interiorem Angelum pari velocitate moveri cum superiori Angelo, quamvis uterque omnem suam virtutem locomotricem explicaret : sed consequens videtur absurdum : ergo et illud unde sequitur. *Minor* patet, quo enim agens majorem habet virtutem, ceteris paribus, præstantiorem effectum debet edere : cum igitur Angelus superior præstantiori natura, adeoque vegetiori facultate locomotiva polleat, quam inferior, evidens est, quod si uterque omnem suam movendi virtutem locomotivam explicet, superior velociori et promptiori motu spatium debeat decurrere, et terminum ad quem obtinere. Probatur itaque sequela *majoris* : si Angelus superior moveat se motu continuo et successivo, oportet impendat aliquod temporis spatium in illo motu perficiendo : sed quantumcumque breve foret illud spatium temporis, in altero æquali, posset Angelus interior eadem velocitate de Cælo ad terram descendere, quippe cum nullam resistentiam patiatur ex parte spatii a qua possit in motu aliquantulum retardari : ergo, etc. — **Respondeo** 1. negando *majorem* : siquidem, ut mox dictum est, successio motus Angeli non solum petenda est ex parte spatii resistentis, sed etiam ex parte illius spatii, quatenus est divisibile, habetque partes non simul positas,

sed extensas, quarum una decurri debet post alteram. *Respondeo* 2. negari posse *minorem;* quamquam enim unus Angelus alium excedat in virtute locomotiva, non tamen inferendum est, quod altero velocius moveri debeat; posset enim Angeli superioris virtus motiva virtutem inferioris in pluribus aliis excedere, puta quod posset majus corpus movere, vel æquale majori velocitate agitare, imo ipsum Angelum inferiorem etiam invitum et renitentem loco detinere, et præpedire ne moveatur: quemadmodum v. g. non sequitur, quod quamquam corpus aliquod luminosum aliud in virtute illuminativa excedat, quod possit velocius, aut citius illuminare; imo id videtur fieri non posse, cum utrumque in instanti illuminet. Satis est ergo ad illam diversitatem, quod luminosum præstantius, majus lumen diffundat, et in majorem distantiam.

Conclusio secunda. — Angelus moveri non potest naturaliter motu discreto. Hæc est Doctoris in 2. dist. 2. qu. 11. contra S. Thomam, et nonnullos ejus sequaces.

Probatur: moveri motu discreto est deserere per ultimum suum esse, totum terminum a quo, et immediate post sine ulla successione acquirere terminum ad quem: sed hoc præstare nequit Angelus naturæ viribus: ergo moveri nequit motu discreto. *Major* admittitur ab adversariis. *Minor* vero probatur: dari nequeunt duo instantia immediata indivisibilia, alioquin sequeretur dari aliquid compositum ex indivisibilibus: sed in motu discreto necessarium esset, quod existerent duo instantia immediata; oporteret enim ut daretur ultimum instans, in quo Angelus esset in termino a quo, et primum instans, in quo fieret præsens termino ad quem: sed ultimum instans in quo Angelus est in termino a quo, et primum instans, in quo inexisteret termino ad quem, necessario debent esse duo instantia distincta: ergo fatendum est in illo motu discreto necessario admittenda esse duo instantia immediata. *Minor* patet, instantia enim illa intrinseca sunt oppositis terminis, nempe termino a quo, et ad quem: ergo pariter debent esse opposita et distincta.

Reponunt Thomistæ, quod licet in tempore nostro duo instantia non possint sibi immediate succedere, bene tamen in tempore discreto, et angelico, quo motus discretus, et operationes liberæ Angeli mensurantur, nam, inquiunt, tempus illud nihil aliud est, quam indivisibilium durationum, sive instantium numerus. — **Contra**, unicuique illorum instantium temporis discreti respondet aliquid temporis nostri, quodcumque etenim eorum habet durationem determinatam etiam per respectum, et ordinem ad nostrum tempus, siquidem Deus novit determinate, et distincte quanta esset illius discreti motus duratio: sed in tempore nostro tantum reperiuntur partes divisibiles, sive instantia indivisibilia continuativa partium divisibilium temporis; quodcumque vero instans motus angelici conferri potest aut cum parte præterita, aut cum futura nostri temporis: ergo necesse est quod unicuique illorum duorum instantium temporis discreti respondeat in tempore nostro, vel unicum instans, vel quod primo instanti temporis discreti respondeat prior pars temporis nostri cum instanti terminativo illius, et quod secundo respondeat pars temporis subsequens cum instanti

illius initiativo: idem enim instans in tempore nostro est terminativum prioris partis, et initiativum posterioris, vel saltem sequitur, quod uni respondeat solum instans temporis nostri, et alteri pars ejusdem temporis; sed utrumque est absurdum. Primum quidem, sequeretur enim illa duo instantia nostri temporis esse sibi invicem immediata: etenim si inter illa mediaret aliquod tempus, verificari non posset, quod secundum instans motus discreti esset primum non esse Angeli in termino a quo; quippe cum in illo tempore intermedio prius verum fuisset dicere: Angelus non est in termino a quo. Adde quod sequeretur Angelum immediate non transire ab uno termino ad alterum, ut volunt adversarii; necessarium enim esset, quod illo tempore intermedio, priusquam pertingeret terminum ad quem, esset in aliquo loco medio inter utrumque terminum, nec consequenter deserendo terminum a quo per ultimum sui non esse, non acquireret terminum ad quem per primum sui esse in eo. Secundum etiam dici nequit, alias sequeretur non dari aut primum esse Angeli in termino ad quem, aut ultimum esse ejusdem in termino a quo, quia neque datur prima, neque ultima pars temporis.

Reponunt 2. Non videri inconveniens, quod alicujus rei incœptio, aut desitio indivisibilis fiat in tempore, quando non sit in eo per se, et tamquam per propriam mensuram, sed tantum per accidens, et secundum quamdam coexistentiam; quia non est judicandum de natura durationis alicujus rei per ordinem ad quamcumque aliam durationem cui coexistit, sed per ordinem ad eam, quæ habet rationem mensuræ respectu ipsius; et ita existentia Angeli in termino a quo diceretur desinere indivisibiliter, et per ultimum sui esse, et in termino ad quem incipere per primum sui esse, quia quod ita desinit, et incipit per ordinem ad propriam mensuram, idest, ad tempus discretum, licet incipiat aut desinat coexistendo parti divisibili nostri temporis, non minus incipit, aut desinit indivisibiliter. Sicut esse substantiale Angeli non minus incipit, aut desinit indivisibiliter, quam existentia in loco, et tamen non repugnat, quod suum primum, aut ultimum esse coexistat tempori nostro, alioqui non posset unus Angelus creari immediate post alium per respectum ad nostrum tempus; quia si creatio primi Angeli coexistit instanti nostri temporis, necessarium erit, quod creatio secundi coexistat tempori, eo quod in tempore nostro non dentur duo instantia immediata. — **Contra**: repugnat, quod acquisitio termini ad quem coexistat tempori habenti partes, et fiat simul, et indivisibiliter; nam vel illa acquisitio in fieri coexistit secundum se totam toti tempori, et secundum diversas partes distinctis partibus temporis, ita ut tantum una illius pars respondeat uni parti temporis, et altera alteri: aut tota coexistit simul toti tempori, et tota singulis partibus: sed neutrum dici potest. Non primum, alioquin sequeretur, quod illa acquisitio non fieret tota simul, sed successive, et per partes, quod in motu discreto negant adversarii. Non etiam secundum, etiam si in qualibet parte illius temporis sit tota acquisitio, sequitur quod fiat infinities, quia in quolibet tempore sunt infinitæ partes aliquotæ. Adde quod duæ medietates temporis non possint esse simul; sed adveniente secunda recedit prima, idemque dicendum de aliis partibus: ergo illa termini acquisitio non potest simul coexistere toti alicui tempori.

Probatur secundo Conclusio: motus localis essentialiter est transitus medius inter duos terminos: sed si Angelus deserat simul terminum a quo, et simul etiam acquirat totum terminum ad quem, non potest inter duos illos terminos mediare aliquis transitus: ergo neque sic fieri motus localis ab uno ad alterum. *Major* constat: omnis enim motus, maxime localis, est via, seu tendentia ab uno termino ad alterum.

Reponunt Thomistæ, ipsam desitionem unius termini, et acquisitionem alterius habere rationem viæ, et tendentiæ; successio enim, et habitudo unius termini ad alium, inquiunt, habet rationem alicujus medii. — **Contra:** abjectio unius termini, et acquisitio alterius non sunt extra ipsos terminos: ergo neutra potest habere rationem medii, seu transitus. Antecedens patet; vel enim illa abjectio, et acquisitio sunt simul in termino ad quem, vel una fit in termino a quo, et altera in termino ad quem, quia cum illa abjectio, et acquisitio termini sit operatio Angeli, aut operationem supponat, debet reperiri in altero extremorum simul, vel abjectio debet esse in uno, et acquisitio in altero. Consequentia etiam est evidens; nam transitus est quid medium inter terminos; medium autem condistinguitur ab utroque extremo æqualiter, cum non magis se teneat ex parte unius, quam alterius.

Reponunt 2. Thomistæ, existentiam in termino a quo posse sumi dupliciter, nempe aut secundum se et absolute, aut ut dicit ordinem cujusdam potentialitatis ad existentiam in termino ad quem sibi immediate succedenti. Si sumatur primo modo, verum est quod Angelus dum est in termino a quo non movetur: si autem sumatur secundo modo, falsum est; quia secundum hanc rationem est terminus successionis discretæ, in qua consistit motus discretus; et hoc satis est, ut existentia sic sumpta dicatur inchoative successio, et motus. Similiter existentia in termino ad quem potest dupliciter sumi, scilicet absolute, vel ut dicit ordinem actuantis, et terminantis potentialitatem quam importat existentia in termino a quo: primo modo sumpta non dicitur motus; sumpta tamen secundo modo dicitur motus terminative. Ratio vero ob quam quælibet ex his existentiis, ut dicit ordinem ad alteram, potest dici motus discretus, sumitur ex propria natura hujus motus, nam motus discretus nihil est aliud, quam numerus diversarum operationum, ratione quarum Angelus est successive in diversis locis: unde sicut numerum componunt unitates, non quidem absolute consideratæ, sed una in habitudine ad aliam; sic etiam motum discretum componunt operationes diversæ, non absolute sumptæ, sed prout una dicit ordinem ad aliam. — **Contra:** sive existentia Angeli in termino a quo sumatur absolute et secundum se, sive respective et per ordinem ad terminum ad quem, semper verum est, quod Angelus realiter sit in termino a quo, et non in termino ad quem, nec in medio: ergo pariter verum est, quod realiter non moveatur: motus enim realis est tendentia a termino a quo ad terminum ad quem, ita quod unus deseratur, alius acquiratur: quamdiu autem Angelus realiter est in termino a quo ipsum non deserit, nisi aliquam ejus partem abjiciat, et consequenter non potest dici moveri. *Deinde*, respectus ille, et ordinabilitas Angeli ad terminum

ad quem, nullatenus potest dici motus formaliter: ergo nec ratione illius Angeli dici potest formaliter moveri. Probatur antecedens: illud dici nequit motus formaliter, quod subsistere potest cum quiete: atqui Angelus etiam quiescens per horam in termino a quo, non solum in ultimo instanti illius horæ, sed etiam in quolibet illius momento, dicere potest respectum, et ordinabilitatem ad terminum ad quem: ex eo enim dicit illam ordinabilitatem, ex quo voluntarie statuit, et se ordinavit ad illum locum ad quem acquirendum: at in primo instanti illius horæ quo existit in termino a quo, potest statuere, et ordinare acquisitionem termini ad quem; adeoque ad ipsum ordinari, et consequenter illa ordinabilitas subsistere potest cum quiete Angeli, subindeque non potest dici verus motus. *Denique*, fatentur omnes Thomistæ omnem motum sive discretum, sive continuum, fieri posse in instanti vero, et reali; sed motus ille discretus fieri deberet in instanti, quippe cum inter abjectionem termini a quo, et acquisitionem termini ad quem nullum verum supponant tempus, nec instans medium; ergo eorum responsio invalidum est, et purum effugium.

Probatur tertio, de ratione motus localis est, quod sit unus: atqui motus in quo Angelus ita se habet quod per ultimum esse deserat simul totum terminum a quo, et immediate per primum esse acquirat totum simul terminum ad quem, non est unus, sed aggregatum ex pluribus instantaneis mutationibus: ergo, etc. Probatur *minor:* motus interruptus quiete non est unus: sed iste motus esset interruptus aliqua quiete: ergo non esset unus. Probatur *minor:* non potest Angelus esse in uno termino per solum instans, quin sit in alio per tempus, quia post instans necessario sequitur tempus: quippe cum, ut diximus, duo instantia temporis non possint esse sibi invicem immediata: ergo Angelus se movens necessario debet aliquo tempore permanere in termino a quo, vel ad quem, ac subinde in alterutro quiescere.

Probatur denique Conclusio ratione Doctoris qua solvit præcipuum adversariorum fundamentum, nempe: quod quiescit in toto aliquo tempore non potest aliter se habere in ultimo instanti illius temporis, sed etiam necessario quiescere debet in eo. Hoc, inquam, fundamentum sic *impugnat Doctor:* si id verum foret, inde sequeretur, quod panis qui erat sub speciebus Eucharisticis in esse quieto toto tempore prolationis verborum consecrationis, esset sub illis in instanti ultimo prolationis verborum, quod est falsum, quandoquidem in illo instanti fiat transubstantiatio, et Corpus Christi sit sub speciebus illis, panis vero non sit tunc existens in rerum natura. *Deinde* sequeretur quod aër, qui erat in esse quieto sub tenebris toto tempore ante instans in quo illuminatur, esset etiam sub tenebris in illo instanti, et sic vel tenebræ, et illuminatio essent simul, quod implicat, vel certe illuminatio non fieret in instanti. Nec refert quod Sol per motum localem applicetur ad aërem tenebrosum quem illuminat, et quod illuminatio fiat in instanti terminante istum motum localem: tum quia, si in instanti crearetur Sol, et aër præexisteret sub tenebris usque ad istud instans, certe adhuc illuminatio fieret in illo instanti. Adde quod quamvis illuminatio non fiat de facto nisi in instanti terminante motum, hinc non sequitur quin fiat in illo instanti: ergo vel tenebræ non sunt in illo instanti, vel simul existunt tenebræ, et illuminatio. —

* " Hanc Doctoris rationem refellere nititur Cajetanus, primo quidem ad exemplum de transubstantiatione Eucharistica respondet duobus modis: altero quod sit miraculosa et ex divina virtute: altero quod ibi non detur quies opposita. *Verum*, inquit noster Macedo, sive quies illa sit propria, sive non, certe ei succedit mutatio instantanea, quemadmodum mutatio instantanea Angeli succedit quieti præcedenti, quæcumque demum sit. Secundæ de illuminatione respondet *eam cum de novo fit, non esse per se primo terminum motus localis, sed per se secundo secundum naturæ cursum.* Quæ solutio rem non continet: quid est enim *per se primo* vel *secundo?* Satis est quod illuminatio fiat post quietem tenebrarum aëris et fiat in instanti, ut convincat in mutatione Angeli, quæ fit in instanti illius antecedentis quietis localis.

Impugnat secundo Doctor: " * Si fundamentum S. Thomæ verum foret, sequeretur quod Angelus numquam moveretur localiter, nec in tempore continuo, nec discreto: sed consequens non admittunt Adversarii: ergo nec admittere debent id unde sequitur. Probatur sequela *majoris:* ex hypothesi v. g. quod Angelus quieverit per horam temporis nostri in uno loco, secundum adversarios deberet necessario etiam quievisse ultimo instanti terminativo illius horæ in eodem loco. Hoc supposito, quæro, quando dicunt adversarii quod possit se moveri in instanti temporis discreti ad alium locum, an illud instans temporis discreti coëxistat instanti temporis nostri, aut alicui parti ejus? Si parti: ergo motus ille angelicus fit in tempore continuo nostro, et non habet aliquod instans in quo inciperet. Si in instanti; ergo vel illud instans erit immediatum instanti terminativo quietis, et sic duo instantia sequerentur se invicem immediate, quod supponitur hic etiam ab adversariis esse falsum, quia alias sequeretur tempus nostrum componi ex indivisibilibus, et consequenter non esse continuum, sed discretum. Si mediatum: ergo inter illud instans mediatum, et instans terminativum quietis, mediat tempus in quo quiescit adhuc Angelus; sed si quiescat in illo tempore, debet quiescere in instanti terminativo illius temporis secundum adversarios: sed illud instans terminativum est instans illud mediatum in quo dicitur moveri: ergo non posset moveri in illo instanti, quia alias moveretur, et quiesceret in eodem instanti.

Objiciunt Adversarii: Moveri motu discreto est deserere per ultimum esse totum aliquem locum, et immediate post per primum esse acquirere alium totum simul, et non per partes: sed hoc præstare potest Angelus: ergo etiam moveri potest motu discreto. *Major* constat, per hoc siquidem differt motus discretus a continuo, quod in motu continuo mobile per partes deserit terminum a quo, et per partes acquirit terminum ad quem: in motu vero discreto e contra. *Minor* probatur: Angelus est indivisibilis, subindeque non commensuratur loco in quo existit; ergo potest per ultimum esse deserere totum aliquem locum, et immediate post totum alium locum simul acquirere. Probatur consequentia: primo, quia hoc ipso quod Angelus non commensuratur loco, non debet esse in illo secundum exigentiam ejus, subindeque nec continue moveri in illo loco, licet sit continuus. Secundo, quia ex sola mobilis extensione provenit, quod non possit acquirere totum simul terminum ad quem: Angelus autem hoc ipso

quod est indivisibilis caret extensione. Tertio, quia anima rationalis eo ipso quod est indivisibilis in momento actuat totum corpus divisibile, et in instanti simul totum deserit: quidni ergo poterit Angelus locum aliquem totum simul, et semel deserere, et alium immediate post similiter totum simul acquirere? Ita Gonetus. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem distinguo consequens: Angelus sic deserere potest totum aliquem locum, et immediate post alterum totum simul acquirere abjectione, et acquisitione, quæ sit verus motus localis, nego: quæ sit tantum mutatio, concedo: nam, ut patebit sequenti Conclusione, potest Angelus in instanti, saltem virtute divina, transire a termino a quo ad terminum ad quem, non per verum motum localem, sed per simplicem mutationem. Hic autem sermo est de vero motu locali. *Ad primam* illius consequentiæ probationem dico, non esse necessum quod Angelus commensuretur loco ut in eo dicatur moveri continue, sed sufficere quod uni parti illius loci possit se sistere præsentem, deinde alteri, et rursus alteri. *Ad secundam* probationem, nego idcireo mobile non posse acquirere totum simul terminum ad quem eo quod sit extensum; nam, ut in secundo Notabili observavimus, divisibilitas motus non solum ex mobilis extensione, sed etiam ex parte temporis, seu spatii desumenda. *Ad tertiam* probationem, nego paritatem, anima enim non informat totum corpus per motum, sed per quemdam illapsum instantaneum, adeoque exemplum illud instantaneæ informationis, aut derelictionis corporis non est ad rem; quippe cum hic non de qualibet mutatione, sed de mutatione motus localis sermo fiat.

Objiciunt 2. Ideo corpus non potest moveri motu discreto, sed continuo tantum, quia cum sit extensum, subindeque habeat partes correspondentes partibus loci, non potest simul totum aliquem locum deserere; sed necesse est quod ultima pars sui prius egrediatur ab ultima parte loci in quo est, et ingrediatur alium locum quam prima pars: sed Angelus caret extensione: ergo motu discreto moveri potest. — **Nego majorem**: non enim sola hac ratione corpus moveri non potest motu discreto, sed etiam ex eo quod decurrere debeat spatium divisibile medians inter terminum a quo, et terminum ad quem: siquidem, ut mox diximus, motus divisibilitas ex triplici capite repetenda est, videlicet ex parte mobilis extensi, medii interjacentis, et terminorum a quo, et ad quem divisibilium. Unde licet motus Angelicus non habeat primariam rationem divisibilitatis et successionis, sufficit quod dici possit divisibilis ratione divisibilitatis spatii et terminorum.

Ex his colligit Doctor, non esse necessario recurrendum ad aliud tempus ad mensurandum motum localem Angeli, sive quo continue et successive movet se localiter, sive quo instantanee et non successive se movet; sed omnino posse Angelum successive se movere pro tempore nostro, non minus quam corpus, et posse etiam seipsum instantanee movere pro instanti temporis nostri. *Probat primam partem:* quia nihil potest salvari per tempus discretum, quod non possit salvari per tempus continuum: nam per tempus discretum non potest salvari aliud, quam quod Angelus possit moveri a loco ad locum vel indivisibiliter et sine successsione, vel divisibiliter et cum

successione: sed utrumque horum potest facere in tempore nostro, comprehendendo sub tempore instantia ipsius quæ suppono in ipso includi: ergo, etc. Probatur *major* quoad primam partem, quia si moveatur indivisibiliter absque successione, motus ille potest fieri in instanti, ut est evidens. Probatur eadem *major* quoad secundam partem de motu divisibili; quia si moveatur divisibiliter et successive, aut illæ partes motus sunt omnes divisibiles et non continuæ, sed discrete succedentes sibi invicem, et tunc possunt omnes esse successivæ, et discretæ pro instantibus temporis nostri, et quæ sunt divisibiles possunt esse pro partibus divisibilibus temporis nostri; aut omnes sunt divisibiles, sed discretæ, et tum etiam possunt esse pro diversis partibus temporis nostri a se discretis, ita scilicet ut una habeatur pro quadrante, et tunc fiat cessatio, et alia pro alio quadrante post cessationem: ergo quamvis ipsamet existentia Angeli mensuretur ævo, tamen *ubi* ipsius, et motus ad ipsum non debent necessario sic mensurari, sed possunt mensurari tempore nostro, sicut possunt *ubi* corporeum, et motus ad illud. *Probatur secunda pars;* quia si moveatur ad plura *ubi* continue absque ulla intermissione, sicut movetur corpus, quandoquidem adveniente posteriore ubi desinit prius, certe omnino movebitur in tempore tam bene, quam corpus; et si moveatur ad locum unum sine successione, ita ut non prius sit præsens uni parti quam alteri, omnino movebitur in instanti temporis nostri ad illum locum.

Conclusio tertia. — Angelus non potest in instanti moveri ab uno loco ad alterum motu proprie dicto: Potest tamen in instanti ab uno loco ad alterum transire per simplicem loci mutationem. Hæc est communis Subtili, et Angelico Doctori eorumque Sequacibus, ait enim Doctor laudato loco num. 6. *Dico quod dupliciter potest intelligi mutatio, et potest dici duplex mutatio, una includens totam realitatem motus, alia præcise includens realitatem termini motus. Exemplum hujus est, quod istud mutatur ab A ubi, usque ad B ubi. Ubi potest intelligi dupliciter, vel quod simul habeat omnia ubi intermedia, sicut haberet, si præcise moveretur successive, vel quod illa mutatione præcise haberet ultimum ubi, sicut haberet si illa mutatio esset ultimus terminus motus. Primo modo contradicendo secundæ opinioni, non video qualiter Angelus virtute naturali potest mutari vel moveri in instanti, quia non videtur quod virtute sua naturali potest habere plura ubi æqualia. Secundo modo, non videtur inconveniens quin posset mutari in instanti, quia quod terminus motus non statim inducatur, hoc est ex imperfectione virtutis ipsius moventis, quæ imperfectio non est attribuenda Angelo nisi aliqua necessitas appareat, quia dignificanda est natura quantum apparentia permittunt.* ✻ "Sanctus Thomas vero 1. p. q. 53. a. 3.; et in 1. dist. 57. q. 4. a. 1. diserte probat Angeli motum debere fieri in tempore vel continuo vel discreto. *Relinquitur quod motus Angeli sit in tempore: in continuo quidem tempore si sit motus ejus continuus: in non continuo autem, si motus ejus sit non continuus. Utroque enim modo contigit esse motum Angeli, ut dictum est. Continuitas enim temporis est ex continuatione motus, ut dicitur in 4. Physic. Sed istud tempus, sive*

sit tempus continuum, sive non, non est idem tempore quod mensurat motum cæli, et quo mensurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cæli, motus enim Angeli non dependet ex motu cæli. " ✳

Quod autem Angelus non possit moveri in instanti motu proprie dicto, probatur: si ita moveretur, necessum esset quod in instanti haberet plura ubi adæquata: sed hoc naturæ viribus fieri nequit: ergo nec in instanti moveri. Probatur sequela *majoris:* si Angelus moveretur successive per horam ab hac aula, quæ esset locus adæquatus ejus, ad aulam continuam, in quolibet istanti istius horæ haberet locum adæquatum sibi. Nam in priori instanti esset tamquam in loco adæquato in parte hujus aulæ, et in parte alterius aulæ; in posteriori vero instanti esset in alia parte hujus, et in alia etiam alterius aulæ, et ita paulatim et successive mutaret locum adæquatum, relinquendo partem post partem loci adæquati prioris, et acquirendo partem post partem loci adæquati posterioris, donec tandem perveniret ad occupandam totam aulam secundam, nullam amplius partem occupando hujus aulæ: ergo, etc. — *Deinde*, illud quod per essentiam suam est successivum, non potest esse in instanti: sed motus ex sua ratione intrinseca et essentiali est successivus: ergo implicat esse in instanti: consequentia est evidens cum *minore* supra probata. *Major* vero probatur, quia omne successivum habet partem post partem sibi invicem succedentes, et incompossibiles, adeoque in instanti esse nequeunt, quia jam essent simul. *Denique*, ubi est intrinsece prius et posterius, ibi est intrinseca successio: sed in motu Angeli est intrinsece prius et posterius: ergo et intrinseca successio. *Minor* probatur: motus est tendentia mobilis a termino a quo ad terminum ad quem per spatium inter utrumque medians: sed in hac tendentia est prius et posterius, quippe cum mobile deserendo terminum a quo, prius debeat esse in medio quam in termino ad quem: ergo, etc.

Patet etiam secunda pars, nempe quod Angelus mutare possit suum locum adæquatum in instanti; primo, quia exinde non sequitur eum esse simul, et semel in duobus locis adæquatis, quippe cum illa subitanea mutatio fieret per primum non esse Angeli in termino a quo, et per primum esse in termino ad quem, quod ut patet non importat esse in duobus locis, sed tantum esse in uno, et non esse in altero. *Deinde*, si quid obesset huic instantaneæ mutationi, maxime quia terminus ad quem, qui est in distans a termino a quo, habet partes divisibiles: at hoc non officit, quippe cum in instanti anima rationalis totum corpus informet, et lux per totum aërem subitanea diffusione protendatur. *Denique*, si Angelus crearetur extra mundum, haud dubium est quod in instanti totum locum adæquatum occupare posset in mundo: ergo idem fieri potest dum jam locum occupat.

Dices 1: Contra primam partem; motus quo Angelus movetur de loco ad locum per spatia media, potest omnino et absque ulla proportione excedere motum, quo corpus illud spatium decurrit; sed hic excessus non posset esse nisi Angelus moveatur in instanti: ergo, etc. — **Nego minorem**, ut enim motus angelicus excedat in velocitate motum quemlibet corporis cujuscumque, non opus est quod moveatur in instanti; sed sufficit quod fieri possit in minori, et minori

duratione divisibili; quam possit esse motus cujuscumque corporis: cum autem tempus sit divisibile in infinitum, consequens est quod Angelus poterit semper majori, et majori velocitate moveri quam quælibet corpora.

Dices 2: Angelus, cum sit omnino spiritualis, longe subtilior, et velocior est luce corporea: sed lux corporea in instanti pervadit omne aëris spatium: ergo multo facilius illud pervadere poterit Angelus. — **Distinguo minorem**: lux corporea pervadit universum aërem in instanti per verum motum, nego: per simplicem diffusionem, et mutationem quæ est terminus motus, concedo. Angelus autem transiens de uno loco ad alterum, cum vere moveatur, non in instanti, sed successive potest aërem parvadere.

Dices 3: Motus localis Angeli nihil aliud est quam acquisitio loci: sed, ut probavimus in secunda parte hujus Conclusionis, Angelus acquirere potest locum in instanti: ergo etiam poterit moveri localiter in instanti. — **Nego majorem**: nam, ut diximus, illa simplex loci acquisitio est tantum mutatio, non vero motus localis, qui ut sit proprie dictus debet esse transitus a termino a quo ad terminum ad quem; nam si Angelus produceretur extra mundum, posset acquirere locum in mundo, non propterea tamen sic diceretur moveri localiter. ✻ " Porro ut motus angelici velocitatem declaret Scriptura sacra dum eis spiritibus corpora in quibus apparuerunt attribuit, etiam alas affingit. Sic Daniel, Ezechiel, et Isaïas eos ad se volantes conspexere. Quamobrem Moyses in Exodo Cherubim super arcam cum expansis alis repræsentari voluit, non solum ad significandam eorum altitudinem naturæ, et sublimitatem loci quem incolunt, ut putavit S. Chrysostomus, homilia *De incomprehensibili natura*, sed præsertim, ut addit S. Hieronymus in caput 6. Isaïæ, ad designandam eorum celeritatem. *Alas*, inquit, *habere dicuntur, propter velocitatem et celerem in cuncta discursum: sive quia semper in altioribus commorantur.* Nempe quomodo et ventis ad eorum velocitatem denotandam pennæ tribuuntur, unde et Deus dicitur Psalm. 17. et 103. volare et ambulare super pennas ventorum. A poëtis similiter alati finguntur, ut liquet ex Ovidio, Silio, Juvenale, etiam Boreæ filii Calais et Zethus, alati Apollodoro. Quamobrem non dubito, quin, quod Angeli referuntur alati, id maxime pertineat ad velocitatem indicandam: quam quia nec mali Angeli amisere, eo et hi alati dicuntur. Unde Thalmudistæ in *Anoth* cap. 36: *Tria sunt dæmonibus communia cum Angelis; quod alati sint, quod præsciant futura, et quod ab uno mundi extremo ad alterum celerrime se transferant.* " ✻

QUÆSTIO TERTIA.

AN ANGELUS POSSIT TRANSIRE DE UNO LOCO AD ALIUM NON TRANSEUNDO PER SPATIUM INTERMEDIUM.

Notandum 1. Quod quemadmodum Philosophi distinguunt duo genera partium in quantitate continua, scilicet communicantium seu proportionalium, et non communicantium seu aliquotarum: ita pariter medium seu spatium medians inter terminum a quo, et terminum ad quem in motu locali distingui potest duplex, nimirum communicans cum

utroque extremo, et non communicans cum eisdem; v. g. si Angelus existens in primo palmo unius corporis tripalmaris velit ad tertium palmum transire, medium non communicans erit secundus palmus, quia habet suam extensionem distinctam ab aliis duobus palmis, nec de extremis aliquid participat; esse tamen poterit medium communicans si aliquid sumatur de primo palmo, et aliquid de secundo, vel aliquid de secundo, et aliquid de tertio: ista vero media communicantia sunt infinita in potentia, siquidem post aliquam partem indeterminatam primi palmi potest mensurari aliquis palmus, qui aliquid participet de primo, et aliquid de secundo, et jam cum puncta ac partes proportionales videantur in potentia infinitæ, etiam media communicantia dici possunt infinita in potentia.

Notandum 2. Angelos posse mutare locum multipliciter, positive, privative et mixte: positive, acquirendo novam præsentiam, et priorem non amittendo, ut cum Angelus in puncto existens, vel in spatio minore adæquato extendit se ad spatium majus retento priori: privative, cum e contrario contrahit se ad spatium minus, vel ad indivisibile nihil novi acquirendo: mixte, cum spatium prius deserit, vel ex toto vel ex parte, et aliud acquirit vel totaliter vel ex parte diversum, tunc enim præsentiam partim acquirit partim amittit: acquirit scilicet novam, et veterem perdit, idque vel totaliter quando locum plane diversum subit, vel secundum quid quando non plane diversum, sed eumdem secundum quid. Porro quando locus novus, et totaliter diversus acquiritur, vel ille est remotus et distans a priori, vel non distans sed continuus aut contiguus immediate, sed major quam ut totum simul occupare possit Angelus. De utroque autem hic quæritur, an ab uno ad alterum transire possit immediate, et absque eo quod per aliquod instans vere sit in medio inter utrumque terminum a quo, et ad quem.

Notandum 3. Hic quæstionem moveri non solum de motu qui est extra sphæram activitatis angelicæ, sed etiam de eo qui intra sphæram ejus activitatis est: puta si sphæra activitatis Angeli, et ejus locus adæquatus sit una aula, quæritur an possit se movere ab una parte illius ad alteram extremam, absque eo quod moveatur per medium, quod est inter duas illas partes. Similiter ex hypothesi quod aliæ duæ sint aulæ sequentes extra locum adæquatum ipsius Angeli, et sphæram illius activitatis naturalis; an possit in tertiam se transferre absque eo quod per mediam interjacentem transeat.

Conclusio prima. — Angelus transire non potest ab uno loco adæquato ad alterum distantem, absque eo quod transeat per medium, si illud sit communicans: Poterit vero ita transire motu instantaneo si medium non sit communicans cum partibus intermediis. Hæc est Doctoris in 2. dist. 2. q. 12. ubi cum hanc quæstionem præmisisset, ita respondet numero 3: *Videtur probabiliter quod non, quia ordo præfixus a superiori agente videtur esse necessarius cuicumque agenti inferiori, quando habet actionem præcise circa talia ordinata.*

Probatur prima pars eadem ratione Doctoris, quæ simul explicatur: ordo præfixus a superiori agente necessario servandus est a quocum-

que inferiori, nec potest causa inferior sibi præscriptum ordinem a causa superiori invertere: sed est ordo præfixus a Deo quod nulla creatura possit transire de loco in locum distantem, non pertransito tali medio. *Major* constat; cum enim omnis creatura pendeat a Creatore, non solum secundum entitatem et operationem, sed etiam penes modum operationis et activitatis suæ, opus est quod agat juxta præscriptum ordinem. Probat *minorem* Doctor, primo quidem experientia qua constat quod cum, inquit, *Ordo formarum naturalium succedentium sibi in generatione naturali determinatus sit ab instituente naturam, ideo respectu cujuscumque agentis naturalis est necessarius.* Hinc nulla causa inferior producere potest animam sensitivam in corpore organico, nisi vegetativa præcesserit, nec rationalis in eodem corpore operationes suas exerere, nisi præcesserint operationes vegetativæ et sensitivæ: nec anima corpus informans transit ad informandam unam partem corporis distantem, quin informet prius partes intermedias quibus continuatur pars distans cum parte alias prius informata. Nec, inquit Doctor ex Arist. 8. *Metaphysicorum*, agens naturale potest facere immediate acetum ex vino, quia inter vinum, et acetum naturaliter media est quædam alia substantialis forma: ergo, etc.

Probat secundam partem Doctor: *Si autem loquamur de motu indivisibili*, inquit, *dico quod in tali motu potest pertransire ab extremo in extremum immediatum non transeundo per medium, quod est aliquid utriusque extremi, imo necesse est hoc quia si transiret per tale medium, continue transiret, et non instantanee.* Unde sibi infra objiciens, quod si Angelus non possit transire de loco ad locum, non transeundo per medium non communicans, non poterit etiam transire per medium communicans, respondet hanc illationem esse falsam; *Quia*, inquit, *pertranseundo ab uno ubi immediate ad aliud ubi in instanti, habet ista omnia ubi ordine quodam naturæ inter quæ est ordo potentialis ex natura rei: sed non oportet quod habeat ea ordine durationis: Si autem transiret a distanti in distans absque ordine omnimodo, tunc nec ordine naturæ, nec durationis haberet illa, quorum est ordo naturalis, circa quæ tamen operatur præsupponens necessario ordinem eorum.*

Patet autem hujusce Conclusionis veritas; dum enim Angelus transit instantanee de loco ad locum contiguum, vel continuum, si esset in loco intermedio participante de utroque loco, aut non moveretur in instanti ad locum vicinum, quod est contra hypothesim, aut esset simul in duobus locis adæquatis, quod naturaliter implicat. Probatur: quando enim movetur ab hac aula in instanti ad alteram vicinam, debet esse in illa aula vicina: ergo vel simul est in loco intermedio participante, et integrato ex media parte loci prioris, et media parte loci posterioris, vel non est. Si non est: ergo non pertransiit omnia loca intermedia communicantia; si est: ergo est simul in tota aula vicina, et in media parte hujus aulæ, et sic est in duobus locis adæquatis, aut saltem in loco majori quam sit locus ejus adæquatus, quia aula proxima, ut supponitur, et media pars hujus aulæ est locus major quam aula proxima sola: ergo esset in loco majori quam adæquato. — Disparitas autem quam profert Doctor cur Angelus transire possit de loco ad locum, absque eo quod transeat per medium com-

municans, non autem possit ita transire, absque eo quod transeat per medium non communicans, in hoc consistit, inquit Poncius *ad hunc locum*, quod quando transit de loco ad locum immediatum in instanti, nulla est pars medii communicantis cui non fuit præsens, vel prioritate temporis, vel prioritate naturæ, antequam fuit præsens toti loco immediato, quamvis non fuit præsens aliquibus partibus medii prius tempore. Quod clare patet, supponendo Angelum occupare hanc aulam tamquam locum adæquatum, et hinc in istanti transire ad aulam totam contiguam seu continuam: in hoc casu, media communicantia sunt partes intercedentes inter utramque aulam, v. g. si hæc aula sit quatuor palmorum et secunda totidem, unum medium communicans sunt tres posteriores palmi hujus aulæ, et primus aulæ vicinæ, aliud medium communicans sunt duæ posteriores palmi hujus aulæ, et duæ priores aulæ vicinæ, et ita de cæteris. Quando autem Angelus transiret de hac aula ad vicinam, pro illo tempore quo fuit in hac aula, occupavit omnes palmos, et partes hujus, et hoc prius tempore quam occupaverit instantanee aulam vicinam; quando etiam in instanti posuit se in aula vicina, simul occupavit omnes palmos, et partes ejus: unde evidens est quod in hoc casu nulla esset pars media inter utrumque locum, cui Angelus non esset aliquando præsens: et quidem partibus aulæ hujus esset præsens prius tempore; sed partibus aulæ vicinæ prioribus, et vicinioribus esset præsens prius quam posterioribus aut toti loco, non tamen tempore; quando quidem omnes occuparet in instanti, sed solum natura, quia scilicet nisi esset præsens illis non posset esse præsens partibus aliis posterioribus: sed bene posset esse præsens illis prioribus sine eo quod posset esse præsens posterioribus. Unde valet hæc consequentia: est præsens posterioribus: ergo et prioribus est vel fuit præsens: non valet autem hæc; est vel fuit præsens prioribus: ergo est vel fuit præsens posterioribus. Et consequenter quandoquidem illud dicatur prius natura a quo non convertitur subsistendi consequentia: præsentia Angeli ad partes priores aulæ vicinæ est prior natura quam ad partes posteriores, et sic Angelus ipse prius natura est præsens partibus prioribus quam posterioribus, de quo non potest dubitari. Sed sic est, quod ordo necessario observandus ex natura rerum creatarum in mutatione, non est, quod prius tempore debeat omnis res esse in medio quam in extremo loco ad quem sit motus; sed quod prius tempore vel natura. Unde sequitur manifeste quod quamvis Angelus moveret se instantanee de loco ad locum, non prius tempore transeundo medium omne, tamen adhuc observaret ordinem naturæ, quia prius tempore, vel natura esset in omni parte media. At si moveret se de loco in locum distantem non pertranseundo medium non communicans, ut ab hac aula ad tertiam aulam relicta secunda, inverteret illum ordinem, quia nec prius natura, nec prius tempore fuisset in aula secunda intermedia, quam in tertia. Hæc Poncius.

Hic autem adverte, per motum instantaneum Doctorem non intelligere transitum a loco ad locum, qui sit revera motus proprie dictus, siquidem, ut supra probatum est, motus proprie dictus fieri nequit in instanti, sed tantum eum transitum appellat instantaneum qui est simplex loci mutatio, deserendo nempe terminum a quo, et acqui-

rendo terminum ad quem, quod in instanti fieri posse priori Quæstione probavimus.

Dices contra primam partem: Angelus est in loco per suam substantiam cum subordinatione ad imperium suæ voluntatis: sed potest velle esse in loco distanti non volendo esse in medio: ergo non est necessarium, ut de uno loco ad alterum transeat, quod moveatur per medium. — **Distinguit minorem Doctor** *num.* 4 loquendo de Angelis pro eo statu in quo nunc constituuntur: Angelus malus potest velle esse inordinate in loco distanti non volendo pertransire medium, ex qua volitione non sequeretur ullus effectus, quia nempe illud virtutem suam naturalem excedit, nec id posset a Deo obtinere nisi extraordinarie agente, concedit: Angelus bonus posset ordinate velle esse in loco distanti non volendo pertransire medium quasi virtute sua id posset assequi, negat; in eo namque casu, quo Angelus bonus optaret transire de loco ad locum impertransito medio, Deus ejus votis annuens extraordinarie agendo, ita illum moveret de loco ad locum non movendo per medium, sed hoc fieret virtute supernaturali, de qua non est sermo. *Aliter distinguo minorem:* Angelus potest velle esse in loco remoto volitione quæ sufficiat ad hoc ut sit in tali loco, seu per quam naturaliter locum remotum et distans obtinere possit, nego: volitione inefficaci, et quæ optatum non obtineat, transeat: itaque sicut nos movemur de loco ad locum mediante voluntatis imperio, nec tamen possumus locum expetitum pro voluntate semper obtinere, sed solum quando revera nos applicamus ad locum consequendum: sic quamvis Angeli moveant se localiter cum dependentia ab imperio suæ voluntatis, non possunt tamen locum expetitum obtinere nisi debito modo sese applicent ad eum consequendum: hæc autem debita applicatio fieri nequit nisi cum ordine ad medium decurrendum priusquam locus ad quem pertingatur.

Dices 2: Adorandum Christi Domini Corpus de cælo ad altare transit non pertransito medio: ergo et Angelus potest sic transire. — **Distinguit antecedens Doctor:** Corpus Christi ita fit præsens in altari per virtutem extraordinariam et supernaturalem, quæ non debeat se naturis rerum conformare, et earum virtuti commensurari, concedit: *Quia*, inquit, *est supra illum ordinem præfigens illum, et non habens illum pro præfixo.* Ita fit præsens virtute naturali, negat. Hic autem sermo est de virtute naturali Angeli, quæ cum sit omnimode limitata, et determinata, non potest rerum a Deo statutum et præfixum ordinem immutare, adeoque non potest a termino a quo ad terminum ad quem distantem absque transitu per medium pertingere.

Dices 3: Angeli motus similis est nostræ cogitationi, necnon et motibus corporum Beatorum: sed nostra cogitatio transire potest a cælo in terram absque medio: intellectus enim noster de cælo cogitans, illico potest cogitationem suam in terram dirigere, non cogitando ullatenus de aëre intermedio. Similiter corpora Beatorum, (inquit Auctor libri *De Cognitione veræ vitæ* cap. 25. apud S. Augustinum Tomo 9.) tam cito possunt transferri ab Oriente ad Occidentem, quam id possit cogitatio nostra, quæ certe id potest in instanti, et sine transitu per medium: ergo multo magis Angeli ita possunt moveri. — **Nego majorem:** differentia enim magna est inter motum cogitationis, et mo-

tum localem: tum quia cogitatio non requirit præsentiam realem et substantialem cogitantis ad objectum, sed tantum metaphoricam et intentionalem; secus autem præsentia localis ad spatium: tum etiam quia spatium intermedium non est medium cognitionis, adeoque non est necesse ut de illo medio cogitet intellectus quando unius extremi cogitationem abjicit, ut de altero extremo cogitet: secus autem est de motu locali, qui necessario fieri debet per spatium medium inter utrumque terminum distans. Ad id autem quod dicit Auctor laudatus de corporibus Beatorum, reponere possum eum sic intelligi, quod scilicet tam cito illa beata corpora transferantur ac cogitationes nostræ, propter vim movendi celerrimam, et dotem mirabilem agilitatis.

Conclusio secunda. — ANGELUS PER MUTATIONEM INSTANTANEAM POTEST TRANSFERRI DE LOCO ADÆQUATO IN ALTERUM ADÆQUATUM CONTINUUM, ET PRIORI CONGRUUM: NECNON, ET DESERERE PARTEM SUI LOCI ADÆQUATI, ET RESTRINGERE SUAM PRÆSENTIAM AD MINIMAM EJUSDEM LOCI PARTEM. Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

Probatur prima: non minor est concedenda Angelo virtus quam animæ rationali et corpori luminoso: sed anima rationalis simul infunditur toti corpori organico in instanti animationis, necnon et toti parti per nutritionem aggeneratæ. Similiter lumen a Sole vel ab igne diffunditur in instanti per aërem contiguum et continuum: ergo similiter Angelus per mutationem instantaneam transire poterit ab uno loco ad alterum contiguum. *Deinde*, si id præstare non posset Angelus, maxime quia successio necessario requiritur in abjectione termini a quo, et acquisitione termini ad quem: sed hoc est falsum. *Probatur:* quia nulla successio requiritur ex parte medii, quippe cum nullum esse supponatur; nec ex parte termini ad quem, seu præsentiæ quæ acquiritur, quia quod potest simul esse, potest etiam simul acquiri si nihil aliud obsistat, nullum autem est contrarium obsistens, et impediens hanc acquisitionem, sicut calor v. g. successive producitur propter frigus obsistens; neque ex parte termini a quo, quippe cum Angelus illum deserat per primum sui non esse in eo, ut dictum est in præcedenti Quæstione: ergo nihil necessario successionem efficit, adeoque illa mutatio fieri potest instantanee.

DICES: Terminus quem acquirit Angelus est extensus, adeoque habet partes viciniores, alias medias, alias remotiores: sed partes viciniores prius sunt acquisibiles quam mediæ, et hæ quam remotiores: ergo non potest Angelus locum adæquatum deserere, et alium acquirere, nisi cum aliqua successione. — **Distinguo minorem**: si hæc acquisitio fiat per verum motum, concedo: si fiat per diffusionem sui per spatium adæquatum, necnon et per sui replicationem, et positionem multiplicem in diversis partibus aut punctis spatii, nego: sicut enim lux Solis v. g. diffunditur sine transitu per productionem diversarum partium lucis in diversis partibus totius hemisphærii sine temporis successione, sed cum solo naturæ ordine, quia prius natura Sol illuminat partes sibi vicinas quam remotiores, posito quod naturaliter non possit agere in distans per se primo: sic Angelus potest eodem instanti, et simul tempore diffundere se per spatium adæquatum per sui replicationem,

et positionem multiplicem in diversis partibus, aut punctis spatii cum naturæ tantum ordine, quia non potest occupare naturaliter partes remotas nisi mediantibus interjectis, cum non possit moveri in distans non occupato medio: sic etiam anima rationalis simul adest omnibus partibus simul dispositis sufficienter, nec prius tempore propinquis quam remotis, simulque relinquit, et informare cessat partes simul abscissas; quo exemplo patet Angelum posse simul spatium sibi adæquatum replere. Nam si non est necessaria in anima aliqua successio ad occupandum simul totum aliquod spatium; imo neque illa sit possibilis naturaliter, cum anima nequeat initio informare unicum indivisibile, neque in augmentatione dispositio ultima fiat per indivisibilia: non videtur magis Angelo necessaria successio per se loquendo, ad replendum spatium illud, quod est virtuti suæ adæquatum.

Secunda pars patet *ex dictis Articulo præcedenti:* in quo probatum est Angelum amittere posse per mutationem simultaneam præsentiam realem quam habebat ad omnes partes sui spatii seu loci adæquati, conservata tantum præsentia in minori illius spatii parte; hoc tamen præstare nequit per verum motum localem, qui fieri non potest in instanti, sed tantum per subitaneam mutationem, de qua sæpius dictum est.

QUÆSTIO QUARTA.

AN, ET QUÆ SIT ANGELORUM DURATIONIS MENSURA.

Notandum 1. Distinguendum esse quadruplex genus mensuræ. 1. Est *perfectionis*, juxta illud Aristotelis 1. Metaph. cap. 3. *In unoquoque genere est unum quod est mensura cæterorum sub eodem genere.* 2. Est mensura *causationis;* sic 9. *Metaph.* scibile dicitur mensura scientiæ quia scientiam causat. 3. Est mensura *cognitionis* seu innotescentiæ; sic ulna notificat quantitatem panni, et hoc modo mensura nihil aliud est quam quantitas magis nota alteram notificans: secundum quod *mensurari* triplicem involvit respectum, unum ad intellectum, alium ad rem mensuratam, et alium ad mensuram. 4. Est mensura *durationis;* sic Tempus dicitur mensura motus, Æviternitas mensura Angelorum, Æternitas mensura Dei.

Notandum 2. Hoc esse discrimen inter æternitatem, ævum, et tempus, quod *Æternitas,* (ut diximus agendo de æternitate Dei), sit interminabilis vitæ possessio tota simul, et perfecta, quæ scilicet triplicem dicit negationem, desitionis, incæptionis, et successionis ac dependentiæ. *Tempus* vero, ut diximus in Physicis, est mensura motus secundum prius, et posterius. *Æviternitas* autem est mensura, et duratio permanens, incorruptibilis ab intrinseco, defectibilis tamen per superiorem potentiam externam. In quo Ævum dupliciter distinguitur ab æternitate, et tempore; *primo* differt ab Æternitate, quia æternitas est semper actu præsens, et nullo modo in potentia: tempus vero secundum instans præsens est in actu, secundum vero futurum, est in potentia absque ulla penitus permanentia præteriti, et futuri. Ævum autem mensura quædam indivisibilis est, et non est omnino præsens, sed partim actu præsens, partim potentia: nam quemadmodum esse Angeli est indivisibile, et immateriale, et est actu præsens modo, sed

tamen aliquomodo est in potentia, quia est in potentia ut conservetur in futuro per manutenentiam Dei, quæ si desisteret omnino Angelus annihilaretur: pari ratione dicendum est de ævo quod est indivisibile, et actu præsens, tamen aliquomodo in potentia ad futurum. Cæterum differt a tempore, quia non est ita potentiale sicut tempus, non enim habet partes præcedentes, et partes sequentes. *Secundo* differt ævum ab æternitate, et tempore ex parte suæ mensuræ, quia Æternitas est mensura rei non deficientis nec potentis deficere: Tempus vero est mensura rei actu deficientis, et potentis deficere: Ævum autem est mensura media, scilicet mensura substantiæ non deficientis, et immutabilis, potentis tamen aliquomodo deficere, et mutari secundum operationes suas. Declaratur exemplo: nam sicut radius solaris productus a Sole in medio diaphano manente eodem est unus, et idem radius productus in instanti indivisibili, est in actu: est tamen aliquomodo in potentia, quia recedente Sole, desinit esse statim: ita dicendum est de Angelo, et ejus mensura. Alterum exemplum est imago in speculo quæ ab objecto corporeo visibili in instanti producitur, et est indivisibiliter producta, tamen recedente objecto desinit esse imago illa. At vero tempus ipsum comparatur fluvio cujus partes ab eodem fonte dimanant, ita quod pars parti succedat, atque adeo partes temporis sunt mensura rei cum innovatione, et veteratione ejusdem: Ævum vero est mensura rei sine innovatione, et veteratione quantum ad substantiam.

Notandum 3. Ex Doctore *in secundum dist.* 2. *quæst.* 2. *n.* 10. Quod *mensurare est quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam:* « certificatio autem aliquando potest fieri per quanti-
« tatem existentem in re, vel imaginatione, sicut Artifex expertus per
« aliquam quantitatem, quam habet in sua imaginatione, mensurat
« quantitatem quamcumque sibi occurrentem. Aliquando autem potest
« fieri per quantitatem aliquam existentem in re, et hoc tripliciter,
« vel excedentem: et tunc certificatur intellectus de quantitate minore
« per accessum ejus ad quantitatem majorem, vel recessum ab ea: et
« hoc modo mensura ponitur in quidditatibus rerum, et mensura est
« perfectior ipso mensurato, quæ dicitur esse notior naturaliter ipso
« mensurato: sicut albedo ponitur prima mensura in genere colorum,
« et Deus dicitur prima mensura omnium, quæ sunt in quocumque
« genere. *Alio modo* mensuratur per quantitatem excessam, quia quan-
« titas nota minor est, et pars quantitatis majoris, quæ magis ignota
« est, et tunc illa quantitas minor per sui replicationem mensurat
« ipsum totum quantum majus, et hoc modo minor motus potest esse
« mensura majoris motus ex natura rei. *Tertio modo* mensuratur quan-
« titas ignota per aliam quantitatem notam, et distinctam, et æqualem
« sibi, et hoc fit per applicationem, sive superpositionem. Et quia il-
« lud, quod est mensura ex natura rei, debet esse notius naturaliter
« ipso mensurato; ideo isto modo scilicet tertio, unum æqualium non
« est mensura aliorum, nisi illa æqualitas nota fuerit ex natura rei;
« hoc modo tempus, si est alia quantitas a motu, et notior eo, potest
« esse mensura motus ex natura rei. Alicui tamen intellectui potest
« illud esse mensura, quod ex natura rei non est mensura, puta si
« alicui sit nota quantitas ulnæ, et quantitas panni ignota; potest

« tunc quantitas ulnæ esse mensura quantitatis panni, licet ex natura « rei neutra quantitas habeat majorem certitudinem alia ».

His ita prælibatis, tria maxime hic sunt resolvenda : *Primum*, quod Angeli non aliam habeant mensuram suæ durationis, quam æviternitatem. *Secundum*, quod illa mensura non sit successiva. *Tertium*, quod sit ab Angeli substantia realiter indistincta.

Conclusio prima. — Angelorum existentia mensuratur æviternitate. Hæc est communis apud Theologos.

Probatur *primo:* Existentia Angeli aliqua mensura est mensurabilis : sed non mensuratur æternitate, nam hæc est mensura propria Dei, neque tempore, quia illo res corruptibiles mensurantur, licet ipsa Angeli existentia ob intensivam perfectionem, virtutem, et magnitudinem durationis suæ possit toti tempori coexistere, nulla varietate in ejus duratione facta : sicut est exemplum de palo fixo in fluvio, circa quem fluit continuo aqua, ipso palo stabili remanente : ergo ævo solo mensuratur ipsa Angeli existentia, cum sit inter ipsam, et illam Angeli existentiam proportio, quæ inter mensuram et mensuratum requiritur. *Deinde*, si non esset tempus, Angelus posset cognoscere suam durationem : ergo habet aliquam aliam mensuram distinctam a tempore, per quam possit cognoscere eam : illa vero non potest esse æternitas, cum sit altioris ordinis ; ergo est ævum, quia nihil aliud assignari potest, quod rationem mensuræ existentiæ angelicæ habeat. *Denique*, æviternitas secundum Doctorem, est mensura entis creati permanentis, et uniformiter se habentis dum subsistit, seu quod habet uniformem modum existendi : vel juxta S. Thomam, est mensura entis incommutabilis secundum suam substantiam ; mutabilis vero et variabilis secundum suas operationes : sed Angeli substantia est incommutabilis secundum se, et uniformiter se habet dum subsistit : ergo Angelus revera mensuratur ævo. Quæ hanc adversus Conclusionem possent objici, facilius solventur in sequenti Conclusione.

Conclusio secunda. — Æviternitas non est duratio successiva. Hæc est Doctoris in 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. ubi licet opinionem S. Bonaventuræ de successione durationis angelicæ probabilem esse dixerit, solveritque omnia argumenta, quæ contra Seraphici Doctoris sententiam ab aliis fuerant proposita ; nihilominus eamdem sententiam ipse impugnat hoc modo *num.* 18: Illa duratio angelica, quæ secundum sanctum Bonaventuram dicitur quantitas habens suam divisibilitatem, non permanentem, sed successivam, ita quod uni ejus *nunc* raptim fluenti succedat aliud; illa, inquam, duratio, seu quantitas, aut est identificata existentiæ Angeli, aut non est identificata ipsi. Primum dici nequit, quia impossibile est esse successionem in duratione sine successione in existentia ; in existentia autem Angeli non est successio, sicut nec in essentia cui identificatur existentia : ergo, etc. Secundum pariter non potest affirmari, quia sicut ipsa existentia absoluta Angeli potest poni in esse variis productionibus, aut eadem productione continuata, ita potest duratio absoluta, quam habet per primam productionem poni in esse per secundam productionem, aut eamdem continuatam : ergo quando conservatur Angelus pro secundo

instanti, non est necesse dari ipsi novam durationem distinctam ab illa, quam habuit in primo instanti, et consequenter duratio ipsius non erit quantitas successiva constans ex variis partibus. Si dixeris quod eadem duratio absoluta possit poni rursus in esse, sed pro diversis *nunc; Contra,* si potest poni in diversis *nunc:* ergo potest conservari in illis: ex quo sic arguo: aut potest conservari in illis per aliam durationem distinctam, et ita dabitur processus in infinitum, quia eodem modo quæretur de alia duratione: aut potest conservari in illis absque alia duratione, et ita sicut eadem existentia est in diversis *nunc,* eadem etiam duratio erit in illis, quod est intentum. — *Impugnat secundo Doctor* eamdem sententiam quatenus assereret illam durationem esse quid successivum, quia, inquit, *Non videtur ponendus novus respectus sine novo fundamento, vel termino, et absque aliqua novitate ex parte extremorum: ergo si Angeli existentia sit eadem, et eodem modo Deus se habeat in secundo instanti ac in primo, non videtur admittendus novus respectus.*

Probatur insuper conclusio auctoritate sanctorum Patrum, primo quidem S. Augustini *lib.* 83. *qq. q.* 72. ubi dicit, quod tantum id stat inter ævum, et tempus, *Quod ævum est stabile, tempus autem mutabile.* Item S. Dionysius, *De divinis nominibus* cap. 10. ait, *Proprietatem ævi esse totum simul, secundum totum metiri:* non ergo secundum partem, et partem, et successive. Et cap. 5. dicit *Verum esse quietum, et totum simul vitam.* Item Gregorius in *Moralibus,* dicit de gaudio Beatorum, *Nihil præteriisse, nihil advenisse, nihilque futurum esse:* ergo est totum simul.

Probatur iterum ratione fundamentali: ideo æviternitas foret successiva, quia nempe constaret pluribus *nunc,* sive instantibus sibi invicem succedentibus: sed id non videtur esse verum: ergo, etc. *Major* est S. Bonaventuræ. *Minor* probatur: illud primum *nunc,* seu instans ævi, aut idem est cum existentia Angeli, aut aliud: si idem, igitur sicut existentia Angeli manet semper eadem ex S. Bonaventura, ita et nunc idem permanet. Si vero dicas, est aliud; *Contra:* sicut ipsa existentia ex sancto Bonaventura potest infinities poni in esse, ita et illud *nunc* aliud ab essentia et existentia Angeli potest frequenter poni in esse, et ita potest conservari idem *nunc* ævi, sicut et eadem existentia: ergo non est necessaria pluralitas ipsorum *nunc:* sed unum sufficit. Si vero dicas, quod si frequenter ponitur in esse, ponetur in diversis *nunc: Respondeo,* quod vel dandus erit processus in infinitum, vel dicendum idem *nunc* posse conservari sine novo *nunc.* Probatur, quia illud primum *nunc,* vel potest conservari sine alio, vel non. Si primum, habeo intentum; si secundum, quæro de illo alio *nunc,* an possit conservari sine alio; et sic vel deveniendum erit ad aliquod *nunc,* quod possit sine alio conservari, vel dabitur processus in infinitum. *Insuper,* quamvis hoc ultimum detur, tamen non erit necesse in ipso *nunc* esse successionem; nam sicut ponitur essentia Angeli eadem, et invariabilis, etsi in alio, et alio *nunc* ponatur, ita idem *nunc* potest permanere invariabile in se, quamvis in alio, et alio *nunc* ponatur in esse. *Confirmatur,* quia conservatio Angeli, vel accipitur pro conservatione activa, vel passiva. Si primum, est tota simul nullam habens successionem,

est enim actio divina, cui permanentia secundum se considerata non repugnat sicut nec termino ejus, scilicet Angelo. Unde poterit Deus per hujusmodi actionem conservare Angelum, præsertim cum talis conservationis modus sit rebus ipsis indivisibilibus magis connaturalis, et consequenter magis debitus. Præterea, quia actio conservativa rei incorruptibilis ex natura sua est incorruptibilis, quia nullum habet suæ desitionis principium intrinsecum : ergo, etc. Si secundum, est ipsum esse angelicum invariabile : ergo nullam habet successionem, et per consequens non bene asserit opposita sententia ævum ex parte conservationis Angeli includere successionem.

Objicit 1. Doctor varias Sanctorum Patrum auctoritates, quæ sententiæ Seraphici Doctoris videntur suffragari : in primis vero S. Augustinum l. 1. Confessionum c. 1. *Nunc temporis si semper staret, et non flueret, non esset tempus, sed æternitas :* ergo si *nunc* ævi non flueret, etiam deberet æternitas reputari : sed consequens est absurdum : ergo etiam id unde sequitur. Item *lib.* 4. *super Genesim cap.* 14. exponens illa verba, *Pater meus usque modo operatur ;* subdit: *usque modo consummationem operis significat, aliter enim posset intelligi si diceretur,* nunc *operatur, ubi non est necesse ut operis consummationem acciperemus, aliter autem cogit intelligi cum ait, usque* nunc *ex illo quo cuncta operatus est.* Quibus significat S. Augustinus aliquam esse continuationem in actionibus Dei ad extra, per quam conservat creaturas a se productas, subindeque continuationem in duratione creaturarum : sed continuatio successionem importat : ergo quælibet creaturarum, adeoque Angelorum conservatorum duratio successiva est. *Subscribit* Boëtius lib. 1. *De Trinitate* cap. 9. *Quamvis,* inquit. *secundum Philosophos de corporibus cœlestibus, et spiritibus possit dici, quod sunt semper, magna tamen est differentia in semper esse, in Deo enim tantum præsens est, non currens ; nunc autem fluens facit sempiternitatem,* idest ævum : ergo Æviternitas est duratio fluens. Favet etiam S. Damascenus lib. 1. *De Fide* cap. 25. *Sæculum,* inquit, *dicitur quod semper protenditur cum Æternis, velut spatium :* sed Angeli durant per sæcula ; ergo eorum duratio protenditur velut spatium, et consequenter includit partes sibi invicem succedentes. Consentit etiam S. Anselm. in Prosologio c. 24. *Hoc quoque modo transis omnia, etiam æterna,* inquit Deum alloquens, *quia tua, et illorum Æternitas tota tibi præsens est, cum illa nondum habeat de sua Æternitate, quod venturum est, sicut jam non habet, quod præteritum est :* ergo censet durationem Angelorum non existere quantum ad illam partem quæ præteriit, neque quoad illam quæ futura est, adeoque putat Angelorum durationem includere partes sibi invicem succedentes. *Denique* sanctus Hieronymus Epistola ad Marcellam, ait: *Tantum Deus est, qui non novit fuisse, vel futurum esse :* ergo creatura in suo esse habet præteritum et futurum, et consequenter successionem. — **Respondet Doctor** *num.* 24. his omnibus auctoritatibus solum suaderi, quod nulla creatura est a prima Causa independens, sed semper dependens ; non tamen dependentia continua alia, et alia, sed eadem propter quam creatura quælibet habere potest esse cum una parte temporis, et non cum alia, sicque potest quasi cadere sub tempore, hoc est coexistere uni parti temporis, et non alteri ; qua ra-

tione dicitur fuisse, non vero fore, et ita non habere esse Æternum. *Respondeo* 2. majoris elucidationis gratia ad eas omnes auctoritates sigillatim; et quidem *ad primam S. Augustini*, dico eum solum intendere, quod si duratio temporanea ex se semper necessario subsisteret, nec ullatenus etiam ab extrinseco posset deficere; revera foret æternitas, quod, ut apparet, omnino est impossibile: non autem vult, quod si illa duratio subsisteret absque ullo fluxu, et cum ordinaria Dei conservatione, deberet esse æternitas; exinde enim non sequeretur eam non posse ullatenus deficere sicut ipsa Æternitas omnino est indefectibilis. Unde distinguo consequens: si Æviternitas non flueret, hoc est, si esset omnino indefectibilis, foret Æternitas, concedo; nec enim sic illam volumus esse non fluentem: si non flueret, quatenus non haberet partes succedentes, foret Æternitas, nego consequentiam. *Ad secundam* ex S. Augustino sententiam, nego ex ea illatum subsumptum: eo enim ipso, quod eadem ipsa actio, qua res producta fuit, semper continuatur, etiam continuatur ipsa res conservata absque aliqua successione in seipsa, aut in ipsius duratione. *Ad auctoritatem Boëtii* respondeo ipsum velle, quod sempiternitas Dei sit semper præsens ita necessario, ut omnino sit indefectibilis, etiam respectu cujuscumque; sempiternitas vero, quam haberet Angelus si ab æterno fuisset creatus, non semper præsens necessario extitisset, quippe cum potuisset deficere Deo volente: unde illa sententia eo modo quo prior S. Augustini est distinguenda. *Ad S. Damascenum* dico ultimam ex ejus auctoritate consequentiam illatam esse negandam: protensio namque per spatium dici potest non quod habeat partes sibi invicem succedentes, sed quod ipsamet existentia eadem semper indivisibilis conservetur. *Ad S. Anselm.* dico tantum velle, quod cum Angeli non semper necessario extiterint, nec extituri sint, quippe cum Deo volente deficere possint: idcirco ratione illius possibilis defectionis revera dici possunt non habere quod futurum est, neque quod præteritum est: quemadmodum Deus id habet necessario, quia summe necessario, semper fuit, est, et erit. Hinc neganda est consequentia: tota namque illa Angeli duratio pro tempore præterito, et futuro modo existit, licet non necessario extiterit pro præterito, nec absolute loquendo ita pro futuro sit extitura. *Denique ad sanctum Hieronymum* nego consequentiam ex ejus auctoritate illatam: Angelus namque etsi habeat durationem permanentem, cognoscere potest præteritum, et futurum, quippe novit se non necessario extitisse, nec extiturum, quandoquidem possit annihilari, Deo ita statuente.

Objicit 2. Aliam sancti Augustini auctoritatem ex lib. 8. *De Genesi ad litteram* cap. 19. ubi ait: *Sicut aër respectu Solis non est factus lucidus, sed fit lucidus, alioquin absente Sole remaneret aër lucidus: ita se habet creatura respectu Dei.* Ex quibus sic pro opinione S. Bonaventuræ arguit Doctor Subtilis sup. laud. qu. 1. num. 4: Creatura continuo producitur a Deo conservando, et conservatur producendo, et non tantum dependet a Deo, quatenus actio productiva ipsius exit a Deo pro primo instanti quo habet esse, sed etiam quatenus pro quolibet instanti quo conservatur in esse, actio illa divina qua conservatur continuo exit a Deo; at non est illa ipsamet actio qua

producebatur a Deo pro primo instanti, quæ a Deo exit pro aliis instantibus in quibus conservatur : sed alia omnino actio distincta succedens priori : ergo duratio Angeli non est tota simul, sed successiva. Patet consequentia, quia actio illa conservativa est de ratione durationis Angeli, vel tamquam ratio formalis, aut pars intrinseca ; vel tamquam conditio sine qua non : ergo si conservatio illa sit successiva, etiam ipsa Angeli duratio successiva erit, aut saltem pendebit ab aliquo successivo. Probat *minorem* Doctor: actio conservativa est vera actio positiva : sed non est eadem qua Deus in primo instanti Angelum produxit : ergo est alia ipsi priori succedens. *Major* patet, quia, inquit Doctor, conservare, non est tantum non destruere, sed est aliqua actio Dei positiva, alioquin diceretur conservare lumen, qui non claudit fenestram, quod aperte falsum est, posset enim etiam eo absente lumen in aula conservari. *Insuper,* si conservatio non esset actio positiva, sequeretur, quod annihilatio ipsi opposita, esset actio positiva, quia non datur negatio negationis : sed falsum est, quod annihilatio sit actio positiva, quia annihilare est non agere ; igitur conservare est agere. *Denique*, nulla creatura est in suo esse independens, quia non est actus purus : igitur continue dependet a causa, non tantum ratione primariæ suæ productionis, qua accepit esse ab ea causa, quasi illud esse continuo ab illa non acciperet, quia sequeretur, quod conservare nihil aliud esset, quam prius egisse, et modo non destruere : ergo necessum est, quod actio conservativa sit positiva. Probatur itaque *minor*, nempe quod actio illa positive conservans, distincta sit ab actione primo productiva ; quia per actionem illam productivam qua res accepit esse in primo instanti, non potest dici formaliter, et ultimate absque ullo superaddito conservari in illo esse pro aliis instantibus sequentibus ; posset enim esse illa actio primo productiva absque eo, quod res conservaretur pro alio instanti sequenti ; siquidem in illo instanti sequenti posset annihilari : ergo, ut existat pro alio instanti sequenti, debet esse alia actio ipsius conservativa a priori distincta. — *Si dixeris* quod equidem ab illa actione sola non habeat res per illam producta quod existat pro alio posteriori instanti, sed ulterius requiri, quod sit illud posterius instans quo posito, et sine ulla actione nova, aut aliquo modo superaddito res illa ipsi posteriori instanti coexistit ; *contra* sic urget Doctor : si Angelus productus in primo instanti haberet ex se, et sine aliquo superaddito posse coexistere tempori sequenti, posita solum existentia futuri temporis, sequeretur quod ipsius duratio ab Æternitate non discreparet ; Æternitas enim non potest coexistere futuro tempori nisi futurum tempus existat ; ubi autem non amplius existet, nec Æternitas ipsi coexistet. Adde quod non obstante productione Angeli pro primo instanti posset non habere coexistentiam cum instanti futuro, etiam existente ipso futuro tempore ; quia posset pro illo instanti non conservari : ergo ab actione qua accipit esse pro primo instanti non habet esse pro instanti futuro, etiam existente tali futuro instanti. Itaque — **Respondet Doctor** num. 20. negando *minorem*, et concedendo consequentiam utriusque probationis, ex quibus non sequitur quod conservatio sit actio distincta a prima productione quantum ad positivum utriusque ; quamvis prima productio, quatenus dicit respe-

ctum ad non esse immediate præcedens rei productionem, sit distincta ab actione conservante, quatenus non dicit talem respectum, sed potius respectum ad esse immediate præcedens : actio enim productiva præsupponit non esse rei quæ producitur, actio vero conservativa supponit rem, quæ conservatur, prius habuisse esse per primam sui productionem. — Ut autem facilius solvatur ista objectio cum suis probationibus, *Respondeo:* ex hypothesi quod duratio esset modus distinctus ab ipsa re durante, inde quidem sequi, quod ille modus quo mediante coexisteret res instanti primo, non posset sufficere ut existat instanti secundo ; nec posset consequenter facere Angelum existentem pro instanti secundo, nisi ipsamet existeret pro instanti secundo : ergo ut existeret res pro instanti secundo, deberet esse alius modus distinctus quo mediante sic existeret. De suppositione vero quod duratio Angeli, et actio qua producitur, non superaddat aliquid supra entitatem, et existentiam ipsius, præter volitionem Dei, qua vult ipsum producere tanto tempore, aut tanto, argumentum nihil concludit; quia falsum est quod actio illa Dei, qua producitur pro primo instanti, de facto possit conservari, quin conservaretur Angelus, in sensu nempe composito, et ex hypothesi quod actio Angeli conservativa semper subsisteret. Unde licet dari possit aliqua actio productiva, quæ ex se, et sine aliquo alio superaddito non sufficeret ad conservationem rei, puta si Deus vellet producere Angelum cum ea intentione, ut per unicum tantum instans Angelus ille subsisteret : tamen cum actio qua de facto creat Angelum sit illa volitio qua vult ipsum producere pro Æternitate a parte post, cumque illa volitio non possit esse quin Angelus necessario sic existat pro Æternitate, hinc prætatum argumentum nullam difficultatem infert.

Objicies 3. Si duratio Angeli, qua debet existere v. g. pro anno, non sit quid successivum, sed indivisibile, simplex, et immutabile ; sequitur, quod post medium annum Deus non posset efficere quin ille Angelus subsisteret pro alia anni medietate sequenti ; sicut non potest efficere quin extiterit pro præcedenti medietate ejusdem anni. Sed consequens est absurdum ; falsum enim est, quod Deus pro quolibet tempore non possit creaturam a se productam destruere : ergo, etc. Probat sequelam *majoris* Doctor nu. 6.: in eo qui habet totum esse simul, idem est fuisse, esse, et futurum esse : sed quod fuit, impossibile est, quod non fuerit : ergo si in Æviterno idem est fuisse et fore, etiam impossibile est, quod non sit futurum. At hoc proprium est solius Dei cujus Æternitas fuisse, esse, et fore necessario ac indivisibiliter complectitur. *Deinde*, Deus non potest ab æterno velle contradictoria, ut contradictoria : sed potest velle Angelum creare, et annihilare, et consequenter potuit velle ipsum esse, et non velle ipsum esse: ergo esse Angeli, et non esse ipsius non videntur contradictoria : sed revera tamen essent contradictoria, nisi assignarentur diversa *nunc*, seu diversa instantia durationis in quorum uno vellet creare, et existere Angelum, et in altero vellet ipsum annihilare, seu non vellet creare, et ipsum esse : at ipsa diversa *nunc* non debent esse instantia temporis, quia posset Deus velle creare, et annihilare Angelum quamvis nullum daretur tempus : ergo debent esse diversa instantia Ævi-

ternitatis, seu durationis Angeli sibi invicem succedentia, et consequenter duratio Angeli erit successiva. — **Respondeo** 1. *Distinguo minorem:* absurdum est, quod Deus non possit annihilare Angelum pro quolibet instanti in sensu diviso, et ex hypothesi quod non decreverit ipsum conservare pro illo instanti, concedo: in sensu composito, et ex hypothesi quod statuerit ipsum pro illo instanti conservare, nego. *Respondeo* 2. Distinguendo sequelam *majoris:* si duratio Angeli sit quid indivisibile se tenens ex parte ipsius Angeli, necessario debet facere Angelum durantem pro toto anno, concedo: si illud indivisibile non se teneat ex parte ipsius Angeli, sed Dei, nego. Falsum autem est, quod illa duratio sit quid indivisibile se tenens ex parte Angeli præcise, est enim ipsa volitio Dei qua vult ipsum existere pro anno, aut pro Æternitate, quæ volitio est una, et indivisibilis: inde nullatenus est inconveniens, quod si Deus velit Angelum producere, et conservare pro anno, aut Æternitate, Angelus etiam debeat conservari tanto tempore in sensu composito, et quod Deus non possit ipsi non dare esse futurum, sicut non potest ipsi non dedisse esse præteritum. *Ad primam probationem sequelæ*, distinguo *minorem:* repugnat durationi creatæ, quod simul habeat esse, fuisse, et fore, quatenus duratio est rei creatæ, se tenens ex parte ipsius creaturæ, concedo *minorem:* se tenens ex parte Dei creaturam conservantis per volitionem suam indivisibilem et simplicem, nego. *Ad secundam probationem* nego *minorem;* qua ratione enim non esset contradictorium, quod Deus vellet creare, et annihilare Angelum si duratio ipsius esset successiva, ita pariter non foret contradictorium si duratio ejus sit quid permanens, et indivisibile: ad salvandam enim illam contradictionem nihil juvat, quod illa duratio sit divisibilis potius, quam indivisibilis. Qualiter autem illæ duæ volitiones oppositæ respectu Angeli conservandi, et annihilandi non possent esse contradictoriæ, colligitur ex eo, quod Deus potest velle Angelum esse taliter, ut si esset tale, aut tale tempus existens, vi istius volitionis non possit Angelus durare nisi tanto, vel tanto tempore finito: et exinde haberet volitionem qua vellet ipsum ulterius conservare, ratione cujus volitionis fieret, quod licet ulterius tempus admitteretur, tamen Angelus in ipso non existeret. Unde distinguo *subsumptum:* illæ duæ volitiones oppositæ forent contradictoriæ, nisi assignarentur diversa *nunc* sive æviternitatis, sive temporis actu existentia, nego: si assignentur diversa illa *nunc* possibilia in quorum uno posset esse creatio, et in altero negatio creationis, concedo. Igitur illa diversa *nunc* non debent esse *nunc* temporis, aut ævi, quæ existant actu; sed possent esse diversa *nunc* **temporis possibilia.**

Objicit 4. Angelus est in æternum duraturus: ergo habebit durationem in infinitum, adeoque si ipsius duratio non sit successiva, sed tota simul, consequens est, quod ipsius duratio sit infinita actu: et consequenter, quod aliquid creatum est infinitum actu: sed absurdum est, quod aliquid creatum sit actu infinitum: ergo, etc. — **Negat sequelam majoris Doctor** *n.* 23.; ad hoc enim, ut esset aliquid infinitum propter coexistentiam, quam posset habere cum infinito tempore, deberet coexistere omnibus partibus infiniti istius temporis: sicut enim illud tempus non esset infinitum nisi quatenus includeret

infinitas partes, ita id quod ipsi coexisteret non foret infinitum nisi pariter coexisteret omnibus ejus partibus: cum autem partes temporis infiniti nusquam possint esse simul actu, nec etiam coexistentia ipsis partibus poterit esse simul actu. Adeoque licet Angeli duratio sit indivisibilis secundum se, tamen cum sit divisibilis respectu coexistentiæ ad tempus infinitum, si daretur, non sequitur, quod secundum se, et permanenter debeant esse actu infinita, licet habere possit coexistentiam successivam ad partes temporis infiniti si daretur.

Objicit denique: Angelus potuit creari non peccator, et postea potuit peccare, etiam si nullum fuisset tempus: ergo in ipsius duratione potest esse prius, nempe in quo non esset peccator, et posterius, in quo peccator existeret; adeoque ejus duratio est successiva. *Confirmatur:* posset Angelus creari, et postmodum annihilari, aliusque postea Angelus creari: in illo autem casu verum non esset, quod illi duo Angeli simul existerent pro eodem *nunc:* ergo pro diversis *nunc* deberent existere: sed posset unus alius Angelus coexistere illis duobus Angelis, nempe annihilato, et alteri de novo producto; ergo in duratione tertii Angeli esset prius, et posterius; prius quidem, ratione cujus diceretur coextitisse Angelo annihilato: posterius vero per quod coexisteret Angelo de novo producto. — **Negat consequentiam Doctor** tum argumenti, tum confirmationis *nu.* 24. Quamvis enim unus Angelus alium subsequatur, et de non peccante fiat peccans, inde non sequitur, quod sit successio in ipsius duratione, sed tantum esset successio inter durationem et ipsius annihilationem, necnon inter innocentiam et ipsius injustitiam: ita quod quamvis ipsius duratio coexistat innocentiæ, et injustitiæ sibi invicem succedentibus, non inde sequitur, quod sit aliqua successio in ipsius duratione; indivisibilis enim duratio, quæ prius coextitit innocentiæ, potest coexistere ipsius injustitiæ. Eodem modo tertius Angelus posset coexistere Angelo prius producto, et Angelo posterius producto sine successione ulla in duratione sua intrinseca; sicut ipsa æternitas, quæ est indivisibilis, et sine ulla successione formali, secundum omnes, coexistit diei hesternæ, et hodiernæ.

* "**Corollarium.**—Ex his manifestum fit quod etsi Subtilis Doctor solverit omnia argumenta Henrici ac S. Thomæ contra sententiam S. Bonaventuræ, demonstraveritque ea non convincere nec recte deduci; nihilominus tamen falso ipsi imponit Cajetanus, cum ait illum sensisse cum S. Bonaventura Angelum mensurari successiva duratione, seu quod Angeli duratio formalem successionem includat, nec etiam recte sentire Ridam controv. 4. art. 1., Delogad. illo tractatu *De Angelis*, cap. 9. et alios, qui existimant Doctorem illam sententiam tamquam probabilem posuisse et suis argumentis firmasse. Quisquis enim legerit argumenta Doctoris pro ævo indivisibili Angelorum et rerum spiritualium, imo et materialium substantiarum ingenerabilium, facile sibi persuadebit illum non potuisse eam de ævo successivo sententiam tamquam probabilem proponere. Qua ratione enim ista cohærerent cum his quæ habet in 2. dist. 2. quæst. 2. num. 3. ubi manifeste probat ævum Angeli esse indistinctum realiter ab ipsius existentia, quod etiam in sequenti Conclusione demonstrabimus? Docet autem ibi Doctor et

in sequentibus durationem existentiæ Angeli esse indivisibilem. Quomodo ergo cum hac doctrina stare posset probabilitas alterius sententiæ quæ formalem successionem in angelica duratione constituit? " *

Conclusio tertia. — Duratio angelica non distinguitur realiter ab Angelo. Ita subtilis Doctor *in secundum, dist.* 2. *quæst.* 2. *n.* 3. Ubi hanc conclusionem sic

Probat: Hoc ipso quo res aliqua producitur et conservatur, vel quod terminat actionem productivam et conservativam, durat vel in instanti, vel in tempore : ergo nihil aliud requiritur, ut duret : tum quia si esset duratio aliquid distinctum a re durante, et actione ejus productiva ac conservativa, esset aliquid absolutum, vel respectivum : sed neutrum dici potest : ergo non est distinctum aliquid ab illis. *Minor* patet : non enim est respectivum, quia respectus realis debet habere terminum realem : potest autem res durare absque eo, quod sit aliquid reale ad quod diceret respectum, puta si Deus unicum Angelum produceret : non etiam absolutum, quia esset posterius re durante, et consequenter res durans produci posset absque illo; quod est absurdum, quia sic duraret, et non duraret : duraret quidem, quia produceretur : non duraret autem, quia non haberet durationem, quæ esset aliud absolutum posterius non productum.

Probatur 2. Quotiescumque aliqua distinguuntur realiter, et eorum aliquod est natura prius altero ; etiam eorum unum potest existere sine altero : ergo si æviternitas distinguatur realiter a substantia Angeli, cum sit ipsa substantia posterior, sequitur, quod Angelus potest esse, et manere sine sua æviternitate, et sic sine duratione sua durabit, quod implicat. *Insuper* si ævum est distinctum realiter ab esse Angeli, vel Angelus seipso durat, vel alio a se distincto. Si seipso : ergo pari ratione ipsa existentia poterit seipsa durare formaliter, quia istud aliud non erit perfectius ipsa actuali existentia ejus, cum sit quasi passio ejus : si autem alio a se absoluto durat in esse, erit processus in infinitum in mensuratis, et mensuris. Amplius, *pluralitas non est ponenda sine necessitate,* ex primo Physicorum : sed nulla necessitas est, quod ævum pro duratione æviterni sumptum, sit aliud ab æviterno : ergo non est aliud. *Denique*, si ævum realiter et essentialiter distinguitur ab Angelo, vel æviterno cujus est duratio, sequitur quod sit aliquod accidens ejus : sed videtur impossibile, quod per accidens duret ipsa substantia, magis enim videtur accidens durare per substantiam, quam e converso : ergo, etc.

Dices 1 : Tempus realiter distinguitur a motu, quem mensurat : ergo pariter admitti debet necessario aliquid distinctum realiter ab essentia Angeli, quod sit illius mensura. — **Negat consequentiam Doctor** : quia, inquit *num.* 8. *ejusdem quæstionis*, « licet tempus differat « a motu, et per consequens instans a mutatione, non videtur idem « dicendum de duratione Angeli : nam, inquit, si tempus differt a motu, « hoc ideo est, quia partes ejusdem proportionis alicujus non neces- « sario sunt æquales in numero, et quantitate partium ejusdem pro- « portionis temporis ; nulla autem quantitas est eadem alteri quantitati, « nisi partes ejusdem proportionis et quantitatis in ea sint æquales « partibus ejusdem proportionis et quantitatis in reliqua, et hoc æqua-

« les tam in numero, quam in magnitudine: loquendo autem de quan-
« titate, quæ est in motu, quam habet ex parte magnitudinis, sive formæ
« secundum quam est motus, possunt aliquæ partes motus, puta de-
« cem partes integrantes totum motum, esse cum decem partibus tem-
« poris; sed non sunt eædem eis, quia, cum eisdem partibus temporis
« possunt esse plures partes motus æquales prioribus partibus motus,
« vel tot inæquales, quia dupla virtus movet idem mobile, et per con-
« sequens in duplo velocius, nulla pars erit in motu tardiori, quæ non
« erit in motu velociori, loquendo de partibus quas habet in magni-
« tudine, vel de partibus quas habet secundum formam qua est: quia
« movens mobile motu velociori non facit simul pertransire aliquas
« partes magnitudinis, sed præcise alteram post alteram: ergo tot partes
« sunt in motu velociori, et tantæ, loquendo de ista quantitate, quot
« et quantæ sunt in motu tardiori; non potest autem idem tempus,
« et habens easdem partes cum isto motu, et cum illo motu: ergo illæ
« partes temporis non erunt eædem, nec partibus istius motus, nec il-
« lius, quia non in eadem proportione se habent ad totum, nec sunt
« æquales istis partibus totius». Ita Doctor. Non est autem eadem ratio de æviternitate, et Angelo, quippe tam Angeli substantia, quam ejus duratio sunt omnino indivisibiles: adeoque una non potest alteram excedere.

Dices 2: Quantitas permanens est accidens distinctum a subjecto: ergo et successiva, quia utraque est ejusdem generis, seu prædicamenti: et consequenter utraque debet esse distincta a subjecto, maxime si subjectum sit substantia: sed quod mensurat existentiam Angeli est quantitas successiva: ergo mensura Angeli distinguitur realiter ab ipso. — **Respondet Doctor** *num.* 11. quod non est aliquid in actuali existentia Angeli, quod sit proprie quantitas, nec indivisibile de genere quantitatis; quia existentia videtur posse nosci absque omni alio addito. Unde negatur suppositum subsumpti, nempe quod detur in Angelo aliquid, quod mensuret existentiam ejus: quod si etiam daretur aliquid tale, certe non esset quantitas, qua non esset aliquid realiter ab ipso distinctum.

Dices 3: Si res durare posset a seipsa sine alio addito posset etiam esse in loco a seipsa sine novo ubi superaddito, contra nostram sententiam. — **Respondeo** *negando paritatem:* quia res non habet necessario esse in loco ex eo quod producatur; posset enim independenter habere; habet autem durare hoc ipso quo producitur, et conservatur. Unde ut sit in loco, debet aliquid convenire præter conservationem: ut vero duret, non debet aliquid aliud a conservatione advenire.

Instabis: Angelus est tam indifferens, ut sit in hoc, vel in illo tempore, ac ut sit in hoc, vel in illo loco: ergo quemadmodum præter illam indifferentiam ponitur ubi distinctum, quod determinatur ad hunc locum potiusquam ad alium; sic ut ponatur in hoc tempore potiusquam in alio, poni debet aliquid additum: illud autem non est aliud, quam duratio: ergo, etc. — **Respondeo** *negando subsumptum;* quia duratio non est illud a quo res habet esse hoc, vel illo tempore, sed quo possit tanto, vel tanto tempore existere, comprehendendo sub nomine temporis vel partem ejus divisibilem, vel instans indivisibile.

Corollarium I. — *Ex his colligit Doctor num.* 11. quod non detur in Angelo aliqua forma ipsi intrinseca distincta realiter ab ipsius existentia, per quam mensuraretur. *Probat hoc;* quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi hujusmodi mensuram in Angelo: ergo, etc. Probatur *minor;* quia si esset necessitas ponendi mensuram distinctam, esset necessitas ponendi durationem distinctam: sed hoc non est necesse, ut patet ex probatione primæ conclusionis. *Confirmatur;* quia illa ipsa argumenta quibus probatum est non dari in ipso durationem distinctam, probant non dari in ipso mensuram distinctam. *Confirmatur secundo;* quia si poneretur mensura in Angelo, non poneretur in ipso mensura excedens, nec excessa, cum non possit intelligi qua ratione esset excedens aut excessa; ergo deberet poni mensura æqualis ipsi: sed hoc etiam nequit dici, quia nihil positum in Angelo potest esse notius quantum ad mensurandum, neque ex natura rei, neque per accidens, quam ipsamet existentia Angeli: ergo nihil ponitur in ipso quod possit esse mensura istius existentiæ: et quamvis aliqua quantitas totalis distincta cognita posset esse mensura ipsius quantum ad aliquas partes ejus, tamen nec sic etiam potest poni ratio mensuræ in Angelo, quia non habet partes quæ mensurari possent per ipsum. *Addit ad hoc Doctor* quod non solum non sit necesse ponere aliquid absolutum pro mensura, sed nec relationem aliquam, quia non est necesse hic aliam relationem aliquam ponere, quam illam quæ est ad causam efficientem, vel conservantem, et illa non est aliud a fundamento.

Corollarium II. — *Colligit secundo quæstione tertia,* mensuram externam aliquam esse admittendam in duratione Angelorum, eamque esse vel extra genus, vel in genere. Prior est ipsemet Deus ratione suæ infinitæ durationis secundum quam res creatæ possunt dici ipsi plus vel minus coexistere. Posterior vero est existentia primi Angeli, cujus æviterna duratio cæterorum dici potest mensura: hæc enim mensura primi Angeli respectu omnium æviternorum est simplicissima, atque magis uniformis, regularis, et notior simpliciter in genere æviternorum, proinde est mensura omnium existentiarum aliorum Angelorum: sicut motus primi mobilis, quia est omnium simplicissimus, notissimus atque uniformior et diuturnior, ponitur mensura omnium motuum, et tempus omnium temporalium. Quemadmodum ergo cujuslibet Angeli existentia suo particulari ævo, tamquam mensura sua extrinseca mensuratur, et eo modo ab alio distinguitur, ita ut tot sint æva, quot sunt æviterna: ita generaliter loquendo unicum est ævum omnium æviternorum, videlicet existentia primi Angeli distincta ab existentia cujuslibet æviterni, et propterea dicitur mensura extrinseca etiam in ratione durationis. — *Probatur* ex eo quod, ut supra diximus ex Aristotele, in quolibet rerum genere est aliquod primum quod est causa, et mensura reliquorum: igitur in durationibus rerum spiritualium est recurrendum ad primam durationem magis perfectam, et uniformem, ut metiamur aliarum durationes; ista autem duratio est in illo primo Angelo cujus natura est simplicior, perfectior, ac magis uniformis, et regularis in sua duratione; et per consequens ejus existentia est aliarum rerum incorruptibilium mensura

saltem extrinseca, cum unumquodque æviternum suam habeat propriam intrinsecam, ut dictum est. Unde sicut mensura sive tritici, sive vini, et aliorum ejusmodi in aliqua Republica solet publico sigillo muniri, ut omnibus innoteseat illam esse fidelem, et certam, ad hoc ut ad illam cæteræ expendantur mensuræ; ita cum ars imitetur naturam, dicendum est primi, et supremi Angeli substantiam proportione servata esse uniformem, et perfectam omnium aliorum spirituum mensuram, quæ quidem mensura est eadem realiter cum illius supremi Angeli existentia cui inest, sed distinguitur realiter ab existentiis aliorum quas mensurat, sicut supremus ille Angelus distinguitur realiter ab omnibus aliis Angelis.

Dices 1: Si ævum primi Angeli est mensura omnium æviternorum: ergo destructo primo Angelo in quo est, etiam tale ævum destrueretur, et per consequens omnia alia æviterna ab eo mensurata mutarentur: at hoc est inconveniens: ergo, etc. — **Respondeo** quod hoc dato, non mensurarentur ævo primi Angeli, nec proinde mutarentur secundum suam entitatem absolutam, quia relatio mensuræ ad mensuratum non est realis, sed rationis, quæ nullam importat mutationem; nam primus Angelus se habet ad alia æviterna, sicut mensura excedens, non autem sicut mensura a qua mensuratum dependet.

Dices 2: Mensura debet esse notior re mensurata: sed ævum primi Angeli non est notius aliis Angelis, nam potius proprium ævum est notius cuilibet Angelo, quam ævum primi Angeli: ergo, etc. — **Respondeo** sufficere quod mensura sit in se notior, etiamsi non sit notior ei qui ea utitur, nam quoad nos notiores sunt motus horum inferiorum quam motus primi mobilis qui est mensura omnium, quia in se est notior; ita autem se habet æviternitas primi Angeli.

Dices 3: Omnes Angeli simul creati fuerunt, et duratio omnium est æqualiter uniformis: ergo non est major ratio cur ævum primi Angeli sit mensura æviternorum, quam æva horum sint mensura primi Angeli. — **Respondeo**, quod ævum primi Angeli est simplicius, uniformius, et invariabilius, et ita est mensura respectu æviternorum: sicut quamvis alii cæli sint uniformes in suis motibus, nihilominus non dicuntur mensura primi mobilis, sed potius ab illo mensurari, quia superius est.

His tamen non obstantibus non dubitarem asserere revera nullum Angelum posse dici alterius durationis mensuram ratione majoris simplicitatis; non enim apparet qualiter unus Angelus quoad essentiam posset dici simplicior alio Angelo, quandoquidem omnes sint indivisibiles quoad partes integrales, et physicas, et nullus ex ipsis sit expers compositionis Metaphysicæ, nec compositionis ex essentia et existentia, nec compositionis ex natura et personalitate. Nisi diceretur simplicior forte quod posset plura simul per pauciores actus percipere, et in hoc sensu quamvis possit Angelus perfectior dici simplicior, tamen ex hujusmodi simplicitate non sequitur quod possit mensurare existentiam alterius quantum ad durationem ejus, de qua mensuratione loquimur.

Quæres: *quanam mensura operationes angelicæ mensurentur?*

Respondet Doctor *quæst. quarta*, operationes immanentes, nempe intellectionem et volitionem Angeli, mensurari æviternitate sicut et

eorum substantiam, quod sic probat: quæ eodem modo existunt, quamdiu existunt, habent mensuram ejusdem rationis, quamvis unum ex illis diutius existat quam alterum: sed Angelus, et operatio ejus habent eumdem modum existendi dum existunt, absque ulla differentia, nisi quod Angelus diutius habeat durare quam operatio ulla ipsius: ergo Angelus, et ejus operatio habent mensuram ejusdem rationis: sed Angelus habet ævum pro mensura: ergo et operatio ejus. Probatur *major*, quia eo ipso quo habent similem modum existendi, quicquid potest mensurare unum, potest et alterum, et si non posset, certe ex hoc ipso sequeretur quod non haberent similem modum existendi. *Confirmatur*, quia ex hoc sequitur quod omnes Angeli, quamvis sint alii aliis perfectiores, habent tamen mensuram ejusdem rationis, quia videlicet habent omnes uniformem modum existendi. *Confirmatur secundo*, quia quod unum altero diutius existat, non impedit quin utrumque ævo mensuretur, alioquin sequeretur proportione servata quod quia sonus non tamdiu durat quamdiu motus cæli, non deberet mensurari tempore, sicut mensuratur motus cæli, sed aliqua alia mensura diversæ rationis, quod est absurdum.

Reponens *disparitatem esse;* nam Angelorum existentia semper erit; at eorum cognitio, et aliæ operationes immanentes possunt deficere. — **Contra**, quia per accidens est ad durationem mensuræ quod unum diutius quam aliud permaneat, nam si Angelus solum per horam duraret, adhuc ævo mensuraretur; non enim perpetuitas, vel destructio aut annihilatio variant mensuram formaliter: ergo similiter et ejus cognitio ac aliæ operationes immanentes cum sua natura, dum manent, habeant esse totum simul, et uniformiter permanens, sufficit ut habeant eamdem mensuram quam habet ipsa Angeli existentia. *Confirmatur* hæc ratio, quia non alia de causa res successivæ mensurantur tempore, nisi quia habent modum manendi permanentem; nam, ut supra dictum est, mensura debet proportionari mensurato, et diversitas mensuræ attenditur penes diversum modum manendi mensurati: sed tales Angelorum operationes interiores, et immanentes non sunt successivæ, sed indefectibiles et permanentes sicut ipsamet Angelorum existentia: ergo eamet mensurari debent.

Probat secundo Doctor: Visio beatifica mensuratur Ævo; ergo et operatio immanens Angeli. Probatur consequentia, quia visio beatifica procedit ab intellectu tamquam a causa partiali: ergo intellectus habet productionem terminatam ad ipsam: sed illa productio debet mensurari tali mensura quali mensuratur ipsamet visio: neque enim visio potest esse æviterna, et productio continua ipsius a qua dependet necessario, et per se, alterius mensuræ: ergo illa productio est æviterna, hoc est mensurata ævo: sed si illa productio mensuratur ævo, similiter mensurari debet ævo omnis alia operatio Angeli producta, et conservata indivisibiliter.

Reponunt *Thomistæ*, illas operationes non mensurari quidem æternitate quæ est Dei mensura, sed æternitate participata, quam dicunt esse inferiorem æternitate divina, ac differre ab illa sicut perfectius a minus perfecto; æternitas enim divina est mensura divini esse, æternitas vero participata est mensura esse ordinis divini, et supernaturalis, cujusmodi sunt gratia habitualis, virtutes a Deo infusæ, et

visio beata. — **Contra**: quidquid mensuratur proprie æternitate, ex sua natura indefectibile est ut Deus: ergo quod æternitate participata mensuratur, est indefectibile per participationem: sed nullum datur ens ita indefectibile, quia omne ens creatum absolute loquendo defectibile est: ergo nihil æternitate participata mensuratur. — *Si dixeris* gloriam hoc modo esse indefectibilem; *reponam* potiori ratione, quod cum Angelus sit substantia vivens, ac proinde secundum hanc considerationem nobilior sit in entitate ipsa gloria quæ est accidens, etiam deberet ita mensurari; nam quod sit ens naturale aut supernaturale, parum ad præsentem difficultatem interest. Hoc tamen nullus admittit.

Dices 1: Per hoc distinguitur duratio, et mensura Dei a duratione, et mensura Angeli, quod duratio Dei sit ex natura sua independens ac indefectibilis; duratio vero Angeli sit defectibilis ac dependens ex natura sua, ita ut posset nullo modo esse, et postquam est, deficere: sed operatio angelica habet aliquam defectibilitatem ex natura sua, quam non habet Angelus, quia Angelus petit connaturaliter postquam semel productus est, numquam deficere, quod non petitur ab operatione ipsius quæ connaturaliter potest deficere: ergo operatio Angeli habet mensuram distinctæ rationis a mensura Angeli. Patet consequentia; non enim est potior ratio cur defectibilitas Angeli, et indefectibilitas Dei distinctas mensuras exigant, quam defectibilitas talis operationis angelicæ, et indefectibilitas ipsius substantiæ angelicæ, saltem ab intrinseco, et ratione sui: nec videtur esse potior ratio cur diversus ille modus existendi quem habet Deus, et Angelus, quatenus Angelus existit defectibiliter, et Deus indefectibiliter, exigat diversam mensuram, quam diversus ille modus existendi quem habet Angelus, et ejus operatio, quatenus hic est defectibilis connaturaliter, ille vero non ita; ergo non habent eumdem modum existendi, nec consequenter eamdem mensuram. — **Respondeo**, quod etsi Angeli substantia, et ejus operatio diversam haberent durationem, et mensuram, nihilominus possent invicem convenire in ratione Ævi ut sic, quatenus nempe Ævum distinguitur ab Æternitate, et tempore; Ævum enim sic acceptum nihil aliud est quam duratio rei defectibilis ex se vel per aliud, et habentis totum suum esse simul sine ulla partium successione, talem autem durationem habet angelica substantia, et ejus operatio, adeoque in ratione ævi convenirent, quamvis in ratione specifica talis aut talis ævi invicem discreparent.

Dices 2: Si Angeli substantia, et operatio mensurarentur ævo, sequeretur etiam, quod omnia entia permanentia pariter ævo mensurarentur: sed hoc videtur absurdum: ergo, etc. *Major* constat; nihil enim est permanens cujus existentia non permaneat eadem dum manet, et hoc absque successione proprie dicta, quæ sit acquisitio, vel deperditio partis post partem. Probatur minor *primo*, quia secundum Philosophum 4. *Physicorum textu* 118., quies mensuratur tempore; igitur illa circa quæ natus est esse motus, quando non sunt amplius in motu, mensurantur tempore, sicut ac si essent in motu. *Secundo*, quia omnium generabilium et corruptibilium generationes et corruptiones mensurantur in instanti temporis: cujus autem primum esse mensuratur nunc temporis, ejus esse habitum mensuratur tempore: ergo omnium istorum esse habitum post generationem mensuratur tempore.

— **Concedit majorem Doctor** *eadem quæst. et num.* 9. Nempe, quod ævo mensuretur: *Quæcumque existentia actualis invariabilis, hoc est*, inquit, *cui repugnat ut secundum ipsam sit variatio sive fluxus vel acquisitio partis post partem; nec enim perpetuitas aliquorum, vel corruptio, vel annihilatio aliquorum variat mensuram formaliter, dummodo existentia sit ejusdem rationis dum manet.* Ad *minorem* autem ut respondeat, advertit plura posse considerari circa permanentiam, nam *primo* potest considerari fluxus formæ permanentis divisibilis, quæ acquiritur successive, qui fluxus est ipsamet successiva acquisitio formæ, vel successio partium formæ. *Secundo* considerari potest ipsamet forma secundum quam natus est fluxus ille, seu, qui acquiritur actu successive, ut forma v. g. caloris, aut frigoris producta successive. *Tertio* forma manens secundum quam, potest esse motus, quamvis de facto non sit, ut calor v. g. postquam est productus. *Quarto* forma permanens circa quam non est natus esse fluxus, seu quæ non est nata produci successive, ut formæ substantiales producibiles in instanti, v. g. forma animæ, quæ tamen forma habet aliam formam consequentem secundum quam natus est esse fluxus v. g. formam caloris, aut alterius qualitatis consequentis formam substantialem illam permanentem. *Quinto* denique illud quod est sic permanens, ut nec ad ipsum possit dari fluxus, nec ad aliquam formam antecedentem, aut consequentem ipsam, ut sunt corpora cælestia. Ex his hoc ultimum nempe *Quintum* nullo modo mensuratur tempore, nec per se, nec per accidens, tamquam per mensuram propriam intrinsecam. *Primum* vero mensuratur tempore. *Quartum* secundum se non est natum mensurari tempore ratione consequentis formæ, circa quam potest esse motus, et quies. *Tertium*, et *quartum* in reipsa sunt eadem forma, quæ tamen habet unam rationem, ut ad ipsam est motus, et aliam rationem, ut est sub quiete sine motu. Quem dicendi modum iterum duplicem distinguit Doctor. Primus est, quod semper mensuretur tempore, etiam quando quiescit, et manet secundum omnes suas partes, quia est forma ex se variabilis seu acquisibilis, ac destructibilis successive: et si hoc teneatur, tum *major* non debet intelligi de omnibus permanentibus, sed de illis quæ debent produci, et conservari indivisibiliter, nec prima objectio urget etiam si totum concedatur, quod in ea proponitur. Secundus modus dicendi est, quod illa forma quamdiu est sub quiete mensuretur ævo, quia tunc habet omnes suas partes indivisibiliter existentes. Ait tamen hunc secundum dicendi modum esse minus probabilem quam primum, quia forma producta in tempore pro ultimo instanti istius temporis videtur habere instans illud pro sua mensura, non vero *nunc* ævi; secundum autem hunc modum dicendi hoc esset falsum. Unde concludit, quod quamvis quies hujusmodi formarum mensuretur tempore, non tamen necessario ipsæ formæ sic mensurantur; vel si dicatur juxta priorem modum dicendi, quod mensurentur tempore, tamen dicendum est quod omnes substantiæ generabiles et corruptibiles indivisibiliter sive successive secundum se mensurentur ævo, quamvis per accidens ratione motus consequentis possint dici mensurari tempore. Ita Doctor.

Dices 1: Inter rem cujus substantia, et actio mensuratur tempore,

ut est ignis v. g. et rem cujus substantia, et actio mensuratur æternitate, ut est Deus, datur res media cujus substantia mensuratur ævo, et actio tempore: sed talis res est Angelus potius quam ulla alia res: ergo operatio Angeli non mensuratur ævo. *Major* est Procli, qui est auctor libri *De causis* apud Aristotelem. — **Negat majorem Doctor** *n.* 13. et auctoritatem Procli respuit; *Eo quod,* inquit, *doctrina de causis, tradita est secundum doctrinam Avicennæ erroneam, ac si intelligeret ille Auctor intelligentias esse Deos quosdam, et earum operationes mensurari nunc temporis, non quidem intrinsecam operationem, quia hoc non poneret potentialitatem, nec successionem, sed extrinsecam circa corpus esse in momento temporis: et ideo auctoritas illa non est habenda sicut auctoritas, quia tradita est per radicem erroneam.*

Dices 2: Nihil producitur, ut statim deficiat: ergo quicquid producitur debet aliquamdiu durare; et consequenter operatio angelica debet aliquamdiu durare; sed si mensuraretur ævo, non deberet durare aliquo instanti; quidquid enim mensuratur ævo, et non est sempiternum, debet existere pro aliquo instanti tantum, operatio autem angelica non est sempiterna: ergo si mensuratur ævo, debet existere pro aliquo instanti. — **Negat minorem Doctor**: quamvis enim natura non intendat productionem rei, ut deficiat, et idcirco secundum intentionem naturæ res producta debeat aliquamdiu durare, nihilominus potest aliunde deficere, ut constat in omnibus mutationibus instantaneis, *Quæ,* inquit Doctor, *non habent esse nisi raptim, et statim non sunt,* hoc est, statim esse desinunt.

Dices 3: Talis est mensura operationis angelicæ, qualis visionis beatificæ: sed visio beatifica non mensuratur ævo: ergo nec operationes angelicæ debent ævo mensurari. *Major* constat ex secunda probatione superius deducta. *Minor* probatur: tum ex illo Joannes 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te:* tum ex S. Augustino *lib.* 83. *qq. q.* 25. ubi nostram beatitudinem æternitatem participatam appellat. — **Nego minorem,** et ad ejus probationem dico, primo contextum Scripturæ sumi non pro æternitate formaliter accepta, sed pro ævo sempiterno, quemadmodum anima dicitur æterna, eo quod in perpetuum sit duratura: nam, ut observavimus Articulo de æternitate, nomen æternitatis variis, sed præsertim quinque modis usurpatur in Scriptura. *Ad S. Augustinum* dico, eum non loqui de beata Visione, sed de anima nostra, quam docet esse æternam participatione Æternitatis, quippe cum a Deo, qui æternus est, in perpetuum sint conservandæ.

* " Dices 4: Operationes Angeli, nimirum intellectio et volitio possunt intendi et remitti: at intentio et remissio in doctrina Scoti fit per additionem gradus ad gradum, quæ additio successionem importat ac proinde temporaneam durationem. Igitur Doctor in operationibus angelicis durationem successivam et mensuram temporis admittit. — **Respondeo** primo argumentum non procedere circa operationes beatificas Angelorum quæ omnino sunt invariabiles et remissionis aut intentionis incapaces; ac subinde Doctoris sententia circa illas operationes est omnino inconcussa. — Quod vero spectat ad alias operationes quas elicuerunt dum erant viatores; non apparet qualiter illæ potuerint suscipere magis et minus, quippe cum in eo statu Angeli habuerint cognitionem et volitionem uniformem oriundam ex speciebus sibi infusis quæ

repræsentabant objectum æquabiliter et sine ulla variatione; ac subinde in eo statu Angeli habebant certam et invariabilem cognitionem, cui correspondebant operationes voluntatis etiam uniformes. Igitur circa has operationes argumentum etiam non urget. Ad alias vero operationes quas ex discursu sibi comparant Angeli quod attinet, respondeo quod etsi forte in illis interveniat aliqua remissio et intentio, inde tamen non sequi quod hæc fiant cum tempore et duratione successiva, nam gradus illi sunt omnino indivisibiles, et qui adjiciuntur non faciunt proprie compositionem cum præcedentibus, sed ad unum novum gradum accedentem etiam nova fit cognitio, quæ cum sit indivisibilis, non mensuratur tempore successivo ac subinde mensurari debet eadem duratione qua mensurantur aliæ angelicæ operationes.

Quæres: *Quanam mensura et duratione mensurentur operationes transeuntes Angelorum?*

Respondeo has operationes quales sunt motus localis, corporum deportatio et agitatio etc.,"*dico ipsas esse mensurandas nostro tempore. Hac enim ratione quamdam conditionem corporibus communem, nempe motum localem, et *ubi* participant Angeli: ergo debent etiam participare mensuram rerum corporalium, quæ est tempus continuum. *Confirmatur;* nam in quantum moventur localiter, participant *ubi*, quod est conditio, et passio corporalis aliquo modo ejusdem rationis in ipsis, et in corpore: ergo etiam possunt mensurari mensura primi corporis moti. Imo addo, quod etsi prædicta de operationibus immanentibus secundum sententiam Doctoris, certiora appareant, nihilominus non dubitarem asserere tam ipsius Angeli, quam ejus operationes, necnon et cujuscumque rei permanentis durationem, revera etiam mensurari posse nostro tempore; ita quod per eorum coexistentiam ad nostrum tempus distincte cognosci possit quamdiu duraverint, nempe vel per annum, vel per diem, vel per horam: adeoque earum rerum duratio tam potest dici temporanea, quam quæcumque alia. Quod utique ratione firmari potest, duratio enim angelica aliquam habere debet mensuram, unde facile conjiciatur Angelum tamdiu aut durasse, aut duraturum: sed id cognosci non potest distincte per ipsammet Angeli existentiam; licet enim aliquis intuitive cognosceret naturam Angeli, et realem ejus existentiam, inde tamen non posset certo cognoscere quamdiu duraverit aut duraturus sit: adeoque aliam debet habere mensuram ex qua cognoscatur qualis, et quanta sit ejus duratio, eamque saltem de præterito mensurare. Ad id autem tempus facile deservire potest; siquidem ex hypothesi, quod (sicut probatum est supra) Angeli creati fuerint cum Universo, facile quisque judicare poterit eos jam per tot annorum millia, et centurias durasse, a condito scilicet orbe usque nunc; et si tempus esset perpetuum, ex illo quisque Angelorum posset cognoscere se, et alios tot, et non pluribus annis, diebus, et horis durasse: igitur si consideremus Angelorum coexistentiam ad tempus, asserere licebit ipsum dici posse mensuram externam durationis angelicæ, sicut et aliarum quarumlibet rerum permanentium. — Inde tamen nollem subscribere Thomistis asserentibus operationes immanentes Angelorum tempore discreto mensurari; hæc enim assertio videtur improbabilis: tum quia, ut supra probavimus

quæst. 1. *conclus.* 2. tempus illud discretum omnino fictitium est, et gratis excogitatum: tum quia instans quodlibet temporis discreti necessario coexistit alicui parti nostri temporis, aut instanti: si instanti; ergo tempus nostrum pariter est discretum, habetque instantia sibi invicem immediate succedentia; subindeque non est quantitas continua, ut volunt Philosophi: si correspondeat alicui parti temporis; ergo sequitur Angelum non posse in instanti indivisibili nostri temporis formare intellectionem, quia non posset illam formare nisi in instanti sui temporis discreti, quod instans necessario corresponderet non instanti, sed parti divisibili nostri temporis: sed istud consequens est a veritate alienum; si enim homo possit in istanti nostri temporis formare intellectionem, multo magis Angelus; tum denique quia fatentur Thomistæ nostras intellectiones, et volitiones non mensurari tempore discreto: ergo a paritate rationis idem dicendum de angelicis. Patet consequentia, nam intellectiones nostræ sunt totæ simul, sicut et intellectiones angelicæ: ergo habent mensuram proportionatam; adeoque si illæ non mensurentur tempore discreto, hæ pariter tali tempore dici non possunt ita mensurari.

SECTIO TERTIA.

DE ACTIVITATE ANGELORUM ERGA CORPORA.

Etsi Angeli ex natura sua nullum cum re corporea commercium habeant, quippe cum nec corpore sint concreti, nec ex materia, et spiritu coalescant, nec tandem formæ sint substantiales ad corporis animationem, et agitationem ex natura sua destinatæ; certo tamen constat eos stupendos prorsus effectus erga res corporeas interdum edere, dum vel corpora quævis movent, ut in eis latentes nobis appareant, vel in illis varios effectus operantur, et miranda quæque, ac insolita proferunt. Quorum omnium, ut aliqua saltem delibemus, hic tria maxime proponimus determinanda: *Primum*, an, et quæ corpora Angeli assumant, ut in eis hominibus appareant: *Secundum*, an, et quos vitales actus in eis corporibus edere valeant: *Tertium*, an, et qualiter res aliquas corporeas producere, aut immutare queant.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUALITER ANGELI SOLEANT IN ASSUMPTIS CORPORIBUS APPARERE.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore in *secundum dist.* 8. *art.* 1. *qu.* 2. duplicem in Angelis esse virtutem, nempe *Contemplativam*, et *Administrativam*.« Secundum Contemplativam, inquit, convertuntur ad « Deum, et sic non indigent solatio corporis assumpti. Secundum ad« ministrativam descendunt ad nos, et condescendunt nobis, et ut no« bis congruentius condescendant indigent solatio assumpti corporis: « Indigent, inquam, 1. ad aliquas operationes exercendas; 2. indigent « ad seipsos manifestandos; 3. indigent ad nosmetipsos lætificandos, « sive confortandos, et ideo assumunt corpora sicut instrumenta, vel « organa ad operandum, sicut signa ad manifestandum, sicut coope« rimenta, vel habitacula ad conversandum. Unde corpus assumptum

« conjungitur illis sicut instrumentum motori, sicut signum significato, « sicut habitaculum inhabitatori. Hoc autem magis exigit indigentia « ex parte nostra, quam indigentia ex parte sua: et quia finis imponit « necessitatem his, quæ sunt ad finem, et corpus effigiatum, vel organi- « zatum humana effigie, maxime competit operationibus spiritus ratio- « nalis, et expressius significat, et tamquam pulchrum indumentum « quodammodo decorat; ideo Angelus assumit corpus, non qualecum- « que, sed humana effigie insignitum ».

Notandum 2. Ex eodem *art.* 2. *quæst.* 1. quod licet Angeli assumant interdum humana corpora, non tamen perfecte organizata sibi effingunt, « quia, inquit, Angelus non potest educere formam natu- « ralem in esse nisi adjutus a virtute naturæ; in virtute autem naturæ « est producere corpora omnium animalium: verumtamen aliter, et « aliter. *Ad quædam* enim educenda sufficit causa universalis sine « adjutorio agentis particularis consimilis in specie naturæ, cujusmodi « sunt animalia, quæ generantur per putrefactionem: *Quædam* autem « sunt, ad quæ non sufficit, nisi adjuvetur ab agente consimilis spe- « cici, sicut corpora animalium, quæ producuntur solummodo per pro- « pagationem, et istud planum est ad sensum. Si autem quæratur ratio « hujus, prima est divina institutio secundum quam est limitatio in « virtutibus, et naturis rerum: et hoc secundum legem, quam indidit « eis ab initio. Unde sicut dixit, *Germinet terra herbam virentem:* « non dixit, quod germinaret hominem; homini autem dixit, quod « se multiplicaret; sic terra germinat herbam, et homo generat homi- « nem. Hæc autem lex, sive institutio, non est absque ratione; quia « quædam sunt animalia imperfecta tam in organizatione, quam in « duratione: quædam vero perfecta utroque modo; quia vero quædam « corpora animalium sunt imperfecta et in organizatione, et in com- « pletione, ideo non indigent agente tantæ virtutis; sed potuit virtus « productiva ipsorum dari terræ, tamquam matri, et Soli tamquam « patri, cum adjutorio aliorum corporum simplicium tam elementarium, « quam cælestium; quia vero sunt imperfecta duratione, et aliquando « pereunt, ideo oportuit hoc communicari agenti alterius naturæ, quia « ad hoc data est vis generativa rebus, ut dicit Philosophus, ut per- « petuentur in esse. E contrario est de animalibus utroque modo per- « fectis: et ideo virtus productiva ipsorum majorem exigit actualita- « tem, et ratio seminalis cum majori difficultate profertur in actu: « ideo majori indiget adjutorio. Illa igitur animalia, quæ ad primum « genus spectant, educi possunt ab Angelis, mediante naturæ adju- « torio velociter, et quasi subito; veraciter tamen, quia per vim na- « turæ. Sed animalia, et eorum corpora, quæ spectant ad secundum « genus, educi non possunt veraciter nisi cum auxilio naturæ, et cum « diuturnitate, et tempore. Et quoniam assumptio corporum ab An- « gelis est velociter, et quasi repente, ideo vera corpora humana non « assumunt, quia non possunt illa per se formare veraciter, et cum « alterius adjutorio non possunt facere, quod exeant in esse velociter: « et esto quod educerentur, adhuc nŏn competerent, tum propter ap- « petitum, quem haberent ad animam rationalem, tum propter gra- « vitatem: quæ duo repugnant fini illius corporis. Nam si haberet « animam rationalem, non esset competens signum ad apparendum:

« si haberet gravitatem, non esset competens instrumentum ad ope-
« randum, maxime ad motum, non esset etiam competens habitaculum
« ad inhabitandum ».

Notandum 3. Ex eodem *ibid. quæst.* 2. Variam circa præsentis quæstionis resolutionem fuisse gravorum Auctorum sententiam : « *quidam* « enim dicere voluerunt, quod Angeli assumunt corpora ex natura « elementari ; ita tamen, quod non ex uno tantum, sed ex omnibus « simul mixtis, aliquo tamen eorum prædominante : unde dicunt cor- « pus illud ab Angelo assumptum, esse vere corpus mixtum, quam- « vis non sit vere corpus humanum. Illam autem formam mixtionis « dicunt esse ab Angelo, tamquam a præparante solum, sed a Domino « tamquam a dante, dante, inquam, non per creationem, vel infusio- « nem, sed per intrinsecam operationem, quod indidit rebus naturam, « et virtutes seminarias, secundum quas Deo cooperante cunctæ na- « turales formæ producuntur in esse. — Sed cum corpus illud quasi re- « pente formetur, et destruatur, *aliis* non videtur probabile, quod sit « plena mixtione mixtum : maxime cum in ejus resolutione non ap- « pareat temporis longitudo, nec putrefactionis corruptio : et ideo di- « xerunt, quod corpus illud est de natura elementari simplici, ex qua « dicunt illud corpus assumptum formari hoc modo. Natura enim ele- « mentaris ex qua corpus sibi format Angelus est aëris elementum, « quod de sui natura est rarefactibile, et condensabile, si adsit virtus, « quæ hoc possit. Unde sicut nunc videmus aquam solidari in cry- « stallum, vel glaciem in frigore : si contingit aliqua virtute occulta, « quæ non latet Angelos, aërem condensari posse, sed hoc secundum « plus, et minus ad voluntatem Angeli operantis : hoc autem corpus « dum condensatur potest suscipere figuram, et effigiem : et ita cor- « pori organico effici conforme. Potest nihilominus in una parte con- « densari plus, in alia minus, in alia minime, et sic conformari nervo, « ossi, et carni. Potest etiam in una sui parte intercipere plus de « luce, in alia minus, et in alia minime, et secundum hoc habere in « se diversos colores : et ita corpori humano effici quasi in omnibus « conforme, quamvis non sit in suis principiis multiforme ; et ita ido- « neum esse instrumentum, signum, et habitaculum, ut ab Angelo « assumatur. — Sed adhuc quia difficile est hoc intelligere, quomodo « ex aëre, sine alterius elementi commixtione fiat corpus solidum ex « diversis coloribus coloratum, cum colores producere non sit artis, « nisi mediante auxilio naturæ, ideo *tertia via* videtur adhuc esse « probabilior, scilicet quod corpus assumptum ab Angelo corpus ele- « mentare est, non quia sit ex quatuor elementis, plena mixtione com- « mixtum, sicut corpus complexionatum, nec quia sit ex puro, et sim- « plici elemento formatum ; sed quia principaliter formatur ex aëre, « cum aliqua admixtione alterius elementi, sicut videmus in nube, « quæ non est corpus plene mixtum, habet tamen in se naturas plu- « rium elementorum : per hunc modum, et corpus ab Angelo assum- « ptum principaliter ab aëre intelligitur esse formatum, concurrente « ad hoc natura alicujus vaporis terræ, vel aquæ, qui quidem faciat « tam ad varietatem condensationis, quam ad multiformitatem coloris ; « hanc autem non oportet Angelum de longinquo mendicare, cum « aër pro magna sui parte sit commixtum vaporibus ».

His prænotatis quatuor præcipue supersunt hic determinanda, et probanda: *Primum*, quod revera Angeli assumant interdum corpora, quibus sensibiliter hominibus appareant, ita quod apparitio non sit sensuum illusio, et ludificatio, sed revera corporis exterius sensibilis manifestatio. *Secundum*, quod illud corpus assumptum sit aliquando ab Angelis ex materia sensibili effigiatum. *Tertium*, quod illud corpus assumptum quandoque sit humanum cadaver ad modum viventis delineatum, et agitatum. *Quartum*, quod ipsi corpori Angelus insit tantum ut extrinsecus motor, et director.

Conclusio prima. — Revera Angeli hominibus interdum apparent in corporibus visibilibus, et sensu perceptibilibus. Hæc est communis contra Guillelmum Parisiensem, parte secunda secundæ partis *De Universo* c. 34., et sequentibus, ubi probat Angelos non assumere corpora, sed solum immutare phantasiam eorum, quibus apparent.

Probatur Conclusio illis omnibus Scripturæ textibus quibus hujusmodi sensibiles Angelorum apparitiones referuntur; fuerunt namque frequentissimæ in Veteri Testamento. Nam *Genesis* 3. dæmon sub specie serpentis Evæ apparuit, et locutus est; et c. 18. tres viri apparuerunt Abrahæ; et c. 19. duo Angeli venerunt Sodomam in figura peregrinorum; et c. 32. Angeli venerunt obviam Jacob, quos cum vidisset dixit, *Castra Dei sunt hæc;* et postea unus eorum in hominis figura luctabatur cum Jacob usque mane. Ac denique Raphaël non solum in transitu, ut sic dicam, apparuit Tobiæ, sed etiam per multos dies, et per varia itinera illum comitatus est. In Novo etiam Testamento Gabriel Angelus visibiliter apparuit, et locutus est Mariæ Virgini, et Diabolus ad Christum tentandum ei visibiliter apparuit: et in *Actibus Apostolorum* c. 5. et clarius in 12. similes apparitiones Angelorum narrantur. Itaque veritas hæc certa est, nec in illa generatim sumpta dubitatio, aut difficultas occurrit: in modo autem explicandi hujusmodi apparitiones nonnulla esse potest.

Hoc ipsum probant sancti Patres, imprimis Augustinus lib. 15. *De Civit.* c. 23. *Sic*, inquit, *apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possint, eadem verissima Scriptura testatur.* In quibus verbis parum abest, ut hoc de fide esse doceat. Idem aperte sentit Damascenus lib. 2. *De Fide* cap. 3. dicens de S. Angelis: *Probis, ac virtute præstantibus hominibus, quibusque eos conspiciendi sui copiam facere Deus voluerit, non quales sunt apparent, sed aliam, atque aliam formam, prout videri ab hominibus possunt, assumunt:* et ideo inferius cum dixisset Angelos tribus dimensionibus non constare, nec corporeo modo circumscribi, nec figurari, addit, *quantum ad naturam attinet,* indicans in corporibus assumptis tria illa recipere posse. Imo etiam cap. 4. *De malis Angelis*, inquit: *Potestate a Deo concessa, et viribus pollent, et immutantur, et in quamlibet formam, ut quidem apparet, migrant;* ubi inquit Suarez lib. 4. cap. 33. particula, *ut quidem apparet,* non excludit sensibilem, ut ita dicam, ostensionem; at denotat, vel non apparere, quoad propriam naturam, sed tantum quoad corpus assumptum; vel denotat illa corpora, in quibus apparent, non esse illius naturæ, seu speciei cujus

ostenduntur, quamvis vere sint sensibilia, et externa. Hinc S. Gregorius *Homilia* 34. *in Evangelia*, duplicem distinguit Angelorum missionem, scilicet invisibilem, et visibilem, ad eum modum quo Theologi eas in divinis Personis distinguere solent: illamque distinctionem in Angelis ex Dionysio refert. Denique Cyprianus lib. *De cardinalibus Christi operibus* in Præfatione: *Sic*, inquit, *qui circa ipsum sunt Angelici Spiritus, licet invisibilis naturæ sint, in legationibus tamen suis se auditui manifestant, et visui, et salutis nostræ ministeriales sæpissime experimur.*

Probatur etiam rationibus Seraphici Doctoris supra laudati quæst. 2. *Primo* quidem: nulli potest impendi hospitalitatis hospitium, nisi habeat corpus naturaliter unitum, vel assumptum: sed Angelis aliquando impensa sunt hæc officia, sicut dicitur *ad Hebræos cap. ultimo*, quod quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio receptis: ergo vel habuerunt corpora unita, vel assumpta: sed non habuerunt naturaliter unita: ergo assumpta. *Secundo*, nulla substantia spiritualis ex sui consortio præbet solatium sensui, nisi per inhabitationem corporis fiat visibilis: sed Angeli frequenter præbent solatia, non solummodo secundum spiritum, sed etiam secundum sensum, sicut patet in Angelo Tobiæ: ergo inhabitant corpora: sed illa non habent semper unita: ergo voluntarie assumpta. *Tertio*, nullus spiritus potest visibiliter demonstrari ad demonstrationem corporis, nisi sit aliquo modo corpori illi conjunctus: sed Angelus qui loquebatur Tobiæ visibiliter poterat demonstrari, et vere dici *hic est Raphaël*, vel *hic est Angelus*: ergo habebat sibi corpus illud aliquo modo conjunctum: sed non per naturalem conjunctionem: ergo per voluntariam assumptionem.

Dices 1: Proportio debet esse assumentis ad assumptum: sed Spiritus angelicus est omnino incorporalis: ergo non habet proportionem ad corpus: ergo numquam assumit illud. *Confirmatur*: majorem convenientiam habet anima rationalis ad corpus, quam habeat Spiritus angelicus: sed anima separata corpus non assumit: ergo nec Spiritus angelicus. — **Respondet Seraphicus Doctor** quod illa proportio debeat attendi secundum modum assumptionis: unde cum assumptio non sit in unitatem naturæ, ideirco non requiritur quod sit ibi proportio sicut perfectivi ad perfectibile, sed sufficit quod sit proportio sicut motoris ad mobile. Ad confirmationem respondet non esse paritatem inter Angelum, et animam separatam, quia non habet vim administrativam, nec usum administrandi, et ideo nec corpus assumit, nec habere debet potentiam assumendi.

Dices 2: Corpus assumitur, aut propter aliquid, aut propter nihil: si propter nihil: ergo frustra: si propter aliquid, aut est bonum, aut malum: si bonum: ergo per corpus assumptum meretur: si malum: ergo per corpus assumptum demeretur: ergo Angelus debet posse puniri, et præmiari cum corpore assumpto, quod est inconveniens et plane falsum. — **Respondet idem Seraphicus Doctor** illam assumptionem fieri, non in vanum, sed propter rationes assignatas in primo Notabili. Illud tamen, inquit, propter quod assumit, non perficit per corpus, tamquam anima per corpus proprium; sed tamquam artifex per instrumentum, et ideo sicut instrumentum per quod quis meretur, non remuneratur, sic nec corpus ab Angelo assumptum.

Dices 3: Ubicumque est assumptio, ibi est aliqua unio, vel in persona, vel in natura, sicut patet in assumptione humanæ naturæ a Filio Dei: ergo si Angelus assumit corpus, unit sibi vel in persona, vel in natura: sed non in natura unit sibi: quia non resultat tertium: nec in persona, quia non est communicatio idiomatum: ergo nullo modo est ibi unio: ergo nec assumptio. — **Respondet idem Seraphicus Doctor**, negando antecedens: non enim comprehendit omnes assumptionis modos, quia, inquit, homo assumit vestimentum cum se induit, non tamen unit sibi in persona, nec in natura: itaque antecedens solum verum est de illa assumptione in qua est unio perfecta, qualis fuit assumptio humanæ naturæ a Verbo divino. Ut autem solvantur aliæ similes hujusmodi formandæ objectiones, scite admonet ibidem, quod quando Angelus dicitur assumere corpus, hæc assumptio non sic veniat intelligenda, quasi tantum moveat, vel operetur aliquid circa corpus; sed quia illud accipit ad se, ut in illo operetur, ut in illo manifestetur, ut in illo conversetur: et quia in illa conjunctione sive acceptione corpus potius sequitur modum spiritus, quam e converso, quia ab illo formatur, et conservatur, et regitur, ideo Angelus se habet in ratione assumentis, et habentis; corpus vero in ratione assumpti, et habiti.

Dices 4: Angeli interdum hominibus apparent per solam sensuum interiorum, et phantasiæ immutationem, puta cum homines dormientes alloquuntur: sic v. g. *Angelus apparuit in somnis Joseph, dicens: surge, et accipe puerum, et matrem ejus, etc.* Cur ergo non affirmabimus ita semper apparere? — **Respondeo**, id revera quidem interdum ita contingere, sed nego id semper eo modo fieri. Fateor itaque, quod apparitiones Angelorum alterutro ex his tribus modis fieri soleant: *Primo* per solius imaginativæ facultatis immutationem: *Secundo* per sensus externi quamdam perturbationem, ut fit in præstigiis: *Tertio* per objecti sensibilis externam repræsentationem, sive interim id quod apparet verum sit, aut tantum fictitium. Verum quidem est, quod Angeli hominibus interdum appareant primo modo; conspiciuntur etiam secundo modo, quippe cum dæmones suis præstigiis hominibus illudant: at etiam fateri oportet eos nonnumquam tertio modo percipi, nempe in corporibus assumptis debite propositis facultati visivæ recte ad operandum dispositæ.

Dices denique cum Guillelmo Parisiensi laudato initio Conclusionis: si Angeli apparerent in corporibus, aut illa corpora effingerent, aut aliunde formata assumerent: sed neutrum dici potest. *Non quidem primum,* fabricatio enim hujusmodi corporum, aut esset subita, aut successiva; quod si subito fieret: ergo solo nutu, et imperio assumentium: hoc autem non est nisi omnipotentis virtutis Creatoris: si vero subito non fieret, sed per successionem, pars scilicet post partem, tunc esset generatio fabricatio hæc, quare esset ex aliquo, quod corrumperetur in generatum; quia igitur oportet illud esse visibile, necesse est alibi fieri generationem hujusmodi quam ante homines quibus fit hujusmodi apparitio: cum igitur numquam in toto mundo visa fuerit, vel ipsa fieri, vel materia ex qua fit, necesse est ipsam fieri extra habitationem hominum: qualiter igitur adveniunt ad conspectum hominum tanta velocitate, et abeunt similiter non minori? et ubi depo-

nunt atque reponunt corpora ista quorum nullum indicium post eorum disparitionem apparet? Hæc ille. *Confirmat* ex eo quod Angeli interdum appareant maximo numero, « videtur enim, inquit, exercitus « eorum major omnibus exercitibus omnium Regum et Principum « terræ: unde ergo assumpta esset materia ex qua tanta numerositas « corporum humanorum, et novorum equorum, scutorum, lancearum, « galearum, et aliorum apparentium fabricata sit, cum integri mon- « tes omnes, et aliæ partes terræ persistant? — *Non etiam secundum*, « si enim essent vera corpora, inquit ibidem, qualia apparent, essent « vere tangibilia, vere palpabilia, et vere passibilia omni genere pas- « sionis: nihil autem eorum reperitur in ipsis. *Insuper*, ut subito cor- « rumpantur, et redigantur in nihilum non est possibile; corruptio « enim corporis, vel generatio non videtur possibile ut subito fiat, ut « de creatione manifestum est ipsam esse subitaneam, sive instanta- « neam, et non fieri ullo modo rem per partes aut successionem: ubi « ergo fieret ista corruptio, nisi ubi et apparitio eorum, et disparitio? « Ibi igitur necesse est apparere, et esse secundum veritatem id in « quo fit corruptio, seu resolutio hujusmodi corporum: manifestum « autem est, quia nihil post se relinquunt, quod sit corpus, vel cor- « poreum. » — **Respondet**, Angelos quandoque apparere in corporibus a se effigiatis, quandoque vero in aliunde formatis; qualiter autem, et ex qua materia illa possint effingere, vel dimittere corpora tam facili, tamque subitanea formatione aut resolutione, aperiet

Conclusio secunda. — ANGELI INTERDUM APPARENT IN CORPORIBUS QUÆ EFFORMANT EX MATERIA, NON CÆLESTI, NEC PURE ELEMENTARI, SED MIXTA. Hæc est communis secundum rei veritatem apud omnes pene Theologos, quamquam nonnulli varient in modo explicationis, et probationis ejusdem; eamque aperte tuetur Subtilis Doctor, *dist.* 8. *n.* 3. cujus verba quoniam hujusce resolutionis veritatem et probationem luculenter explicant, hic lubet exscribere. « Dico, inquit, « quod non assumit corpus cæleste, nec corpus elementare in quibus « appareat, quia in elementari non visibiliter appareret, nec corpus « elementare est susceptivum illorum accidentium in quibus apparet. « Corpora autem mixta, jam a natura generata potest assumere, sicut « est cadaver mortui, vel lapis, vel aliquid tale. Et quando assumit « aliquod, quod non videtur prius causatum, vel formatum a causis « naturalibus, sed quasi formari tunc, et subito, completa operatione, « disparere, sicut fuit de Raphaële, et Samuele; tunc videtur probabile, « quod illud sit corpus mixtum propter accidentia quæ apparent in « corpore; sed non mixtum plena mixtione: tum quia ex generatione « tale mixtum non posset ita subito formari, quia non esset natum « generare nisi secundum determinatum processum naturæ, qualis non « est ibi, puta si appareat in corpore hominis, non prius geniti per « naturam, illud corpus non esset natum, vel aptum generari nisi in « materia. Non potest dici, quod Angelus subito inducat illam formam « in materia, quia non potest naturalem formam inducere, sed tantum « elementa activa, et passiva potest convenienter simul adhibere, et « corporibus in situ convenienti approximare, ut inducatur forma par- « ticularis, qualis nata est a talibus agentibus particularibus induci

« Itaque corpus, quod ita tam subito formatur, et resolvitur, est mix-
« tum imperfecta mixtione, qualis potest induci ab agentibus natu-
« ralibus, quasi subito facta approximatione elementorum ; ita quod
« magis tale corpus assimilatur impressioni quæ est imperfecte mixta,
« et signum hujus est, quia quando disparet tale corpus, non rema-
« net aliquid talis corporis in quod naturaliter esset mediante resolu-
« bile corpus illud assumptum, si pertecte fuisset mixtum; corpus
« enim humanum, si esset perfectum mixtum, non est natum redire
« nisi ad cadaver: sed tale imperfecte mixtum resolvitur statim in ele-
« menta, sicut ex eis potuit statim generari propter eorum imperfe-
« ctam mixtionem. » *Quibus* Doctor tria maxime concludit: *Primum,* quod Angeli non assumunt corpus cæleste, quia, vel assumerent corpus cæleste ante generatum seu productum, quod scilicet esset aliqua pars corporum cælestium, v. g. Cælorum aut Astrorum; at hoc esset stupidum cogitare, quia sequeretur illa superiora corpora non manere integra, vel loco istius partis, quæ assumeretur ab Angelo aliam partem de novo produci: vel esset aliquod corpus ejusdem speciei cum corpore cælesti ; at hoc etiam esset ludicrum, siquidem cum speciem præseferat corporis sublunaris, potius sublunare quam cæleste dici deberet. Adde, quod corpus cæleste non esset proportionatum subjectum his accidentibus, quæ apparent in corporibus hujusmodi assumptis. — *Concludit secundo,* corpus illud ab Angelis effigiatum, et assumptum, non formari ex aliquo ex quatuor elementis. Si enim ad id aliquod purum elementum deserviret, maxime aër: sed aër non est proportionatum subjectum istorum accidentium, quæ sunt in corporibus assumptis ab Angelo, puta tantæ soliditatis, ac densitatis, quæ est in ossibus, aut in illis partibus quæ apparent ossa in illis corporibus. *Deinde,* quandoquidem illud corpus appareat mixtum distinctum ab elementaribus, et non videatur facilius ab Angelo producere illa accidentia externa, quæ apparent, quam corpus mixtum, potius debet dici, quod sit corpus mixtum, quam aër, aut aljquod aliud elementum. Hinc non possum assentiri Alensi *q.* 34. *membro* 4. ubi cum dixisset, quod duplex est pars aëris, scilicet superior, quæ purior est, quæ proprie dicitur *aër,* et alia inferior, quæ *Æther* nominatur, secundum hæc distinguuntur duo Cæli, *æthereum,* et *aëreum:* inde concludit, *quod Angeli boni de æthere assumunt corpora, sed mali potius de aëre.* Hæc, inquam, vix probare possum, quippe cum neutra aëris portio videatur posse in corpus ita condensari, et compaginari, ut carnis mollitiem, et duritiem ossium referat. — *Unde concludit tertio Doctor,* quod corpus efformatum ab Angelis habeat pro materia quid mixtum, nempe vaporem, aut nubem : ut etiam consentit S. Thomas affirmando Angelos sibi interdum corpora ex nube effingere, quod etiam Maro non ignoravit cum de Diabolo larvato cecinit:

Tum Dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ visu mirabile monstrum,
Dardaniis ornat telis, etc.

Ratio autem hujus est, quod corpus mixtum facile possit condensari, et spissitudinem, ac figuram suscipere, ut constat de nubibus, vaporibus, exhalationibus, et aliis metheoris, quorum aliqua sic per frigus

compaginantur, aut per ignem æthereum indurantur, ut difficile possint resolvi, sicut compertum fit de fulmine, et grandine. *Fateor tamen* vix posse explicari quomodo ab Angelis ex vaporibus, et nubibus efformata corpora, ita possint indurari, ut palpari, aut tangi queant, ita ut tactui vel solida, vel mollia appareant; *Quis enim explicet,* inquit sanctus Augustinus in *Enchiridio* cap. 59. *cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solum cernerentur, verum etiam tangerentur:* et paulo post addit, *Faciuntque difficillimam quæstionem quomodo Patres eis pedes laverint, quomodo Jacob cum Angelo tam solida concertatione luctatus sit;* et ibidem concludit: *Cum ista quæruntur, et ea sicut potest quisquis contrectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire, quod nesciunt: quid enim opus est, ut hæc atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* et quamvis hæc dixerit Augustinus de corporibus quibus Angelos naturaliter constare putavit, idem fortiori ratione judicium esse debet de his, quæ voluntate sola Angeli assumunt. *Nihilominus* affirmare possumus, quod Angelus per eamdem virtutem, per quam corpus assumit, facere possit, ut corpus illud, quamvis in se solidum non sit, solidum tamen tactui appareat; nimirum sua virtute resistendo, ne partes talis corporis facile cedant, aut dividantur. Hinc potest efficere, ut quædam partes molliores ad modum carnis, et aliæ densiores ad modum ossis appareant; nam potest magis, vel minus tactui resistere, et in quibusdam nihil omnino cedere, in aliis vero aliqualiter cedere; non ita ut dividantur, sed ut aliquo modo comprimantur. Fateor tamen, quod si homo cum quo conversatur Angelus in corpore assumpto, attente consideret id, quod tangit, dum Angeli cum corpus contrectat, facile judicare poterit illam non esse veram duritiem, nec veram mollitiem qualis in ossibus et carnibus reperitur: quia si attenderet, facile perciperet non ita immutari tactum ab illis corporibus sicut ab aliis, quæ vivunt, et veras carnes et ossa habent. Contra vero accidit, quando homo sibi persuasum habet illum esse verum hominem, cum quo conversatur, et quem videt, tunc enim quoniam oculis judicat eum esse hominem, et animo contrectat corpus illius, videtur sibi carnes, et ossa tangere, nec discernit utrum sit verum corpus, an apparens tantum. Ita existimo accidisse Abrahamo, et Loth dum *Geneseos* 18. et 19. laverunt pedes Angelorum: neque enim tunc cognoverunt Angelos esse, et in corporibus assumptis apparentes.

Quantum autem ad colores, qui in corporibus assumptis effigiantur ab Angelis, plurimi censent eos tantum esse apparentes, illorum instar, qui in nubibus, aut collo columbæ identidem cernuntur: sed hoc videtur difficile, cum plurimis iisque, et diversis locis contuentibus iidem appareant, Sole etiam non lucente, quod non contingit in iride, nubibus, et aliis coloribus mere apparentibus: veri ergo sunt, et partim ex Elementorum, et primarum qualitatum contemperatione orti, partim opera Angeli velut pingentis arte dispositi.

De virtute vero, qua hæc corpora assumuntur, et præparantur, censet sanctus Thomas *quæst.* 51. virtute Dei fieri. Alensis vero *quæst.* 34. *membro* 5. ait, quod Angelus præparat hujusmodi corpus assumptum, formatio autem ultima fit ab ipso Deo. Verum probabilius judico cum

Doctore, illa corpora fieri ab Angelo propria virtute: censet enim Doctor, ut supra diximus, ista corpora figurari condensatione: cum autem condensatio solo motu compressionis fiat, quem potest Angelus propria virtute efficere, sequitur propria virtute posse ab Angelo corpus assumi. Et quamvis non sola condensatione id semper fiat, potest tamen aliquando Angelus applicatione aliarum causarum naturalium talia corpora perficere, ut assumantur. Id autem existimo probabilius, nam cum mali etiam Angeli ad pessimos fines corpora assumant, non est verisimile Deum propria virtute illa formare, et solum ipso dæmone, ut instrumento, uti.

Advertendum autem est insuper, quod quando Angeli, maxime dæmones, apparent in assumpto corpore a se effigiato, possunt istud in corpus hominis cum quo loquuntur inserere, necnon et istud suo assumpto corpore circumdare; ita quod homo tali corpore circumdatus, et indutus, aut alterius hominis effigiem referat, aut aliam formam induat: id enim suadet aëreæ substantiæ facilitas ad dilatandum, sive rarefaciendum, et spissandum densandumque. Quam merito Psellus causam tradit cur spectra tam brevi spatio crescere, et decrescere videantur: interdum enim illa spectra gigantem, alias vero nanum, aut pusionem referunt; quia materia illa ex qua assumptum corpus compaginarunt, cum sit tenuis, et mollis, facile potest rarefieri, et condensari.

Conclusio tertia. — Dæmones plerumque apparent in corporibus vel hominum, vel animalium vita functorum. Hæc etiam est communis apud Theologos, ut probatur innumeris propemodum exemplis, quibus constat dæmones plerumque homines delusisse in assumptis mortuorum cadaveribus: cujusmodi plurima exempla profert Cæsarius Monachus Eisterbacensis *lib.* 12. *miraculorum c.* 3. ubi imprimis refert dæmonem gestasse corpus cujusdam Principis Germani vita functi, integro anno, priusquam sepeliretur, quasi illud vegetaret: ita quod revera e mortuis surrexisse videretur. *Subdit ibidem,* similia legi in vita S. Patricii Hibernorum Apostoli, de quodam homine in cujus corpore multis annis Diabolus habitans quasi esset hominis anima, tandem ad nutum viri sancti exivit, corpus vero corruit, et in pulverem redactum fuit. *Et cap.* 4. scribit, quod quidam Clericus adeo dulcem vocem habebat, ut audire eum deliciæ putarentur, donec Religiosus quidam vir illud adjuravit, quo dicente, cadaver corruit planissime fœtens. — Sic etiam induto cadavere Diabolus sive incubus, sive succubus rem habet cum strigibus, et sortiaris. Unde et in hoc genere hominum, cadaverosus quidam fœtor graveolentiæ cernitur. Sic Guillelmus Parisiensis *parte ultima de Universo* refert, quod aliquando assumpto bestiæ cadavere Diabolus deluserit militem, qui cum putaret se formosa potitum virgine, invenit se in amplexu cadaveris belluini tabe soluti fœtidissime jacentem. Sic denique dæmon aliquando sepulta jam corpora suscitat, eaque quasi viventia essent agitat, ut resurrexisse videantur, cujusmodi rem stupendam refert Phlegon *lib. De mirabilibus, et longævis,* cujus auctoritatem usurpat Origenes *tractatu* 29. *in Matthæum* ad probandam eclypsim, quæ Christo moriente acciderat. Ille, inquam, Phegon testatur se cognovisse quemdam no-

mine Machatem, qui Philinnium sui hospitis filiam, indigne id ferentibus parentibus, amaverat, et sponsam ducere optabat, quæ absente Machate mœrore tabescens, mortua est, et publice funerata. Cum autem sexto post mense eo rediisset Machates, circa noctem ad eum ingressa est Philinnium, et post longa colloquia cum ipso noctem duxit; quod cum id audiissent parentes, dormientemque cum hospite suam filiam conspexissent, in ejus quasi vivæ amplexus ruunt; illa autem torvis in eos intuens oculis, o vos crudeles, ait, in filiam parentes: ergo ne vos invidisse mihi meo Machate paterna in domo, vel triduum solidum frui magno vobis dolore hæc sive curiositas, sive duritia stabit? renovabitis dolores præteritos, et filiam iterato sepelietis. His dictis expalluit, et concidit cadaver mortuo iterum simile, seu potius revera mortuum: cum enim jubente Magistratu illius Philinnii sepulchrum fuisset apertum, inventum est vacuum cadavere, erantque in eo duntaxat annulus ferreus, et Scyphus auratus, quæ Machates ipsi quasi redivivæ dono tradiderat. — Contingit etiam, quod dæmon illectus Magorum opera, interdum viventes personas surripiat, eorumque loco mortua cadavera ad illarum personarum similitudinem expressa substituat, quasi languentia, demum ad mortem ægrotantia, deinde morientia, et tumulanda veluti mortua exhibeat, quo subductæ ab eo personæ quasi revera mortuæ censeantur. Cujusmodi duo stupenda exempla refert Thomas Brabantinus *lib.* 2 *De bono Univers. cap.* 57. ubi scribit, quod in villa Brabantiæ nomine *Gunerchena*, quidam juvenis puellam virginem adamavit, eumque pro ejus nuptiis parentes anxie sollicitaret, et illi renuerent, puella medio tempore incidit in febrim acutam, qua ingravescente, omnibus mori visa est, luctuque facto, campanæ quasi pro mortua pulsatæ sunt. Nec mora juvenis amator puellæ de Villa eadem in crepusculo noctis transibat ad aliam, et cum per dumeta pergeret, audivit vocem quasi fœminæ lamentantis sollicite: ergo discurrens, et quærens auditam, invenit puellam, quam mortuam æstimabat; cui dixit, mortuam te plangunt tui, et huc unde venisti? Ecce, ait, vir ante me vadit qui deduxit me: stupefactus ad hoc juvenis, cum neminem alium nisi puellam videret, audacter rapit eam, et in domum extra Villam protinus occultavit. Hinc ingressus in Villam amicis suis loquitur, et cum eis convenit patrem puellæ, una cum sua familia sedentem ad funus; ab eo quærit si filiam suam sibi daret, quam quasi mortuam deplangebat? Cui pater admiratus respondit, numquid pro Deo mihi es, ut mortuam resuscites, et accipias in uxorem? Cui juvenis ait: tantum lubens spondeas, ut filiam tuam habeam in uxorem, si vivam reddidero, et sanatam. Cui pater consentiens, dictum coram omnibus confirmavit; mox juvenis relevato linteo quo cooperta putabatur filia, figmentum mirabile quale a nullo hominum fieri potuit invenerunt. Dicitur autem ab his, qui figmenta hujusmodi diabolica inspexerunt, esse interius putrido ligno similia, levique exterius pellicula circumducta: hinc reducta puella est, et patri reddita, sanaque post dies aliquot dictum juvenem maritum accepit, et usque ad tempora nostra incolumis perduravit. Ita dictus Brabantinus; *subditque* aliud quid simile, quod contingit in confinio Flandriæ.

Si autem requiras, qualiter hæc operari possit dæmon? reponam

id quidem fieri, Deo permittente, per vim magicam, qua forte usus fuerat ille juvenis, ut præfatam filiam sibi in uxorem duceret. Alia his similia referemus in ultima Disputatione dum nobis erit sermo de Magis, et Sagis. *Advertendum autem est*, imprimis, dæmonem non posse assumpta illa cadavera vere organizare, nec eis vitam restituere, cum mortuorum vivificatio sit opus solius Dei. Potest tamen, si permittatur, in assumpto defuncti corpore se præbere tangendum et palpandum cum vera duritie et mollitie ex parte corporis, adjunctis etiam extrinsecis causis, calore, et aliis qualitatibus sufficientibus, ut tactui vivum appareat. *Advertendum* pariter, sine dubio credendum esse numquam hoc permitti dæmoni circa eorum corpora, qui justi mortui sunt; quia non decet, nec est divinæ amicitiæ consentaneum: de aliis vero fortasse aliquando id accidit, raro tamen existimo id dæmoni permitti, quia non datur illi tanta licentia, præsertim in Ecclesia Christi, ad homines decipiendos. Quantumvis autem ille velit pulcherrimam hominis similitudinem repræsentare, quæ Dei bonitas est, tantum solet assumere quam, et qualem Deus permittit, teste S. Chrysostomo Homilia 4. de Lazaro, et ideo vel ipso invito fieri videmus, ut qui non obesæ nimium mentis sint, semper, si attendant, fucum queant deprehendere: aut enim se ostendunt dæmones humano corpore atro, illuvioso, squallido, fœtente, tetro, ac formidabili, saltem obscuro, nigro, fœdoque vultu, naribus vel deformiter simis, vel immane aquilinis, oris rictu sparso, profundoque, luminibus valde abditis, flammantibusque, manibus, pedibusque obunciis, et vulturinis, strigosis brachiis, cruribusque, et admodum villosis, caprinis etiam, vel asininis tibiis, imo, vel utroque pede bifido corneoque; interdum, et solidungulo, interdum mutili pede altero, vel utroque: demum statura corporis numquam justa, ac decora, sed cui semper adsit aliquid insolitæ notæ, et deformitatem, pravitatemque dæmonis prodentis.

Dices: Si dæmon verum corpus humanum posset assumere, sequeretur nullum fuisse Christi Domini argumentum, quo Lucæ 24. dubitantibus Discipulis de ejus vera resurrectione, suadere voluit se non esse phantasma dicens: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere,* quibus verbis eos invitabat ad palpandum, et videndum, quod ipse carnem, et ossa haberet, qualia non habent spiritus etiam dum assumunt corpora: ergo censet spiritus non posse assumere sibi corpus quod sit palpabile, carnisque mollitiem, ac ossium duritiem habeat: sed tale foret cadaver humanum a dæmone assumptum: ergo illud non potest assumere vel Christi argumentum non multum videbatur urgere. — **Nego consequentiam**: intentum enim Christi tantum erat suadere Apostolis se non esse phantasma, qualem ipsum existimabant, eo quod viderant eum januis clausis ingressum; quod rei corporeæ tam vivæ, quam mortuæ repugnabat, quia penetratio corporum naturaliter fieri non potest: idcirco probare voluit posse illos contactu sentire, et dijudicare ipsum verum habere corpus, non vero phantasticum. Et quia palpatione tantum poterant corpus esse cognoscere, non vero cujus esset corpus, ideo jubet eos videre, et tangere vulnera ejus corpore impacta, quibus deprehendere licebat ipsum illum esse, qui triduo ante crucifixus fuerat.

Conclusio quarta. — Angelus non assumit corpus per modum formæ informantis: Nec per modum unionis hypostaticæ: Sed velut motor ipsum regens, et dirigens in quibusdam operationibus eliciendis. Ita Subtilis Doctor *dist.* 8. *num.* 2. ubi cum quæsivisset, quid sit Angelum assumere corpus, respondet, *Hoc quidem,* inquit, *non est informare, nec etiam ipsum sibi hypostatice unire, sed tantum esse intrinsecus motor corporis: nam tunc assumit, idest ad se sumit; quia ad operationes proprias sibi explendas utitur illo sicut instrumento. Nec dicitur ista assumptio fieri, quando corpus assumptum movetur motu progressivo; quia talis motus non congruit fini, propter quem assumitur tale corpus.* Quibus Doctor resolvit *primo,* Angelum non uniri corpori tamquam forma, quia alias non esset substantia completa, sed incompleta, non minus quam anima: imo esset anima; quia si posset informare aliquod corpus, maxime corpus organicum, quippe cum illud sit aptius ad informationem, sicque esset actus corporis organici. — *Infert secundo,* non assumere corpus hypostatice cum saltem naturaliter talis hypostatica unio fieri nequeat; dæmones autem tantum virtute naturali corpora assumunt: in bonis autem Angelis non videtur admittendum esse miraculum quoties hominibus apparent; res enim per se nimium levis est ad statuendum tam grande miraculum, quale est ipsa unio hypostatica. — *Concludit tertio,* Angelum assumere corpus, nihil aliud esse, quam illi assistere tamquam motorem in mobili, in ordine ad operationes tales exercendas vere, vel apparenter, quibus Angelus videri possit corpus assumptum informare. In quo conveniunt pariter cæteri Theologiæ Principes, maxime S. Thomas *q.* 57. *art.* 2. et Seraphic. Doctor in 2. *dist.* 8. *art.* 3. *q.* 2. Nihil enim videtur ultra requiri ad illam corporis assumptionem, quam quod Angelus intrinsece sic moveat corpus assumptum, quod utique patebit assignando rationem singularium partium hujusmodi dictæ assumptionis. *Primo* namque dicimus *Angelum esse intrinsecum motorem,* quia si esset extrinsecus motor non proprie diceretur assumere corpus ad se: similiter si esset intime præsens corpori, sed non in ordine ad ipsum movendum, sane non diceretur assumere; sicut nec anima præsens corpori potest assumere corpus, nec unum corpus simul penetratum cum alio corpore, dicitur alterum corpus assumere, etiam si virtute sua propria poneret se penetrative simul cum ipso. Additur *in ordine ad operationes tales exercendas,* quia non sufficeret, quod esset intime præsens per modum motoris localis, alias Angelus præsens Cælo, et ipsum movens localiter, dici deberet assumere Cælum: similiter Angelus, qui Prophetam Habacuc cincinno deportavit ad lacum leonum, in quo Daniel Propheta erat reclusus, diceretur eum revera assumpsisse, quod tamen omnes Interpretes negant; hæc namque translatio fuit quidem corporis deportatio, non autem assumptio. Diximus *veras, vel apparentes,* quia aliquæ ex illis operationibus, quæ apparent, tales in rei veritate non sunt; nam auditio sensibilis, et tactus corporeus, ac visio ocularis, quas putamus Angelos in assumptis corporibus exercere, non sunt veræ actiones, sed tantum apparentes. — *Denique* colligit Doctor, non sufficere ad illam assumptionem corporis ab Angelo, quod moveat illum localiter; sic enim Intelligentiæ motrices assumerent sphæras cælestes, quas

movere dicuntur. Adde quod corpora adhuc maneant assumpta etiam quando Angelus ab omni motu cessat. Ut ergo vere dicatur assumere corpus, quod movet motu progressivo, intelligi debet de motu progressivo, vel qui sit signum vitæ, vel qui significet Angelum esse corpori intime præsentem, et eum intrinsecus moventem.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUAS ANGELI OPERATIONES VITÆ EDERE POSSINT IN CORPORIBUS ASSUMPTIS.

Notandum 1. Actiones vitales maxime duplicis esse generis, quarum aliquæ dicuntur esse productivæ termini intrinseci, qui dicatur vitalis, quia vel essentialiter pendet ab intrinseco principio vitæ, tum proximo, tum etiam principali, vel saltem naturaliter non potest alio modo fieri, cujusmodi sunt omnes actiones sensuum externorum, et internorum, atque etiam appetitus sensitivi. *Aliæ* vero sunt actiones viventium, quæ licet ab ipsis fiant vitali modo, et sub ea ratione tales sint, nihilominus producunt terminos, qui per actionem non vitalem fieri possunt, ut sunt motus localis progressivus, vocis formatio, et similes, quæ dici po sunt actiones vitales quoad modum, et non quoad substantiam, ut a prioribus distinguantur, quæ essentialiter, seu in sua substantia vitales dici possunt.

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore in 2. *dist.* 8. *art.* 3. *q.* 2. quod sensatio possit accipi tribus modis, nempe communiter, proprie, et magis proprie. *Communiter* sentire idem est, quod rem ut præsentem cognoscere, secundum quem modum accipit Augustinus ad Paulinam in libro *De videndo Deo*. *Secundo modo* sentire idem est, quod rem ut hic est nunc cognoscere, et sic accipit Boëtius, cum dicit, quod sensus est particularium, et intellectus universalium. *Tertio modo* sentire idem est, quod speciem existentem in materia, præter materiam mediante organo corporeo suscipere, et sic accipit Philosophus in *secundo de Anima*, cum dicit, quod *sénsus est susceptivus specierum in materia præter materiam*. Duobus prioribus modis non differt sensus ab intellectu re, sed ratione tantum, et hoc modo admitti potest sensatio in Angelo; Angelus enim per suam potentiam intellectivam cognoscit rem, ut præsentem, et ut hic et nunc dirigendo aspectum per ipsam. Tertio vero modo differt potentia sensitiva ab intellectiva, re et ratione, et illo tertio modo sensus est potentia alligata corpori, et hoc modo spiritui angelico non convenit. Ita S. Bonaventura.

Notandum 3. Ex eodem *ibidem*. « Quod cum anima triplici modo « corpori uniatur, nempe per modum moventis, aut perficientis, aut « utroque modo; ita triplex genus operationum erga corpus habet: « *Quædam* enim sunt operationes, quæ consequuntur ipsam animam in « corpore, ut est motrix: *Quædam* ut perfectio; *Quædam* partim sic, et « partim sic. Differenti autem modo exercet anima in corpore operatio- « nes, quæ sequuntur ipsam, ut motricem, et ut perfectionem: nam ope- « rationes, quæ consequuntur animam ut motricem, sic exercet per cor- « pus, ut illas easdem exerceat in ipsum corpus: quia non solum movet « alia corpora, sed etiam corpus proprium. Operationes vero, quæ conse- « quuntur animam in corpore, ut est perfectio, sic exercet anima in

« corpore per corpus, ut exerceat eas cum corpore, sicut patet, quod « anima clauso oculo corpus aliquod videre non potest. Tertias autem « operationes exercet in corpore quasi utroque modo: et ideo primæ « competunt animæ, ut est motrix differens a mobili : secundæ vero, « ut est forma juncta materiæ. Quoniam igitur Angelus unitur cor- « pori assumpto non ut perfectio, sed ut motor, ideo primas operatio- « nes exercet plene in eodem corpore : secundas minime; tertias vero « quodammodo sic, quodammodo non. Et hoc melius patet si descen- « damus exemplificando: motus progressivus, sive quicumque alius sit, « membrorum exteriorum, est ab anima in corpore, ut est motor, vel « motrix, et ideo competit Angelo. Sentire vero per organa corporis « competit animæ, ut est illorum organorum perfectio ; sicut enim « anima perficit totum corpus, ita visus, sive potentia visiva perficit « oculum, et hæc non competit Angelo in corpore assumpto. Ridere « vero est operatio, quæ partim competit animæ, ut est motrix, par- « tim ut est perfectio; ibi enim est quædam cordis exhilaratio, et hæc « est ab anima, ut est perfectio; est etiam ibi quædam genarum mo- « tio, et hæc est ab anima, ut est motrix. Ratione primi non convenit « Angelo : sed tantum ratione secundi ». Ita Seraphicus Doctor, cum quo Subtilis in pluribus convenit, ut aperiet

Conclusio prima. — ANGELI IN CORPORIBUS ASSUMPTIS POSSUNT EXERCERE OPERATIONES VITÆ, QUÆ FIUNT PER MOTUM CORPORIS : NON VERO, QUÆ A FACULTATIBUS SENSITIVIS, AUT VEGETATIVIS NECESSARIO PROVENIUNT. Ita Doctor supra laudatus n. 4. ubi

Primam conclusionis partem sic explicat: *Dico quod motum localem potest causare Angelus in corpore assumpto, et ita motum qui videtur esse progressivus ; motum etiam qui esset inspirationis, et respirationis, motionem palpebrarum, et manuum, et similium : et ratio est, quia non est aliquod corpus ita imperfectum in universo quin habeat in virtute sua activa aliquod, ut patet de gravi respectu centri.* Ita Doctor. Quibus constat eum concedere, quod omnem actionem vitalem, quæ fit per motum corporis, possit Angelus elicere in corpore assumpto. Quod probat, quia non est deneganda ulla virtus substantiæ spirituali, quæ corporeæ conceditur : sed virtus acquisitiva loci conceditur corporibus : ergo et Angelis. Verum fateor, quod hæc probatio solum levis conjectura sit : siquidem posset hæc virtus competere corpori, quamvis non competeret spiritui, nam plura corpori competunt, quæ spiritibus non quadrant, nullum enim est corpus, quod non possit producere aliquam qualitatem corpoream, tamen nullus spiritus, ut communiter supponitur, id potest efficere. Vera ergo ratio cur Angelus possit hunc motum efficere, est quia potest corpus transferre de loco ad locum : hoc autem præstare non posset, nisi pariter posset ipsum movere localiter : potest ergo in corpore assumpto ambulare, etc. Hinc de Angelo Raphaële legimus, quod cum Tobia gradiebatur, loquebatur, et alios corporis motus et gestus efficiebat.

Secundam partem etiam ibidem indicat Doctor, nempe quod operationes, quæ necessario proveniunt a facultatibus sensitivis, aut vegetativis, non possint edere Angeli in corporibus assumptis : idque primo *de operationibus facultatum sensitivarum* constat : « Quia, in-

« quit, illæ non sunt natæ recipi nisi in composito ex organo saltem « perfecte mixto, et ex anima, in quantum habet potentiam perfectivam, « quorum neutrum est ibi, nec scilicet talis mixtio, nec anima perfi- « ciens ; et ideo simpliciter in tali corpore composito, quod assumit, « nulla est sensatio. Operationes etiam, quæ consistunt in vere agendo, « cujusmodi sunt operationes vegetativæ, non competunt illi compo- « sito ; quia vel illæ operationes natæ sunt esse compositi animati, « quale non est ibi ; vel natæ sunt esse corporis perfecte mixti, puta « si caro generaret carnem : neutrum autem est ibi. Quantum etiam « *ad actus vegetativos*, qui apparent, si loquamur de vera *nutritione*, « nihil ibi potest nutriri : sed si loquamur de comestione, quæ præ- « cedit nutritionem, illa non est nisi divisio cibi per motum localem « maxillarum, et trajectio ejus in ventrem per motum localem ; tunc « potest fieri exhalatio, et resolutio, in humorem, vel elementa ; et « isti motus locales possunt fieri circa corpus virtute activa Angeli. « Sicut autem dictum est de nutritiva, ita dicendum est de *augmen-* « *tativa*, quia ibi nulla est nutritio, vel augmentatio : potest tamen « esse vera juxtapositio, si ipse velit subito alia elementa, quæ pos- « sunt imperfecte misceri, ad talem imperfectam mixtionem apponere « corpori suo, ut videatur crescere.

« At si dicas, si comestio non sit operatio vitalis : ergo non valet « argumentum ad probandam veram Christi resurrectionem de come- « stione ejus cum Discipulis suis, quod est contra sanctos Patres. — « **Respondeo**, quod ad probandam resurrectionem ejus sunt multa « alia argumenta in Evangelio efficaciora isto, et ita cum aliis bene « probat, etsi non per se tantum. *Vel dico*, quod erat comestio ordi- « nata ad veram nutritionem, quia non est inconveniens, quod corpus « gloriosum possit convertere corpus non gloriosum in ipsum, sicut « esse simul potest cum corpore non glorioso : nec propter hoc est « corruptibile, quia potest aliud convertere in se ; posset enim Deus « facere corpus gloriosum in minima quantitate, et illud augere per « comestionem, nec tamen aliquid corrumperetur de nutrito, et aucto: « in corporibus autem talibus assumptis non est nutritio, sed tantum « additio, vel appositio. » Ita Doctor. Quibus tria maxime conclu- dit: *Primum*, quod actiones vere sensitivæ, seu sensationes non pos- sint elici ab Angelis in corporibus assumptis, quia illæ actiones re- quirunt organum vivum, vel tamquam principium effectivum, vel tam- quam principium susceptivum, vel forte tamquam principium produ- ctivum, et susceptivum : ergo cum in corporibus assumptis non sint organa viva, alias corpus assumptum censeretur vivificari per Ange- lum, adeoque Angelus esset actus corporis, et consequenter esset anima, ac substantia incompleta, et exigens connaturaliter esse in corpore, quæ omnia absurda sunt : ergo nec illæ operationes sensiti- væ vere, et proprie elici possunt in corporibus assumptis. *Infert se- cundo*, quod comestio fieri possit ab Angelis, quatenus est cibi con- tritio, et trajectio ejusdem in partem interiorem, seu stomachum, non vero quatenus significat conversionem alimenti in substantiam aliti ; nam, inquit Seraphicus Doctor *dist.* 8. *art.* 3. *quæst.* 1., in cibatione seu comestione perfecta, duplex est actio: Prima est cibi sumptio et consumptio : secunda est conversio, et unio ejusdem cibi cum sub-

stantia aliti. Prima, inquit, competit Angelis in corpore assumpto, non simulate, sed vere, quia cibum sibi appositum vere sumunt, et consumunt: non ita secunda, nam cibus assumptus eorum indigentiam, vel deperditionem non restaurat: illa namque cibatio non est in Angelis ex indigentia, qualis est in corporibus vere nutritis. Unde cibi illi ab Angelis assumpti, vel in aërem solvuntur, vel aliunde deportantur. Hac ratione dicebat Angelus Raphaël ad Tobiam: *Videbar vobiscum edere: sed ego invisibili cibo utor:* nam dicendo *videbar*, indicabat, quod revera cibum sumebat, dividebat, et trajiciebat in partem interiorem corporis assumpti, non vero illum convertebat in substantiam ejusdem corporis. *Infert denique* Doctor, quod comestio facta a Christo post resurrectionem coram Discipulis, revera poterat fieri per conversionem alimenti in ejus substantiam, adeoque esse vera nutritio; quia nempe non videtur inconveniens, quod corpus gloriosum, de potentia absoluta, nutriri possit absque deperditione alicujus partis prius habitæ. Quam sententiam immerito, et absque ulla prorsus ratione, erroris notavit Suarez lib. 4. cap. 39. propterea quod, inquit, nimia videatur, aut saltem temeraria, tum quia, inquit, est contra communem consensum sanctorum Patrum, et Ecclesiæ; tum etiam quia est contra impassibilitatem, vel perfectionem corporis resurgentis. *Verum utraque hæc ratio*, sicut et illius censura insulsa prorsus apparet, primo namque gratis fingit illam esse contra sensum Ecclesiæ, quippe cum hac de re, ne verbulum quidem apud Patres legatur. Secundo falso supponit, quod nutritio fieri non possit absque deperditione partium præcedentium; quis enim Philosophorum præter Suarem hæc aliquando somniavit? Nutritio quidem fit per aggenerationem novæ partis substantiæ, non autem necessario infert deperditionem præcedentium. Nec plus veritatis habet id quod rursus opponit, nempe quod si nihil deperditum fuit per comestionem Christi post illius resurrectionem, consequens est, quod ejus corpus fuerit incompletum, aut quod per aggeneratam substantiam factum fuerit quodammodo monstruosum, quippe cum redundantem substantiæ portionem haberet. — *Respondeo* namque, quod cum aggenerata illa substantia fuerit modica, inde Christi Domini corpus quid exuberans, et ultra naturalem sortem ac justam proportionem habere dici non potuerit. Nec pariter inde sequebatur ipsum fore passibile, siquidem nihil ex ipso per illam nutritionem deperibat. Vana est ergo illa Suaris censura.

Dices: Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem, qui contendebat Christi Domini corpus fuisse tantum phantasticum, non autem verum et solidum, idque probabat ex eo, quod *Angeli in phantasmate putativæ carnis egerint apud Abraham, Loth, et tamen vere sint et congressi, et pasti, et operati quod mandatum eis fuerat:* reponit Tertullianus; *Scito nec illud tibi concedi ut putativa fuerit in Angelis caro, sed vera, et solida substantia humana: si enim difficile non fuit illi putativæ carnis veros, et sensus, et actus exhibere, multo facilius habuit veris, et sensibus, actibus veram dedisse substantiam carnis.* Concedit ergo Tertullianus Angelos sicut et verum corpus, sic et vere vitales corporeas operationes habuisse. — **Respondeo**, Tertullianum prorsus fuisse dubium hac in solvenda quæstione, utrum Angeli vera

corpora, verasque corporeas vitales operationes aliquando habuerint, etenim negativam partem docet lib. *De Carne Christi* cap. 6. ubi *De Angelis* ait: *Constat,* inquit, *Angelos carnem propriam non gestasse, ut puta naturæ substantiæ spiritalis, et si corporis alicujus, sui tamen generis: In carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri, et congredi cum hominibus possent.* Et apertius lib. *De Resurrectione Carnis* cap. 62. *Quia Angeli,* inquit, *aliquando tamquam homines fuerunt, edendo, bibendo, et pedes lavacro porrigendo: Humanam enim superficiem induerant, salva intus substantia propria.* Hoc itaque sufficere visum est Tertulliano, quod dogmati Apellis non consentiret qui ex aërea substantia Angelos creatos dicebat: qualia autem fuerint ab eis assumpta corpora, vera an larvata, in dubium habuit. Quod certe mirum videri non debet, cum ipsemet beatus Augustinus hanc perplexam quæstionem referens *lib. 3. De Trinitate cap. 1.* fateatur illam excedere vires intentionis suæ; quem secutus est beatus Bernardus Homilia 5. in *Cantica. Ceterum,* inquit, *utrum ipsis spiritibus naturalia corpora sint, sicut hominibus sua, an vero ipsi spiritus corpora cum opus est, sumant; rursumque expleto opere ponant in eamdem, de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda? Nolo ut hanc requiratis: videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est unde alterutrum doceam, et nescire me fateor; sed, et nostris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.* Quantum autem ad locutionem quam frequenter efformant Angeli in corporibus assumptis, Alensis noster, *qu.* 35. *memb.* 1. eis tribuit virtutem, qua non solum per corpus assumptum velut per instrumenta similia organis deservientibus humanæ locutioni, sed etiam sine ullo prorsus assumpto humano corpore, possint vocem humanæ similem efformare; quod etiam testatur omnis antiquitas, quæ et oraculorum non solum in statuis, et idolis, sed etiam in antris, arboribus, bestiis, imo calvariis a dæmone editorum meminit. Tamen existimarem verius formatam ab Angelis locutionem non esse proprie dictam, siquidem hæc actio, non minus quam suprædictæ, vitalis est; non etiam proprie loquendo dicit tantum sonum in aëre formatum, sed etiam modum illius formationis importat, nempe, quod fiat immediate per propria organa vitalia, et ex motione phantasiæ, ac cum intentione aliquid significandi. Quamvis autem Angelus possit formare in aëre, vel in corpore assumpto sonum similem illi, et materialiter ejusdem rationis cum sono vocis humanæ, tamen non potest eumdem effingere formaliter; quippe cum sonus ille locutionis angelicæ non fiat per vitalia organa, nec per immutationem phantasiæ, ac cum intentione aliquid significandi. Solum itaque loquuntur Angeli in corporibus assumptis ad eum ferme modum, quo quis artificiose quodam instrumento, puta tibia, vel tuba sonum vocis humanæ exprimat, vel quomodo cavæ valles, et murorum scissuræ, necnon et antri foveæ exceptam ac repercussam vocem, articulate admodum reciprocant. — Advertendum est autem quod dæmones in corporibus loquentes plerumque utuntur voce stridula, subsibilante, confusa, obscura, debili, pusilla, et quasi ex dolio, vel per testam rimosam, ut fatetur Remigius lib. 1. *De Demonolatria* c. 8.; potest autem diabolus, quando in corpore assumpto apparet et loquitur, videri et audiri tantum a quibus

optat, ceteros vero omnino latere: idque naturaliter; si nempe quantum ad nonnullos, et non quoad ad alios, ex parte objecti vel organi impedimentum afferat, puta si medium ita præpediat, ut per illud species ad oculum, vel auditum non perferantur: vel si ipsas similitudines ad alios dirigi prohibeat, ad eos vero a quibus audiri, et videri vult, sinat simulacra, et sonos libere commeare, et imaginationem eorum ad nulla alia obducat.

Conclusio secunda. — ANGELI IN CORPORIBUS ASSUMPTIS NON POSSUNT REVERA PER SE GENERARE ALIQUOD ANIMAL PERFECTUM. Ita communiter Theologi cum Doctore supra laudato n. 5. « Quantum « ad generationem, inquit, dicendum quod illa fit virtute seminis de« cisi a mare in fœminam in qua servatur virtus patris. sicut commu« niter dicitur: si ipse potest illud semen ab aliquo succumbendo re« cipere, et servare illud in sua naturali qualitate conveniente sua« generationi naturali, quousque illud transfundat; ipse nihil facit « ibi, nisi quia primo recipit in corpore illo assumpto, illud quod po« stea movet localiter in aliquam cui est incubus: et si illud semen « antequam sit receptum in matrice non amittat suam qualitatem na« turalem potest per ipsum fieri generatio, sicut si immediate trans« ferret revera primo decidentem in eamdem matricem. Et hoc modo « attribuitur non quidem Angelo bono, quia absit quod talibus vilibus « se immisceat, sed dæmoni, generare, quia idem primo succubus, « et postea incubus semen a decidente primo transfusum recipit, et « deinde transfundit illud in matricem ». — Idem habet Seraphicus Doctor *eadem dist. art.* 3. *q.* 1. ubi probat dæmones non posse per se generare, *primo,* « quia generatio est productio similis in specie, « sed dæmon assumens corpus non assimilatur homini, sed dæmoni: « ergo non potest hominem generare. *Deinde* ut fiat generatio necesse « est secundum Medicos, quod concurrat triplex spiritus naturalis, « vitalis, animalis; et secundum Philosophum triplex calor, videlicet « calor animæ, calor cæli, et calor elementi: ergo cum dæmon nec « spiritum animalem, nec calorem animalem in corpore assumpto « possit habere, videtur quod nullo modo possit generare. *Denique* « generare non est actus animæ, et corporis divisim, sed conjunctim; « sed ex dæmone, et corpore non fit unum: ergo numquam potest « per corpus exire in actum generandi. » Subdit autem, quod duo concurrant ad generationem, nempe facultates, et seminis constitutio necnon et ejusdem seminis transfusio, et susceptio: « primum, in« quit, est solius illius cui Deus dedit vim propagativam, et hoc nullo « modo competit dæmonibus assumentibus corpus: secundum vero « scilicet seminis susceptio, et transfusio potest eis competere; primo « enim succumbunt viris in specie mulieris, ut ex eis semen pollu« tionis suscipiant, et quadam sagacitate ipsum in sua virtute custo« diunt, et postmodum, Deo permittente, fiunt incubi, et in vasa mu« lierum transfundunt, ex qua transfusione homines generari possunt. » Hanc ipsam veritatem plurimis exemplis suadet Delrio *lib.* 2. *Magicarum quæstionum q.* 15. Vetustas enim, inquit, a dæmonibus specie humana larvatis obtrudit genitos suos *semi-Deos*, *Hercules*, *Sarpedones*, *Servios Tullos*, Anglia *Merlinum*, Pannonia *Hunnos* ex Arlunis

strigibus Gothicis, et Faunis natos. Helinandus, lib. 4. *Apud Belvacensem*, affirmat *Clivensium* familiam excitatam fuisse a dæmone succubo. Chiesa c. 27. p. 2. *histor. Perus.* scribit in Hispaniola solitum *Crocoton* dæmonem misceri mulieribus, et ex eo nanos bicornes nasci. — Hanc ipsam veritatem confirmat S. Augustinus *in libris De Civitate Dei:* licet enim *lib.* 3. *cap.* 2. dubius dixerit, *Utrum potuerit Venus ex concubitu Anchisis Æneam parere, in medio relinquamus: Nam pene talis quæstio in Scripturis oritur, qua quæritur utrum prævaricatores Angeli cum filiabus hominum concubuerint? Unde natis gigantibus, idest nimium grandibus, et fortibus viris, tunc terra repleta est:* tamen lib. 5. cap. 23. quæstionem determinat in hæc verba: *Creberrima fama est, multisque se expertos, vel ab eis qui experti erant de quorum fide dubitandum non est, se audivisse confirmant, Silvanos, et Faunos, quos vulgus Incubos vocant, improbos extitisse mulieribus, ac earum appetiisse ac peregisse concubitum: et quosdam dæmones, quos* Dusios *Galli nuncupant, assidue hanc immunditiam, et tentare, et efficere pluries, talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ sit.* Hoc ipsum confirmat Glossa in illa verba Genesis: *Videntes Filii Dei filias hominum, etc.* ubi dicit non esse incredibile, non ab hominibus, sed ab Angelis, vel quibusdam dæmonibus qui mulieribus sunt improbi, gigantes esse procreatos.

Probat etiam Guillelmus Parisiensis 3. *part. De Universo cap.* 25. ubi cum dixisset gentem Hunnorum ab hujusmodi dæmonibus esse generatam, necnon et insulam Cypri totam populatam esse, et inhabitatam a filiis dæmonum: inde pluribus demonstrat dæmones posse homines gignere, assumpto, et transfuso nedum semine humano, sed etiam quorumdam animalium, quæ quamdam cum homine in generando convenientiam habent; quod utique confirmat hoc exemplo: « scito, inquit, quia in provincia Saxoniæ, Ursus quidam rapuit uxo-« rem cujusdam militis, et detulit in speluncam in qua inhabitabat, « ibique habuit eam diebus multis, et annis, genuitque ibidem filios « ex ea, qui postea recuperata muliere illa, et restituta viro suo, vi-« xerunt cum eadem muliere, et facti sunt postmodum milites: et « cum essent veri homines de natura ursina, hoc apparebat in eis, « quod vultus eorum in similitudinem ursinorum vultuum aliquan-« tulum declinabat, cognominationem autem a Patre scilicet, *Urso*, a « quo geniti fuerant, vocati sunt *Ursini*. Sciendum autem quod Ursus « in duobus assimilatur hominibus, videlicet in hoc quod coeunt sicut « conjugati; et cum decoriati sunt, tota figura corporis similis apparet « hominibus, propter quod et multi esum eorum carnium abhorrue-« runt, videlicet tamquam esum carnium humanarum. Non igitur mi-« rum si semen ursinum etiam tanta similitudine humano semini « appropinquet, ut ei etiam ad generationem convenienti conjunctione « applicetur. Cui autem intelligenti non est notum hujusmodi spiritus « diabolicos, facile esse subito exhibere, et adhibere mulieribus, quas « sic ludificant, semina animalium quæ cognoverunt ad generationem « convenientia? » Ex his colligit infra non improbabilem esse sermonem famosum opinione vulgatum de *Merlino*, qui in majori Britannia filius dæmonis incubi fuisse dicitur, nec id esse impossibile. Quod autem idem Merlinus Propheta in eadem regione habitus est, eo quod

multa de futuris vaticinatus fuisse visus est prophetice, id contigisse ex instructione vel doctrina paterna, non immerito credi potest; multa enim de futuris, et aliis absconditis certum est nosse dæmones, et interdum aliis, nedum filiis, revelare. Addit insuper dæmones incubos mulieribus pulchra cæsarie donatis magis infestos esse multiplici de causa; aut quia, inquit, in cultu ornatuque, ac tinctura crinium cura nimia intendunt hujusmodi mulieres: vel quia pulchritudine illa inflammare spectantes in suam libidinem conari consueverunt: vel quia in eis insolenter mulieres gloriantur. Et forsitan ad terrorem divinæ severitatis hanc tentationem a malignis spiritibus sustinent, ut ab hujusmodi cultu desinant, timentes viros ad suam libidinosam concupiscentiam inflammare, dum ipsos dæmones ad eam instigare, et provocare videntur.

Simile quid refert *Burchardus Abbas Balernensis* in vita S. Bernardi c. 6. ubi narrat, quod cum sanctus ille Nannetum venisset, invenit ibi mulierem, quæ a quodam petulante diabolo vexabatur. Apparuit autem ei lascivus ille diabolus in specie militis valde pulchri aspectus, et in amorem suum intus suggestione latenti, extra locutione blandienti animum ejus fallaciter inclinavit. « Cumque mulieris « assensum obtinuisset, expansis brachiis, pedes ejus super unam « manuum suarum posuit; altera vero manu ejus caput operuit, si« bique eam fœderis hujus signo dotavit. Habebat autem illa virum « strenuum militem, sed hujus tam execrabilis commercii prorsus « ignarum. Abutebatur ergo, etiam in eodem lecto cubante marito, « invisibiliter impurissimus ille adulter, et incredibili vexabat libidine. « Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti « criminis probrum. Septimo vero anno contusa est in seipsa, et expa« vit tum propter colluvionem tam continuæ turpitudinis, tum propter « timorem Dei cujus judicio singulis momentis timebat intercipi, et « damnari. Confugit ad Sacerdotes, et piaculum confitetur. Peragrat « loca sancta, et implorat sanctorum suffragia; sed nulla ei confes« sio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie, « ut prius, et importunius a dæmone infestatur. Denique in publicum « tantum scelus effusum est: quo audito, et cognito maritus ejus « contubernium execratur. Interea ad locum prædictum vir Dei cum « comitatu suo advenerat; cujus, ut audivit adventum infœlix mu« lier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrimis per« fusa passionem horribilem, et ludificationem inveteratam; et quod « nihil ei profecissent quæcumque fecisset sibi a Presbyteris impe« rata. Addit sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, et « minaciter ei interdictum ne ante ejus iret præsentiam, quia nihil « ei prodosset, et ipso (recedente Abbate) qui fuerat amator, crude« lissimus ei fieret persecutor. Audiens hæc vir Dei blandis verbis « consolatur mulierem; et de Cælo promittens auxilium, præcipit, ut « die altera (jam enim nox instabat) confidens in Domino revertatur. « Reversa mane, cum viro Dei blasphemias et minas quas eadem « nocte ab incubo suo audierat, retulisset; nec cures, inquit vir Dei, « minas ejus, sed tolle baculum hunc nostrum, et pone in lectulo tuo, « et si quid potest agat. Egit mulier quod jussum fuerat, et recubans « in lectulo suo, signo crucis munita, juxta se baculum ponit. Adest

« ille continuo, sed nec ad consuetum opus nec ad ipsum cubile præ-
« sumit accedere : minatur tamen acerrime, quod discedente viro Dei
« ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies Dominica, et vo-
« luit vir Dei per edictum Episcopi in Ecclesiam accersiri. Cumque
« ipso die maximus populus ad Ecclesiam convenisset, inter Missa-
« rum solemnia comitantibus Episcopis Gaufredo Carnotensi, et Bri-
« ctio Nannetensi, ipse apud ambonem consendit, et ut omnes qui
« in Ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus
« edicit. Quod et ipse cum Episcopis, et Clericis faciens, inauditos
« diaboli ausus publice aperit, et fornicatorem spiritum, qui in tam
« horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam exarserat, cum
« omnium fidelium, qui aderant subscriptione, anathematizat ; et au-
« ctoritate Christi tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps
« interdicit accessum. Extinctis itaque Sacramentalibus illis lumini-
« bus, extincta est deinceps tota virtus diaboli, et mulieri post con-
« fessionem communicanti numquam postea apparuit inimicus, sed
« irregressibiliter eliminatus aufugit. »

Simile quid refert Laurentinus Ananias lib. 1. *De natura dæmonis* c. 3. evenisse in Marrea regione, in qua haud multis ab hinc annis puella quædam, forma venusta et egregia, natalibusque non minus clara, diu detrectans conjugium, ventrem ferre reperta est ; parentibus de eo, qui stuprum tale intulisset, solicite inquirentibus, sponte fatetur puella se tam noctu quam interdiu venerem exercuisse cum adolescente quodam ; quis vero, aut undenam veniret, aut esset, ignorare. Ad quæ non potuere non parentes vehementer obstupescere, angi animo ac affligi ; a famula tandem hominem in cubiculo cum filia rem habere edocti, haud mora interposita ulla, facibus tedisque accensis, quod nox esset, accurrentes, reclusis foribus monstrum horrendum ingens, ac omnem humanam fidem excedens, et maxime terribile a filiæ complexibus pendere vident. Sacerdotem e vestigio vitæ moribusque probatis accersunt, qui cum in recitatione Evangelii S. Joannis verba illa exprimeret, *Verbum caro factum est*, dæmon non sine maximo ac horrendo excitato strepitu, terroreque incusso, et post se relicto, more nempe suo, disparuit, cubiculi tectum simul auferens : at fœmina hæc infœlicissima triduo post monstrum non minus horrendum enixa est, quod ne in familiæ summam ignominiam aleretur ac educaretur, extructa pro more pyra, flammis consumptum est.

Causa autem quare dæmones se incubos, aut succubos efficiant, non est capessendæ delectationis, aut carnalis voluptatis ratio ; siquidem cum sint puri spiritus, hujusmodi delectationem percipere non possunt : sed hæc est potissima, ut per luxuriæ vitium utriusque hominis naturam lædant corporis, et animæ, ut sic ad omnia vitia homines proniores existant.

Dices 1 : Dæmon est expers vitæ, et origo mortis : ergo nequit esse auctor, et origo actus vitalis. — **Respondeo**, vim hanc vitalem non inesse dæmoni, sed ipsi semini ; sicut vis calefaciendi non inest scipho propinanti, seu tubo fundendi vinum, sed ipsi vino. Si autem quæretur cujus filius existat homo sic genitus ; respondeo quod non est filius dæmonis, sed filius hominis cujus est semen acceptum. Cum

autem instatur quod nihil est superfluum in operibus Angelorum sicut et naturæ : id concedo : sed cum infertur quod dæmon potest indivisibiliter semen, et recipere, et infundere : respondeo id esse verum ; hoc autem potius operatur visibiliter, ut succubus et incubus, ut sic per talem spurcitiam inficiat corpus, et animam viri et mulieris.

Dices 2 : Dæmon, et homo specie differunt : ergo ex hac copula sequi nequit proles. — **Respondeo** ; consequentiam esse nullam, tum quia ex equo et asina, et aliis specie discrepantibus animalibus Muli, Thoes, Leopardi, Pantheræ, et aliæ hybrides gignuntur: tum quia generatio hic non tribuitur dæmoni, sed homini cujus est semen, ut recte ait *sanctus Thomas quodlibeto sexto, articulo octavo ad sextum,* et ideo hic ex homine, sicut ex viro et fœmina solito nascitur homo.

Instabis: Generatio completur per virtutem formativam, quæ est in semine, corpore vivo resoluto : sed corpus a dæmonibus assumptum non est vivum : ergo dæmones generare non possunt. *Deinde*, principium gignendi est cor : ergo cum dæmon corde careat, ipsi pariter deest virtus cordialis calorem, ut oportet, temperans. *Denique*, semen non habet vim generativam nisi quamdiu calor animæ in eo retinetur : sed ipsum evanescere necesse est propter magnam distantiam, quo interdum deportatur a dæmone, etc. — **Respondeo** *ad primum*, dæmonem hac in re se habere non per modum causæ principalis, sed instrumentalis, applicantis verum semen ad generationem necessarium : quod utique præstare potest, ut supra dictum est. *Ad secundum* dico, sive a corde, sive a cerebro vis gignendi oriatur, spiritus genitalis ipsi semini est infusus in ipsa seminis ab humano corpore decisione ; dæmon vero hunc spiritum cum calore suo tantum conservat. Possunt enim dæmones aliqua adhibere ad seminis conservationem ne calor vitalis evanescat : possunt etiam ita velocissime moveri, et semen deportare, ut spiritus illi effluere non possint : quibus patet responsio ad ultimam objectionem.

Dices denique : Non esse credendum Deum concurrere ad hujusmodi actum, aut animam tali corpori ex hujusmodi coitu nato infundere, et inchoato dæmonis operi coronidem addere. — **Respondeo**, dæmonem, quoad naturæ operationem, hic dumtaxat esse instrumentum, et applicare solummodo agens principale, quod est verum semen humanum : Deum autem concurrere ad ultimam dispositionem organici corporis ab humano semine nati : accidentarium vero quid esse, et morale dumtaxat peccatum sagæ atque dæmonis malitiam. Itaque Deus, ut auctor naturæ, juvat naturam, peccato vero cujus auctor non est, non adminiculatur. Adde quod, si quid hujusmodi valerent argumenta, sequeretur neque ex fornicatione, neque ex adulterio, neque ex incestu prolem gigni posse.

Repones, diversam esse rationem, quoniam in his ordo naturæ servatur, non vero in illo dæmonis hymæneo. — **Verum hæc responsio** non solvit nostram replicam ; ordo namque naturæ quantum ad physica generationis præcipua principia servatur, natura enim dumtaxat postulat, ut ex viri prolifico semine apte mixto semini muliebri proles nascatur.

QUÆRES 1: *An etiam ex viro incubo, et dæmone succubo filii nasci possint.*

Respondeo probabilius videri, quod non, plura namque ad prolis generationem partumque matres quam patres suppeditant; requiritur enim tactus corporis, ut semen in matris utero in corpus organicum commutetur, et absolutissima illa humani corporis architectura perficiatur: requiritur etiam continua vegetantis animæ operatio in fœtu alendo, et alia pene innumera naturæ arcana; quæ omnia utrum dæmon in assumpto corpore præstare queat summe dubito, imo non posse reor. Hinc affirmabo constanter, quod quæ de *Pictavorum Comitum* ex *Melusina Sirena*, et viro nobili oriundorum, Francorum nonnullæ historiæ referunt, sicut et quæ de *Ursini familia* ex urso propagata supra retulimus ex Guillelmo Parisiensi, inter decantatas aniles fabulas esse reponenda. Censerem igitur pueros quos legimus succubo dæmone natos, vel supposititios fuisse alterius fœminæ veros partus a dæmone furtim subductos: vel larvatos dæmones sub specie parvuli recenter nati, et quasi per nutritionem, et lactationem ad modum veri pueri crescentis. Prioris generis exemplum plurimi Auctores cum Delrio *lib.* 2. *q.* 15. referunt de nobili quodam Bavaro, qui cum defunctam uxorem ferret impatientius, quadam nocte fœminam rediisse, seque resuscitatam dixisse, dæmon assumpta specie defunctæ mulieris asserit: qui postmodum quasi præfata mulier, cum suo marito convixit, et ex eo liberos suscepit: cum autem maritus ille pluries a larvata illa uxore monitus, ut a convitiis, et blasphemiis se abstineret, nec tamen vitam emendaret, die quadam in hujus viri conspectu ipsa mentita uxor evanuit, relictis ibi muliebri veste, et parvulis quos aliunde furtim acceptos quasi ex se genitos supposuerat. — Ad posterius autem fraudis dæmonis induentis formam parvuli ex dæmone succubo nati, exemplum refert Ulricus *Dialogo de Pithonicis mulieribus c.* 6. « Quod in regno Siciliæ imperante Rogerio contigit, quod « quidam strenuus, et natandi arte peritus circa crepusculum noctis « lucente Luna in mari balneans, mulierem post se natantem per « crines apprehendit, esse putans unum ex sociis, qui eum vellet « mergere; eam autem alloquens nullum verbum extorquere potuit, « opertamque pallio in domum duxit, et tandem in uxorem solemniter « accepit. Increpatus aliquando a socio quodam, quod phantasma ac- « pisset expavescens arripuit gladium, minatus in conspectu ejusdem « mulieris filium quem ex ea susceperat interfecturum, nisi illa lo- « queretur, et diceret unde esset. Quid, inquit, væ tibi misero, utilem « perdis uxorem dum cogis affari, tecum essem, et tibi bene foret, si « injunctum mihi silentium tenere permisisses? Nunc autem deinceps « me non videbis, et mox evanuit. Puer autem crevit, maximum bal- « neum frequentare cœpit, tandem una dierum phantastica illa mu- « lier coram multis eumdem puerum in eisdem fluctibus occurrentem « rapuit, quem si verus filius fuisset, mare ad littus expellere de- « buisset. Hæc ille. » — Ad hujusmodi fraudis dæmoniacæ probationem spectant parvuli ipsi, quos dæmones mulieribus interdum supponunt, quasi ab eis genitos, quique vulgo *Cambiones* appellantur, idest *Cambici*, inquit Guillelmus Parisiensis *ultima parte De universo c.* 25.

quasi commutati, et a mulieribus parentibus pro filiis propriis suppositi. Ferunt autem eos adeo esse lacte insaturabiles, ut etiam quatuor nutricum rumis exhaustis, macilenti perseverent; ponderosissimi tamen, et tandem post aliquot annos prorsus evanescunt. Itali, ipsos a continuo vagitu *vagiones* appellant. Talem arbitratur Delrio fuisse puerum quem mendicus quidam per Galiciam summa cum defatigatione humeris bajulabat; cum enim mendicus postmodum compreheusus fuisset, confessus est puerum, diabolum larvatum fuisse, qui sibi promisisset omnes se ad eleemosynas ei conferendas pellecturum, quamdiu sic circumferretur habitu pueri morbosi, et fasciis involuti.

QUÆRES 2: *An Dæmones possint animalia per se producere?*

Respondeo 1. Animalia imperfecta puta muscas, vermes, ranas, et hujusmodi insecta, et alia, quæ ex putrefactione nascuntur, dæmones posse producere celeriter; non quidem creando, sed applicando activa passivis. Ita S. Aug. *l.* 3. *De Trinit. c.* 7. Probaturque innumeris propemodum exemplis, quibus constat Magos plerumque accepto a diabolo pulvisculo in aërem projecto, statim producere diversas species locustarum, bruchorum, murium, et similium animalculorum varias pestes. Sic etiam possunt producere quosdam anseres imperfectiores, quales sunt qui gigni solent ex deciduis fructibus arborum in mari putrescentibus, vel ex lignis navigiorum putridorum. — *Respondeo* 2. Posse etiam producere animalia, quæ perfecta vocantur; non quidem applicando activa passivis, quippe cum illa non nascantur ex putrefactione, sed ex prolifico parentum semine: sed illa posse producere eo modo quo homines, excipiendo nempe ab animali semen emissum, ut dæmon incubus, et postmodum in aliud animal transfundendo, ut succubus. Posset etiam dæmon animalia jam nata callide subducere, et in locis remotis ubi nata videantur, fovere, alere, et respirationem efficere; siquidem non raro inter saxa reperiuntur non solum muscæ, mures, et similia imperfecta viventia: sed etiam interdum perfecta: refert enim Guillelmus Neubrigensis *Histor. Anglorum c.* 28. quod dum in quadam lapidicina, petra ingens terramentis scinderetur, apparuere duo canes capaces sui in eadem petra locum replentes absque omni spiraculo, intellige perceptibili: videbantur autem esse ex eo canum genere quos leporarios vocant, sed vultu truces, odore graves, pilorum expertes; et unus quidem eorum, ut dicitur, cito defecit, alterum vero stupendæ, ut ajunt, edacitatis Henricus Wictoniensis Episcopus diebus plurimis in deliciis habuit. Subdit autem in alio lapide inventum butonem catenulam auream circa collum habentem. Censeo huic catenulam a dæmone additam; nam ipse bufo ibidem nasci potuit, nam in Carbonariis fodinis Leodicensibus, silices ingentes nonnumquam reperiuntur, quos vivi butones conditi, ut in nativitatis suæ cunis latebant. Ita Delrio lib. 2. qu. 14.

QUÆRES 3: *An dæmones possint corpora in aliam speciem mutare?*

Respondeo, quod non, omnes enim, quæ leguntur hujusmodi permutationes, illusoriæ sunt, et deceptrices: neque enim v. g. anima humana informare potest corpus belluinum, ut nec anima leonis corpus equinum, vel anima equi corpus humanum; quia quælibet forma substan-

tialis, ut suum esse tribuat informando, requirit peculiares, sibique convenientes dispositiones, et organizationem corporis propriam, ideo anima definitur: actus organici corporis. Unde fit ut nec ferina anima humanum corpus, nec humana ferinum queat informare. Non poterit itaque anima hominis in ferinum corpus migrare illud informatura, multo minus poterit, si sit cum corpore, animal immutare. Quod utique egregie probat S. Aug. lib. 18. *De Civitate Dei* cap. 18. ubi loquendo de ludificationibus dæmonum, quibus Maga famosissima Circes dicitur mutasse socios Ulissis in porcos, ait: « nec sane dæmones natura creat, si aliquid tale faciunt de qualibus factis ista vertitur « quæstio; sed specie tenus, quæ a vero Deo sunt creata commutat, « ut videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum animum, sed « nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel in lineamenta bestialia veraciter posse converti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, sive somniando per rerum innumerabilia genera variatur, et cum corpus non « sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit: sopitis, « aut oppressis corporeis hominis sensibus ad aliorum sensuum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius, atque vehementius, quam somno suis sensibus obseratis. « Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis « effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, et portare onera, « quæ onera, si vera sunt corpora, portantur a dæmonibus ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum « falsa cernentibus. Nam quidam nomine Præstantius patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret, et jaceret in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo « poterat excitari: post aliquot autem dies eum velut evigilasse dicebat, et quasi somnia enarrasse, quæ passus est, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ « dicitur retica, quoniam ad retia deportatur, quod ita ut narravit, « factum fuisse compertum est: quæ tamen ei sua somnia videbantur. « Indicavit et alius se domi suæ per noctem antequam requiesceret « vidisse venientem ad se quemdam Philosophum sibi notissimum, « sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere « noluisset, et cum ab eodem Philosopho quæsitum fuisset, cur in « domo ejus fecerit, quod in domo sua petenti negaverat: non feci, « inquit, sed me fecisse somniavi: ac per hoc alteri per imaginem « phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis. « Hæc ad nos, non quibuscumque qualibus credere putaremus indignum, sed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non existimaremus fuisse mentitos. Proinde quod homines dicuntur, mandatumque est litteris a Diis, vel potius dæmonibus, Arcades in lupos « solere converti, et quod *carnibus Circe socios mutavit Ulissis* se« cundum istum modum, mihi videtur fieri potuisset quem dixi, si « tamen factum est ». Hæc S. Augustinus.

Refert Jacobus Springerus *parte secunda*, *De malleï maleficarum q.* 2. « quod in civitate Salamina regni Cypri, cum juvenis quidam una

« cum ceteris e navi ibi appellente ut necessaria sibi ad victum com-
« pararent, ova a muliere venefica, et saga pretio excepisset, unum-
« que ex eis navem repetendo comedisset, statim quasi mente desti-
« tutus, et mutus effectus, quidnam sibi accidisset conjicere non va-
« leus; dum vult navem subire repulsam patitur a sociis, eum ut
« asinum videntibus, et putantibus. Quocirca ut monuerat mulier,
« ejus domum repetit, eique ad modum asini per triennium deservivit.
« necessaria domus in lignis, et bladis asportans, quæ autem portanda
« erant, tanquam jumentum deportabat; hoc consolationis sibi relicto,
« ut licet ab omnibus aliis jumentum reputaretur, ab ipsis tamen ma-
« leficis conjunctim, vel divisim morantibus, ut verus homo huma-
« nitus conversando in incessu, statu, et habitu agnoscebatur. Triennio
« igitur elapso, dum quodam die ante meridiem civitatem prætatam
« intrasset, et mulier a longe sequeretur, contigit quamdam Eccle-
« siam, in qua divina celebrabantur, juvenem sic maleficatum præ-
« terire: qui audiens notam campanæ pro elevatione Corporis Christi,
« ad Ecclesiam se convertit, et intrare dum propter verbera, et expul-
« sionem non auderet, a foris genua, et crura posteriora in terram
« fixit, et anteriores pedes, idest manus, simul junctas elevans ex
« capite asinino, ut putabatur, Sacramentum in elevatione intuetur,
« quod grande prodigium dum certi Januenses Mercatores conspexis-
« sent, mirantes asinum sequuntur, et inter se de miro opere conte-
« rentes, ecce malefica cum baculo asinum insequitur: et quia, ut
« præmissum est, hujusmodi maleficia illis in partibus plurimum
« practicantur, ad instantiam Mercatorum, per Judicem asinus cum
« malefica capitur, interrogata, et quæstionibus exposita crimen fa-
« tetur, et ut ad domum redire valeat, juvenem restituere suæ formæ
« promisit. Dimissa igitur, et domum regressa, juvenis ad pristinam
« formam reducitur, et ipsa denuo capta, debitam ultionem pro com-
« missis suscepit, et juvenis ad propria cum gaudio remeavit ». Hæc Springerus.

Simile quid refert Palladius in vita S. Macharii, scribens quod quædam juvencula ope cujusdam Judæi magicis artibus in equam ut videbatur conversa, deducta fuerit ad beatum Macharium cujus visum diabolus non potuit ludificare: licet enim omnes illam filiam velut equam conspicerent, illam tamen S. Macharius hac equina specie non larvatam intuebatur, suisque precibus a Deo obtinuit, ut ab omni illa illusione esset libera; ipsique dixit, hoc ideo a Deo permissum fuisse maleficium, quod illa negligentius Sacramenta frequentaret, licet aliunde honeste, ac devote viveret.

Stupendum quid refert Delrio laudato loco, contigisse non ita pridem juxta Dixmudam in Flandria, quod cum mulier cauponaria cum quodam rustico querimoniam habuisset de pretio propter propinatam cervisiam solvendo, stomachabunda ait, quod illo die non posset scapham, quam ad fluvioli ripam reliquerat, conscendere, et a ripa contis depellere, quod utique contigit ut minata fuerat mulier: nam ubi vires omnes suas frustra impendisset ut scapham illam de ripa deduceret, duos tresve Milites in suppetias vocavit, qui cum pariter diu frustra laborassent, tandem conspiciunt in scaphæ sentina luridum butonem scintillantibus oculis eos intuentem. Non tulit unus militum,

sed gladii cuspide perforatum ad guttur tumidatum in aquam injecit. Ille quasi exanimis in tergum pervolvitur ventre resupinato, vulnera natitanti imponunt ceteri alia, et repente navis solvitur. Lætus rusticus auxiliatores ad idem, unde recesserat, hospitium reducit; potum petit, præbet ancilla; quærit ille ubi hospita? Audit pessime habere, et animam in lecto agere. Quid, inquam, inepta ebrium me putas? Vix media pars horæ elapsa cum ego illam isthinc sanam, et malam qualis tu reliqui? Eo, visurus quid hoc rei? Intrat in thalamum, invenit collum, et ventrem vulneribus confossam laceramque mulierem expirasse. Unde hæc, exclamat, vulnera? nescire se profitetur ancilla, nec domo illam quod sciat, pedem extulisse. Itur ad Magistratum vulnera cæsim, punctimque illata, inveniuntur iisdem in locis, quibus buffonem, qui nusquam comparebat, milites distinxerant.

His itaque constat, veram non esse, sed tantummodo larvatam illam demutationem hominum, quam vel Magi arte diabolica, vel diabolus ipse efficit. Idque diversimode; nam solet aliquando aliud corpus substituere, et illis absentibus, et alicubi in loco abdito soporatis, ipse assumpto lupi corpore, vel ex aëre formato, et sibi circumdato ista gerit, qui putant homines ab illo misero absente, et dormiente patrata. Quod stratagema a Sancto quodam cunctis manifestatum, narrat Guillelmus Parisiensis *ultima parte De universo c.* 13. « Erat, « inquit, quidam Arreptitius, et per dies arripiebat eum malignus spi« ritus, et eo usque dementabat, ut crederet se esse lupum: in diebus « autem arreptionis præcipitabat eum diabolus in locum absconditum, « ibique relinquebat eum tamquam mortuum; tempore vero hujusmodi « absconsionis intrabat diabolus lupum, vel ipsemet in specie lupi « ostendebat hominibus se, et faciebat incursationes terrificas contra « homines, et animalia, ita ut a facie ejus fugerent, devorari timentes « ab ipso. Erat quoque fama hominem illum lupum fieri per dies. « Et hoc homo ipse credebat, sicut prædixi. Credebat insuper se esse « lupum illum, qui faciebat incursationes hujusmodi. Quo audito ve« nit vir sanctus in regionem illam, in qua hæc fiebant, prædicavit « hominibus non esse verum, quod de homine illo credebant, videli« cet quod lupus fieret: adductusque ad locum, in quo jacebat quasi « mortuus, ostendit hominem populo, qui venerat ad hujusmodi spe« ctaculum; atque coram hominibus eo excitato, et a vexatione huju« smodi liberato, ostendit ei, et adstantibus lupum, quem homo ille « credebat se esse, sicut etiam ipse coram hominibus, qui aderant, « confessus est. »

Aliquando vero hominibus ipsis ferarum exuvias hujusmodi foras aptissime circumdat: quod fit quando illis dat lupinam pellem in trunco quoppiam cavæ arboris occultandam, ut ex quorumdam confessionibus constat. Aliquando denique ex parte Magi aëream circumdat effigiem belluæ, et membra membris quoad patitur similitudo circumponens, caput capiti, osori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachiis accommodat. Hoc solet contingere cum ad hoc injunctionibus certis, vel solis verbis conceptis utuntur, quo sane ultimo casu nihil mirum est, si postmodum vere inveniantur saucii illis membris humanis, quæ in ferino corpore ictum exceperant; nam leviter cessit circumjectus aër, et vulnus vero corpori implantatus est. Quod confirmat

Bartholomeus Spineus *quæst. De Strigibus. c.* 16. « Hujus etiam, in-
« quit, apparentis conversionis Strigum in Catos, testis alius in hac
« civitate Ferrariæ Philippus nomine, artificio certo sub judiciali ju-
« ramento mihi asseruit hoc anno, strigem quamdam ante tres menses
« ei imposuisse, ne prohiberet venire circa puerum (a se forte striga-
« tum) quem curandum assumpserat, si quos blandientes, et alludentes
« videret catos. Eadem igitur die dum discessisset illa, viderunt post
« horam ipse, et uxor sua catum magnum, et hactenus ab eis invi-
« sum, qui ad puerum accedebat concito gradu: quem cum ex timore
« parentes sæpius abegissent, postremo contra venientis vexationem
« ad impatientiam exarserunt: clausoque ostio, vir ille gravissime ca-
« tum hinc illinc fugientem diutius hasta percussit, et demum fene-
« stram subiens, evasit. Ex tunc autem strix illa vetula, toto contracta,
« et vulnerata corpore per plurimos dies lecto decubuit ». Ita Spineus.

DISPUTATIO TERTIA.

DE ANGELORUM GRATIA, MERITO, ET DEMERITO.

Certum est duplicem Angelorum sicut et hominum esse statum, *naturalem unum*, quo in spiritualium rerum genere suum ordinem tenent: *Alterum* natura sublimiorem, ac Divinitati ipsi propinquiorem, qui gratia continetur, et gloria. Priorem quantum licuit, in duabus præcedentibus Disputationibus scrutati sumus, et reseravimus: posteriorem vero in præsenti Disputatione revelandum, et solvendum auspicamur. Constat autem naturam angelicam sicut et humanam capacem esse supernaturalis beatitudinis, quam nativis suis viribus assequi non possunt: unde fit, duos fines ultimos, duosque ordines, seu rectitudines bonorum actuum esse in Angelis sicut et in hominibus distinguendos: unum quidem naturæ suæ veluti debitum, ac proportionatum: alterum vero longe præstantiorem, omnemque naturæ capacitatem excedentem, et in quem fines ceteri a rationali creatura intenti, velut in ultimum illius scopum, collineant. His autem duobus finibus assequendis duo mediorum, et actuum ordines deserviunt: quædam enim media sunt tantum ordinis naturalis, quæ per se ad naturalem finem ultimum assequendum rationalem creaturam promovent, juxta modum ipsi proportionatum, et naturaliter inditum: alia vero sunt ordinis supernaturalis, quibus ipsa rationalis creatura ultra proprias vires ad finem sibi naturaliter indebitum, debitum tamen ad absolvendam omnimodam ejus perfectionem, et summam beatitudinem stabilendam sublevatur. Ex quo etiam duplex distingui solet gratuitum donum, vel auxilium; unum quidem supernaturalis ordinis, quod in sua entitate, et productione omnem naturæ captum transcendit: aliud naturalis ordinis, datum tamen gratuito, et ultra exigentiam, ac naturæ debitum, necnon et cum quadam resolutione, ac ordinatione ad supernaturalem finem. Hic autem maxime sermo fit de fine ultimo supernaturali, et mediis ad eum assequendum simpliciter et absolute necessariis. Quocirca præsens Disputatio sicut et ceteræ tribus Articulis constabit; quorum *Primus* concessam Angelis ab eorum initio gratiam, et illius usum aperiet. *Secundus* sanctorum Angelorum erga Deum, et homi-

nes obsequium refert. *Tertius* denique perduellium Angelorum demeritum, et peccatum indicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE GRATIA ANGELIS CONCESSA.

Summa Dei rerum omnium Opificis providentia tria maxime in creaturis quibuslibet finxit, et distinxit, videlicet, Naturam, Finem, et Inclinationem: *Naturam* qua constant; *Finem* in quem tendunt, ut in ejus adeptione quiescant; *Inclinationem* denique per quam in finem propendent, et veluti nativo pondere rapiuntur. Hæc autem tria nedum naturalis, sed et præternaturalis ordo rebus inesse demonstrat. Lapis enim v. gr. naturam habet corpoream ex elementis, maxime terra, et aqua compactam: pro fine, terræ centrum, in quo velut in materno græmio pacifice quiescit, et sibi ingenitum gravitatis pondus, quo veluti inclinatione, aut propensione quanto potest concito motu in terram fertur. Hæc eadem in ordine supernaturali cernere licet, etenim divina, ac beata Dei visio et fruitio finis est, ad quem tendimus: gratia autem sanctificans nos Dei filios adoptivos constituendo in quadam præternaturali entitate, et statu nos instituit: charitas autem, et ceteræ virtutes Theologicæ sunt ipsæ propensiones, et veluti cælestes alæ, quibus in Deum tamquam in nostræ perpetuæ quietis centrum tendimus. Hæc autem tria cum pariter in Angelis reperiantur, ideirco de singulis hoc in Articulo disserendum est sequentibus in Quæstionibus: quarum *Prima* aperiet, in qua beatitudine conditi fuerint Angeli: *Secunda* quam, et qualiter ad illam assequendam gratiam obtinuerint: *Tertia*, quibus meritis, et virtutibus fuerint illustrati, ut illam beatitudinem possent obtinere.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET IN QUA BEATITUDINE CREATI FUERINT ANGELI.

Notandum 1. Duplicem in Angelis distingui posse beatitudinem, *Naturalem* unam, quæ ultima est perfectio, quam angelica natura per ingenitas sibi vires comparare potest suis præstantissimis operationibus, cognitione videlicet, et amore Dei, ut Auctoris naturæ: alteram *Supernaturalem*, quæ est ultima perfectio naturæ angelicæ, excedens omnem ejus facultatem naturalem, quamque nonnisi beneficio divini auxilii eam supernaturaliter elevantis comparare potest: hæc autem rursus duplex est, una viæ, altera patriæ; illa inchoata, hæc consummata; illa, quæ fit per cognitionem fidei, qua Deum obscure et in ænigmate cognoscimus, et per infusum charitatis habitum diligimus; hæc quæ consistit in clara Dei visione, ejusque perfecta fruitione, qua potiuntur animæ beatæ in cælis.

Notandum 2. Ad perfectam, et consummatam beatitudinem supernaturalem tria maxime desiderari: *Primum* est clara Dei visio, dilectio præstantissima, et fruitio perfecta: beatitudo namque consistit in summi boni adeptione et fruitione, quæ fit per cognitionem et amorem. *Secundum* est impotentia peccandi; cum enim peccatum summa sit miseria, consistere nequit cum vera, et perfecta beatitudine. Adde

quod impossibile sit Deum intuitive conspicere, et summe diligere, et non præferre eum aliis omnibus rebus, quæ voluntatem allicere possent, et a Deo avertere. Tantæ enim est excellentiæ summa illa Dei majestas, ut clare visa in sui amorem præstantissimum voluntatem creatam rapiat, idque toto conatu et tanta necessitate, ut ab ejus amore nec diverti nec revocari possit, subindeque nec qui ita afficitur peccare queat. *Tertium* est perpetuitas, ac invariabilitas beatifici status, alioquin vel metus erit, et tristitia, si beati se a tali statu lapsuros intelligant; vel error, si perpetuo mansuros credant; vel anxietas et inquietudo si dubii sint, et nesciant quæ futura sit illius status sors: hæc autem omnia, ut apparet, veræ et perfectæ beatitudini repugnant, adeoque status ille debet esse perpetuus.

Notandum 3. Hac in resolvenda Quæstione, maxime duplicem esse oppositam Auctorum sententiam: sunt enim qui volunt Angelos a suæ creationis exordio perfecta essentiæ divinæ visione, non permanente, sed transeunte fuisse donatos, ita quod saltem per nonnulla temporis instantia omnes Angeli tam boni, quam reprobi, jucundam Dei fruitionem, quæ fit per cognitionem et amorem, habuerint, idque firmare nituntur plurimis S. Augustini sententiis in objectionibus proferendis. *Verum* secunda sententia omnino opposita est omnium fere Theologorum asserentium nullos Angelos creatos fuisse de facto in statu beatitudinis supernaturalis, quamquam nonnulli cum Doctore Subtili censeant, eos ita creari potuisse.

Tria igitur sunt maxime hic resolvenda: *Primum*, quod Angeli omnes creati fuerint in beatitudine naturali. *Secundum*, quod eorum nullus supernaturali beatitudine in primo suæ formationis instanti donatus fuerit. *Tertium*, quod eam tamen supernaturalem beatitudinem ab ipsomet suæ creationis exordio, si Deus ita voluisset, etiam potuisset obtinere.

Conclusio prima. — Angeli omnes creati fuerunt in statu beatitudinis naturalis. Ita omnes Doctores Scholastici cum Subtili in 2. *dist.* 3. *q.* 9. *n.* 8. ubi probat Angelis concessam fuisse speciem divinæ essentiæ repræsentativam, qua distincte Deum cognoscebant. « Bene quidem, inquit, possibile est habere cognitionem distinctam « licet abstractivam; nam abstractiva distinguitur in confusam et di- « stinctam, penes rationem aliam, et aliam cognoscendi: et istam ta- « lem speciem repræsentantem essentiam divinam intellectui angelico, « non videtur inconveniens ponere intellectui Angeli inditam esse a « principio: ita quod licet ipsa non sit naturalis intellectui, hoc modo « quod iste intellectus possit ex naturalibus suis eam acquirere: ne- « que etiam, quod possit eam habere ex actione alicujus objecti agentis « naturaliter, quia non potest eam habere præsentialitate alicujus obje- « cti finiti moventis, nisi essentiæ divinæ tantum, quæ nihil aliud a « se causat naturaliter naturali causatione; tamen sicut perfectiones « datæ Angelo in sua prima creatione, licet non necessario sequantur « naturam ejus, dicerentur naturales, distinguendo contra mere su- « pernaturales, scilicet gratiæ, et gloriæ: ita ista perfectio data intel- « lectui angelico, qua essentia divina esset ei præsens distincte licet « abstractive, potest dici naturalis, et ad cognitionem naturalem An-

« geli pertinere, ita quod quidquid cognoscit Angelus de Deo virtute « hujus speciei, aliquo modo cognoscit naturaliter, et aliquo modo « non naturaliter, in quantum ista non est principium gratuiti actus, « nec gloriosi ; non naturaliter autem, in quantum quod ad istam non « posset attingere de naturalibus, neque aliqua actione naturali ». Quibus Doctor aperte docet datam fuisse Angelo speciem abstractive repræsentantem Deum, non tantum confuse, sed etiam distincte, et quæ esset naturalis simul, et supernaturalis : *naturalis* inquam, quatenus naturale dicitur illud omne, quod non est ordinis gratiæ, aut gloriæ : *supernaturalis* vero, quia a solo Deo infunderetur, nec eam intellectus angelicus posset acquirere. — Quod autem probabile sit Angelis concessam illam speciem ab initio eorum creationis, probat *primo* quia videtur homini ante lapsum concessa aliqualis notitia Dei distincta, quam habere non potuit absque tali specie : ergo cum Angeli cognitio, et beatitudo naturalis præstantior sit quam hominis, multo magis Angelis videtur illa species concessa. *Probat secundo* ex eo quod S. Augustinus concedit in Angelis fuisse cognitionem creaturarum in Verbo, seu matutinam, prius quam ipsis concederetur vespertina, quæ est cognitio rerum in proprio genere : ait enim lib. 4. *Super Genesim* cap. 30: *Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem: cum sublimes et sancti Angeli illud, quod creatura in ipso Creatore noverunt, referunt in ipsius honorem, et amorem, in quo æternas rationes quibus creata est, contemplantur ea, quæ concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus: cui conjungitur Ecclesia ex hac peregrinatione liberata, ut et nos exultemus, et lætemur in eo;* ex quibus infert Doctor, quod cognitio ista in Verbo naturaliter præcessit cognitionem creaturarum in genere proprio. Sed, inquit, tunc erant Angeli in statu innocentiæ, et non beati, quia aliqua morula temporis fuit inter creationem, et lapsum eorum : erat igitur aliqua cognitio Angelorum matutina, scilicet creaturarum in Verbo existentium in naturalibus, aut saltem non beatorum. Hæc autem cognitio, distincta haberi non potuit absque specie impressa : ergo verisimile est illam speciem fuisse Angelis concessam, qua Deum distincte cognoscerent.

Probatur insuper: Angeli tam boni, quam mali, a suæ creationis exordio acceperunt quicquid pertinet ad integritatem propriæ eorum naturæ, necnon et ad naturalem suam perfectionem : ergo fuerunt creati in felicitate naturali. Antecedens patet, quia cum perfecta Dei sint opera, et omnia a se condita numeris omnibus absolverit, non videtur quidpiam angelicæ naturæ omnium præstantissimæ denegasse, quod ad ejus perfectam, et naturalem beatitudinem conduceret. — *Deinde* Angeli ab initio habuerunt cognitionem, et perfectam dilectionem Dei, ut Auctoris naturæ : siquidem perfecta intelligendi, et amandi virtute donati sunt, adeoque potuerunt cognoscere, et diligere objectum super omnia intelligibile et amabile, qualis est Deus : sed in illa duplici operatione intellectus et voluntatis consistit beatitudo ; illa namque est ultima perfectio quam natura angelica per vires ingenitas sibi comparare potest : ergo Angeli in beatitudine naturali a Deo fuerunt conditi.

Dices: Si Angeli fuissent creati in beatitudine naturali, in ea utique permansissent, nam inamissibilitas est de ratione beatitudinis :

sed Angeli perduelles non habent beatitudinem naturalem, maxima namque tristitia, et pœna afficiuntur: ergo non fuerunt creati in beatitudine naturali. Confirmatur: beatitudo naturalis maxime consistit in amore Dei, ut Auctoris naturæ: sed ille amor non permanet in dæmonibus, summo namque odio Deum prosequuntur: ergo non fuerunt beati. — **Respondeo negando majorem**; quamvis enim beatitudo naturalis sit inamissibilis respectu Angeli in puris naturalibus constituti; tamen Angelus elevatus ad ordinem supernaturalem potest per accidens, et indirecte illam amittere, peccando directe contra præcepta supernaturalia. Nec refert, quod S. Dionysius dixerit naturalia in dæmonibus remansisse integra: intelligendus enim est de naturalibus in esse physico consideratis, qualia sunt substantia, potentia, species intelligibiles, et hujusmodi: non vero de naturalibus, quæ habent aliquid moralitatis admixtum, cujusmodi sunt cognitio practica, et rectitudo voluntatis erga ultimum finem; hæc enim, saltem quantum ad aliquid, per peccatum destructa fuerunt in Angelis. Simili modo respondendum est ad confirmationem: quamvis enim dæmones non perseveraverint in illa dilectione Dei, ut Auctoris naturæ, non minus dicendi sunt eam habuisse a suæ formationis exordio, et dum adhuc erant viatores.

Conclusio secunda. — ANGELI NON FUERUNT DE FACTO CREATI IN BEATITUDINE SUPERNATURALI. Hæc est Doctoris dist. 5. qu. 2. n. 3. ubi inquirens utrum Angeli boni de facto beati fuerint in primo instanti, et mali damnati, vel miseri, respondet primo de malis, quod non fuerint beati in primo instanti, idque probat: *Quia tunc*, inquit, *non fuerunt certi de beatitudine sua: sic enim postea non cecidissent: sed si non fuerunt certi de beatitudine, non fuerunt beati. Similiter, sicut dicit S. Augustinus lib. 4. super Genesim*, non prius discernebat Deus bonos a malis quam essent discreti inter se: *non ergo qui mali modo sunt, in primo instanti fuerunt beati, quia fuerunt creati uniformes boni, et mali*, subdit *eadem modo patet de bonis*. Ipsi concinunt S. Thomas, et omnes ejus discipuli.

Probatur itaque Conclusio; primo quidem *de Angelis malis:* Si dæmones fuissent ita beati, et Deum clare vidissent in primo instanti suæ creationis, aut aliquanto post eorum formationem, vel fuissent visione hac privati propter superveniens peccatum, vel ex mero Dei beneplacito, qui seipsum clare videndum eis se præbuerit aliquantulum, postmodum vero sua se voluntate occultaverit: sed neutrum dici potest. Non quidem primum; quia ut diximus in secundo notabili, clara Dei visio peccatum omne excludit: non etiam secundum, *dona* enim *Dei sunt sine pœnitentia*, inquit Apostolus Rom. 11. adeoque sua beneficia a creaturis non removet, nisi ad id per eorum ingratitudinem moveatur. Deinde quamvis concessa fuisset Angelis illa Dei clara visio primo instanti suæ creationis, non propterea dæmones dicendi fuissent beati defectu impeccabilitatis, et permanentiæ in eo felici statu: securitas enim, et innocentia, saltem ex consequenti, desiderantur ad statum beatitudinis. — Idem patet *de bonis Angelis*, quod nempe in primo instanti suæ creationis Deum non viderint: tum quia eadem est ratio de bonis, ac de malis, nec aliqua inter eos in ipsa

creatione fuit discretio; sed tantum dum erant in via, siquidem, inquit Doctor supra laudatus *n.* 14., omnes Angeli fuerunt uniformes in sua creatione, boni autem a malis discreti fuerunt in via: unde concludit, quod in via fuerunt tres morulæ: prima in qua fuerunt uniformes in gratia, (si volumus dicere, quod mali habuerunt gratiam) vel uniformes saltem in natura; secunda mora, in qua adhuc in via existentes fuerunt deformes, ita scilicet quod isti ultimate meruerunt, et isti ultimate demeruerunt. Tertia mora fuit distinctio finalis unius ab alio necessario.

Probatur autem Conclusio *simul de bonis, ac malis:* Si Angeli in primo suæ creationis instanti Deum clare vidissent, nec postmodum aliqui libere stetissent malis cadentibus; nec facultatem habuissent merendi, vel demerendi: sed hoc est absurdum: ergo et id unde sequitur. *Major* constat; clara enim Dei visio reddit videntem impeccabilem, saltem ab extrinseco, tantæque est efficacitatis propter summam objecti bonitatem, atque pulchritudinem, ut videntem necessario in sui notitiam, et dilectionem alliciat, ideoque si Angeli a primo instanti suæ creationis Deum clare vidissent, non fuissent deinceps liberi ad merendum, vel demerendum. — Probatur itaque *minor* a SS. Patribus affirmantibus Angelos omnes habuisse libertatem adhærendi Deo, vel se ab illo avertendi, et sanctos libere stetisse in amore Dei, malis ab eo cadentibus. Ita imprimis docet sanctus Augustinus, lib. *De Correptione, et gratia* cap. 10. dicens: *Deum sic ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset Dei beneficium.* Quibus verbis sanctus Augustinus Angelos omnes facit æquales, non solum inter se, sed etiam cum primo homine; ac proinde sicut homo, et Angeli qui ceciderunt fuerunt sine Dei visione creati, ita de ceteris Angelis sanctis dicendum est. Unde subdit de illis sanctis Angelis: *Per liberum arbitrium* (utique gratia adjutum) *in veritate steterunt, eamque de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt.* — Subscribit S. Damascenus lib. 2. cap. 3., necnon S. Gregor. homil. 7. in *Ezechiel.* ubi ait: *natura angelica quando creata est, liberum accepit utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei conspectu manere; an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet: sed quia, cadentibus aliis, sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent.* Nec refert, quod ingerat verbum *perstiterunt in beatitudine:* non enim vult sanctos Angelos prius habuisse consummatam beatitudinem, sed tantum inchoatam, seu non in re, sed in spe. Vel quia persistentes in beatitudine, et dilectione naturali Dei, supernaturalem obtinuerunt, utramque vero dæmones amiserant. — Hanc autem veritatem omnium optime explicat S. Prosper lib. 1. *De Vita Contemplativa* cap. 3. *Voluntatis*, inquit, *sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt: et divino, justoque judicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque necessitas. Et ideo quia nec peccaverunt umquam, nec peccare jam possunt, illius contemplativæ vitæ semel facti participes, inexplicabiliter Auctorem beatitudinis suæ conspiciunt: ac merito suæ stabilitatis in æternum felices effecti de sua mansione securi sunt.*

Dices 1: Sancti Patres constanter affirmant Angelos omnes beatos fuisse ab initio: ergo revera ita censendum est. Probatur antecedens ex S. Augustino pluribi, maxime lib. 4. *De Genesi ad litteram* cap. 24. ubi asserit omnes Angelos fuisse creatos cum cognitione matutina: sed hæc est beatifica: ✻ ·· ergo *hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur; nam si suum casum futurum noscerent æternumque supplicium, beati utique esse non possent, quos hujus tanti mali metus, jam tunc miseros esse compelleret.* Statim vero adjicit: *Sic et hominem fecit cum libero arbitrio: et quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia et non mori, et non miseram fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis et infelicitatis experimento acciperet illam, merito hujus permansionis, perseverantiæ beatitudinis plenitudinem, qua et Angeli sancti sunt beati . . . Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus fuisset meritum, si permanere voluisset, sicut fecerunt sancti Angeli, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus mansionis debitam mercedem accipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Ubi vides ipsum non aliam Angelis in sua creatione tribuere beatitudinem, quam quæ homini in suæ formationis exordio concessa est, nimirum status gratiæ sanctificantis cum libertate in eo perseverandi, idque sine ulla commotione et perturbatione, sed cum summa interna ac externa concordia et motuum animi ac corporis tranquillitate. Ne vero quis existimaret facultatem in eo felici statu perseverandi in solius arbitrii liberi usu S. Augustinum constituisse, illico adjicit: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* ·· ✻ Ibidem ait eos fuisse beatos ea beatitudine, quam nos speramus: sed hæc supernaturalis est: quod utique confirmat lib. 12. *Confess.* cap. 9. ubi exponens illa verba: *In principio Deus creavit cælum*, interpretatur de cælo intellectuali, idest, angelica natura, quam dicit, *esse factam participem æternitatis, et inhærentem Deo, ex quo facta est, et ex dulcedine felicissimæ contemplationis supra omnem mutabilitatem, et volubilem vicissitudinem temporum fuisse.* — Insuper aperte docet lib. *De Ecclesiasticis dogmatibus* cap. 9. Angelos sanctos in ea, in qua creati sunt beatitudine perseverare. — *Tertio* denique lib. 11. *De Civitate Dei* c. 9. ait bonos Angelos numquam esse peregrinatos a Domino, *Magna pars est*, inquit, *et eo beatior quo numquam peregrinata.* Peregrinari autem a Domino idem est, ac per fidem ambulare, juxta illud S. Pauli 2. Ad Corinth. 2. *Dum sumus in corpore peregrinamur a Domino.* Cui subscribit S. Bernardus serm. 13. et 17. super Cantica, ubi dicit diabolum ante suum lapsum vidisse Verbum, et res in Verbo, asserit enim sermone 17: *Potuit autem contingere, si tamen incredibile non putetur, plenum sapientia, et perfectum decore, homines præscire potuisse futuros etiam, et profecturos in parem gloriam: sed si præscivit,*

in Dei Verbo absque dubio vidit, et suo livore invidit. — **Nego antecedens,** et ad primam auctoritatem respondeo S. Augustinum per *matutinam cognitionem* quandoque intelligere beatam visionem, quandoque vero cognitionem supernaturalem, et fidei, quæ cum cognitione naturali comparata dici potest matutina, licet obscura. Vel dico eum interdum usurpare cognitionem matutinam pro illa cognitione abstractiva Dei, quam habuerunt Angeli per speciem sibi divinitus impressam, et statim ab exordio suæ creationis, ut supra docebamus cum Doctore dist. 3. q. 9. n. 9. Ubi dicit Angelum habuisse ab initio speciem intelligibilem distincte repræsentantem essentiam divinam per cognitionem abstractivam ipsius Dei, quæ cognitio erat matutina, « quia secundum S. Augustinum 4. super Genes. c. 23. dies illi « sex non erant in successione temporis, sed in cognitione angelica « creaturarum ordinem naturalem habentium: ita quod prius naturaliter novit Angelus creaturam in Verbo, secundo in genere proprio, « et non ibi stando rediit in Verbum laudans ipsum ex opere suo: et « in illo iterum vidit rationem sequentis creaturæ naturaliter. Ita quod « quando dixit Deus *fiat lux*, vidit Angelus se in Verbo æterno: cum « facta est lux, et cum factum est vespere, vidit se in genere proprio: et cum factum est vespere, et mane dies unus, ex se exsurrexit in laudem Dei, in quo vidit secundam creaturam: ita quod « ista visio erat terminus præcedentis diei, in quantum ex cognitione « creaturæ primæ in Verbo, surrexit in cognitionem Verbi, imo requies omnium creaturarum in primo Artifice, et Opifice. Ita distinguit S. Augustinus singulos dies usque ad diem septimum, cujus « erat mane ultimæ creaturæ in Verbo, et non sequebatur vespere, « et erat principium sequentis diei in quantum vidit illam creaturam « in genere proprio. — *Nec refert,* inquit Doctor *ibidem,* quod illam cognitionem rerum in Verbo S. Aug. c. 22. *ejusdem libri*, beatificam « appellaverit; potest enim probari ex ejus dictis, quod hæc cognitio, « quæ vocatur communissime cognitio matutina, sit naturalis, et non « præcise beatifica: quia secundum sanctum Augustinum, iste ordo « erat in cognitione angelica creaturæ post creaturam, quod prius « naturaliter præcessit cognitio angelica creaturarum in Verbo, cognitionem earum in genere proprio: factis autem creaturis in genere proprio, statim potuit Angelus cognitionem earum habere in « genere proprio: igitur omnes istæ cognitiones in Verbo præcesserunt « naturaliter cognitionem creaturarum in genere proprio: omnes igitur, secundum eum, erant simul productæ: igitur cognitio ista in « Verbo naturaliter præcessit productionem earum in genere proprio. « Sed tunc erant Angeli in statu innocentiæ, et non beati, quia aliqua morula fuit inter creationem, et lapsum eorum: erat igitur aliqua cognitio Angelorum matutina, scilicet creaturarum in Verbo existentium in naturalibus, aut saltem non beatorum: et ita videtur, « quod oporteat dare distinctam cognitionem Angeli stantis in cognitione naturali, vel in gratia, quia alias in ipsa causa præcise cognita non posset prius cognoscere creaturas, et effectus ordinatos, « quam in genere proprio. Nam ratio cognoscendi rem confuse non « est ratio cognoscendi eam distincte, et effectus ordinatos ». Hæc Doctor. — *Ad testimonia* ejusdem S. August. secundo loco inducta,

respondeo ipsum non loqui de beatitudine illa perfectissima, et consummata qua nunc fruuntur Angeli, sed tantum de beatitudine generali, et inchoata, quæ in cognitione et amore charitatis Dei consistit, maxime quando adjunctam habet innocentiam, et potestatem, ac facilitatem carendi omni malo si quis velit: qualiter sese explicat S. Augustinus *lib. De Correptione et gratia* c. 10. ubi postquam sanctos de suo statu securos esse dixit, ita loquitur: *Diabolus vero, et Angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent, etsi in miseriam casuros esse nesciebant: erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipsius permansionis acciperent: idest, ut magna per spiritum sanctum abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent. — Ad tertium* vero caput auctoritatis, dico S. Augustinum intelligendum esse, non de peregrinatione viæ simpliciter, quæ fit per fidem, sed de peregrinatione peccati, de qua loquitur S. Petrus Epistola 1. c. 4. *Nolite peregrinari in ferrore, qui in tentationem vobis sit.* Vel dico, quod velit Angelos non fuisse peregrinantes, aut quia brevissimo tempore post suam creationem comparaverunt suam beatitudinem: sicque modico tempore ambularunt per fidem, parum autem pro nihilo reputatur: aut quia ipsi semper fuerunt in cælo empyreo, a quo nos elongati sumus: aut quia per peccatum numquam a Deo recesserunt: aut denique quia nullam habuerunt miseriam sicut homines. — Ad sanctum vero Bernardum, *respondeo* ipsum non assertive, sed dubitative locutum, ait namque *si tamen incredibile non putetur*, quæ verba eum hac in re dubium hæsisse denotant.

Dices 2: Scriptura sacra aperte significat supremum saltem Angelum donatum fuisse beatitudine cælesti: nam Ezechiel 28. sic primum Angelum prævaricatorem in persona Regis Tyriorum alloquitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti:* deliciæ autem paradisi sunt amor beatificus, et gaudium de divina visione: ergo primus Angelus dum esset viator, cælesti beatitudine potitus est.—**Nego majorem**; per delicias namque paradisi, quibus dicitur aliquando fruitus Lucifer, non intelligitur ipsa clara, et intuitiva visio divinæ essentiæ, sed Dei amor per charitatem, et cognitio per fidem, necnon et omnia gratiarum charismata, quibus cum aliis Angelis in suæ creationis exordio illustratus fuerat Lucifer, et quæ per peccatum perdidit: vel intelliguntur interiores quædam deliciæ, nempe habitatio cæli empyrei, quod locus amœnissimus est, et paradisus plenus deliciis, in quo Lucifer cum aliis Angelis conditus est, et a quo per peccatum fuit dejectus.

Dices 3: Si Angeli omnes a suæ creationis exordio non fuerint cælesti beatitudine donati, maxime quia prius esse debuerunt liberi, ut possent eam promereri: sed hæc ratio non officit, siquidem Christus Dominus licet in primo instanti suæ conceptionis secundum animam beatus fuerit, non minus mereri potuit, igitur status beatitudinis merito non officit. — **Distinguo minorem**, meritum subsistere potest cum statu beatitudinis, quando non habet annexum periculum peccandi, concedo: quando habet, nego: Christus autem non meruit cum peccandi periculo, et libertate ad peccatum, quæ summe repu-

gnat visioni beatificæ, quæque fuit in eo ab initio creationis ejus animæ : sed tantum Christus meruit, vel cum libertate ad actuum multiplicationem, quorum nullus determinate erat necessarius ad implendum sibi præscriptum præceptum, quod tamen per singulos actus implebatur : vel cum libertate ad obtinendam a Patre dispensationem præcepti si voluisset ; vel denique cum libertate ad varias circumstantias, et diversa motiva, quæ non præcipiebantur cum actibus sibi præscriptis. Adde quod Angeli non sint hac in parte comparandi cum Christo Domino, sed potius cum hominibus : ita ut quemadmodum homines prius fuerunt viatores quam comprehensores, et adulti prius ordinati, ut per propriam cooperationem liberam, beatitudinem possent promereri, nempe claram Dei visionem per actus fidei, comprehensionem per actus spei, et per charitatem viæ ad charitatem patriæ tendere : sic etiam Angeli ita fuerunt ordinati ; adeoque non videtur ipsis ab initio concessa beatitudo : ordo namque congruus exigebat, ut saltem per aliquod instans prius fuerint sub gratia, et capacitate merendi, quam meriti præmium acceperint.

Conclusio tertia. — Angeli creari potuerunt in statu beatitudinis, si Deus ita ordinasset. Hæc est Doctoris, *dist.* 5. *q. u.* 5., ubi ait : « Dico, quod Boni potuerunt in primo instanti esse « beati. Cujus ratio est ista, quia beatitudo non potest inesse alicui « creaturæ capaci beatitudinis nisi a Deo : ergo pro quocumque in- « stanti est beatitudo possibilis dari a Deo, et inesse creaturæ capaci « illius, pro illo instanti est simpliciter possibilis : sed pro quocumque « instanti Deus potuit illam dare, ita bene in primo sicut in secundo, « vel in tertio instanti : et Angelus bonus pro quocumque instanti « fuit capax, quia per naturam est imago Dei, qua est capax Dei, et « illam plenam habuit naturam, et perfectam in naturalibus ; qua- « re, etc. ». Quibus verbis Doctor aperte affirmat Angelos potuisse in primo instanti suæ formationis revera esse beatos ; idque, vel absque sua cooperatione, quemadmodum sanctissima Christi Domini anima, quæ independenter a sua cooperatione, et ullo liberi arbitrii actu, sed ex solo Dei beneplacito statim ac formata fuit, beatitudinem, claramque ac intuitivam Dei visionem obtinuit ; vel ita ut eam beatitudinem sibi a Deo oblatam cum libera suæ voluntatis acceptatione illam acceperint, solo naturæ ordine servato inter hunc actum, et beatitudinem ; qualiter servatur inter contritionem, et gratiam, vi ejus tamquam ultimæ dispositionis infusam : an autem eam quoque in primo instanti mereri potuerint, dicetur infra. Nec quantum ad prædicta ulla videtur esse discutienda difficultas. — Subdit Doctor, quod etiam Angeli potuerint in primo suæ creationis instanti esse miseri miseria pœnæ, quæ non supponit culpam ; *Quia*, inquit, *non videtur contradictio, quod in primo instanti pœna aliqua angelicæ naturæ infuisset : subindeque potuit etiam immediate a Deo dari pro primo illo instanti sicut et beatitudo :* nulla, inquam, quantum ad hoc assignari potest contradictio, vel repugnantia ; etenim si quæ esset, maxime vel physica, vel moralis. At *non physica*, quia omnis oppositio physica, quæ esset in primo instanti inter Angelum, et pœnam, esse pariter deberet in sequentibus instantibus : sed nulla fuit talis oppositio in sequentibus

instantibus, quippe cum plures Angeli fuerint pœnis æternis addicti. *Non etiam moralis*, quia si aliqua, maxime quia dedeceret Deum punire absque culpa tam gravi, puta pœna quam de facto patiuntur damnati, quippe hoc summe repugnare videtur bonitati divinæ; sed ex hoc capite non repugnaret, quia cum Deus sit Dominus vitæ, et mortis creaturæ, potest pro libito ipsius statum immutare. Quod confirmat Doctor auctoritate sancti Augustini 3. *De lib. arb.* dicentis: *Si Deus ab initio fecisset hominem in pœna, non esset propter hoc vituperandus Deus nec injustus:* ergo nec dedeceret idem de Angelo constituere. Adeoque nulla apparet repugnantia, cur Deus creaturam aliquam non posset citra culpam pœnis addicere, ut fusius demonstrabimus agendo de statu naturæ puræ in quo Deus hominem creare posset, et pœnis addicere, ubi pariter solventur et quæ hanc adversus veritatem possent objici.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUALEM GRATIAM HABUERINT ANGELI.

Notandum 1. Nomine *gratiæ* nos hic intelligere, non solum donum seu beneficium divinum ex vi solius creationis aut naturæ rei non debitum; sed qualitatem illam supernaturalis ordinis qua rationalis creatura rectificatur, completur, et elevatur ut possit aliquem actum supernaturalem Deo gratum producere, vel in supernaturali statu constitui, etenim, inquit Seraphicus Doctor in 2. *dist.* 4. *q.* 2. *ad tertium*. « gratiæ nomen tripliciter usurpatur: *uno enim modo* gratia dicitur com- « muniter, prout comprehendit quidquid naturalibus est superadditum; « naturalibus, inquam, quæ sunt de essentiali rei constitutione, sicut « dicitur ex gratia habere bonum ingenium, bene legere, bene cantare « et alia huiusmodi. *Alio modo* dicitur quod superadditum est libero « arbitrio ad rectitudinem faciens, et disponens: sic virtutes naturales, « sicut innocentia, humilitas, et pietas dici possunt gratia. *Tertio modo*, « quod est superadditum tamquam rectificans, et complens, et elevans, « et hæc dicitur gratia gratum faciens, quia hominem facit acceptum « Deo, quia ipsi conformem efficit. » De gratia autem hac in posteriori acceptione sermo est in præsentiarum.

Notandum 2. Gratiam Angelis multipliciter, maxime vero quatuor modis, videri necessariam: *Primo*, quidem *gratia prædestinationis* opus fuit eis, cum enim beatitudo supernaturalis æque Angelis ac hominibus sit naturaliter indebita, gratiæ beneficium fuit, et donum naturæ non debitum, quod Deus ex beneplacito Angelos ad finem supernaturalem ordinaverit; nec eos in statu naturæ puræ deseruerit. Hinc Conc. Viennense in Clementina *Ad nostrum*, *De hæreticis*, merito definivit naturam intellectualem (idest Angelos æque ac homines) non esse naturaliter beatam: et censura Pii V. et Gregorii III. contra Michaëlem Bajum, statuitur hominem adhuc integrum, et Angelos debuisse elevari per dona supernaturalia, ut mererentur vitam æternam. — *Secundo*, opus habuerunt *gratia præveniente atque concomitante*, siquidem Deus Angelos prædestinavit ad beatitudinem consequendam per media convenientia, idest, per proprios actus liberos, et morales: media autem convenientia debent esse fini proportionata: subindeque cum

beatitudo sit ordinis supernaturalis, ut ad eam possent Angeli sese disponere, necessaria fuit eis gratia prævenieus, seu auxilium speciale illuminationis, et piæ motionis, quo Deus intellectum et voluntatem prævenit ad ejusmodi actus liberos conversionis actualis in Deum exercendos: tum etiam gratia concomitans, et physice cooperans in ipso exercitio actus liberi supernaturalis consensus vocationem, ut docet S. Augustinus lib. 12. *De Civitate Dei* c. 9. affirmans gratiam excitantem, et cooperantem fuisse sanctis Angelis necessariam ut Deo amore casto adhærerent. — *Tertio*, ut essent sancti, et justi opus habuerunt *gratia sanctificante*, seu habituali quæ infert specialem inhabitationem Spiritus sancti: *Sanctificatio* enim, inquit S. Basilius lib. *De Spiritu sancto* cap. 16., *non est absque Spiritu: nec cœlorum virtutes suapte naturâ sanctæ sunt;* et S. Augustinus supra laudatus docet de Angelis æque ac de hominibus intelligendum esse illud Pauli ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* — *Quarto* denique Angeli boni, ut malis cadentibus, starent in gratia, et ut sollicitantibus ad perduellionem resisterent, *gratia perseverantiæ* opus habuerunt, ut docet S. Fulgentius libro *De Fide* cap. 3. et lib. 2. ad Thrasimundum cap. 3. dicit eamdem gratiam operari in homine ut resurgat, quæ in Angelo operata est ne caderet, quod etiam docet Beda in Psalmum 32. exponens illud: *Verbo Domini cœli firmati sunt, etc.* ubi ait, quod *Cœlestes exercitus Cherubim ac Seraphim, prævaricante Diabolo, perstiterunt, non ex se, sed ex Domino Patre, et Verbo ejus habuerunt: et non pars virtutis, sed omnis virtus eorum est spiritu oris ejus.* Hic autem tantum sermo est de gratia habituali, et sanctificante, an videlicet Angeli eam habuerint in primo instanti creationis.

Notandum 3. Circa præsentis difficultatis resolutionem duas maxime esse auctorum Sententias. « Fuerunt enim aliqui, ait Seraphicus Doctor « *loco supra laudato*, dicentes, quod Angeli omnes creati sunt in gratuitis « gratum facientibus, et ratio quæ movit eos fuit hæc, ex parte Dei « nempe perfecta liberalitas, et ex parte creaturæ idoneitas: quia enim « ab instanti creationis erant vasa, et receptacula munda, et Deus est « promptus suam gratiam impertiri, nisi habeat obstaculum ex parte « suscipientis, non dimisit Deus illa ad momentum vacua; sed statim « ut condidit, gratia illustravit, et talia debuerant de manu Dei exire « receptacula, ut statim essent prompta in bonum usum. Unde sicut « probabiliter conjiciunt aliqui, quod Deus fecerit arbores plenas fru- « ctibus, et alia in statu nobilissimo et perfectissimo: sic etiam na- « turam Angeli ornaverit gratia a sui conditione, quæ in primo usu « bono sine victoria erat perpetuanda, et in prima deordinatione per- « petualiter amittenda ». Hæc est una positio, et satis videtur consona SS. Patrum auctoritatibus. Hanc autem sententiam docet S. Thomas quæst. 2. art. 3. — « Fuerunt etiam alii, qui dixerunt Angelos non « habuisse gratiam gratum facientem ab instanti creationis, sed post: « et ratio quæ eos movit est dispositio angelicæ naturæ, quæ fertur « in id quod appetit sine retardatione. Unde sicut ex conversione ad « malum ita profunde conversi sunt, ut non possent redire; sic, imo « multo magis ex conversione ad bonum, sive ex habilitate, ita bono « totaliter adhæsissent, si gratiam habuissent, quod numquam lapsi es-

« sent. Unde non videtur aliquo modo probabile, quod Lucifer habuerit « gratiam, et si ipse non habuit cum inter cæteros esset excelsus, a « majori arguitur, nec alios habuisse a sui origine. Hanc positionem « videtur acceptare Magister, eamque communiter tenent Doctores et « ita huic tamquam probabiliori et communiori concordant. » Ita Seraphicus Doctor; ita pariter docent Hugo a S. Victore lib. 1. *De Sacram.* par. 5. c. 29. Henric. Gand. 4. quæst. 10. — Quibus constat eum hac in re omnino esse probabilem, nec alterutram sententiam aperte docere. Talis pariter fuit Subtilis Doctor, qui utramque sententiam probabilem existimat, dist. 5. q. 1. ubi asserit tantum omnes Angelos aliquando fuisse in gratia : an vero creati fuerint in gratia sanctificante, vel in puris naturalibus, ita ut postmodum ipsis gratia sanctificans collata fuerit, non determinat : sed dicit num. 7. tantum, quod ponere Angelos creatos fuisse in puris naturalibus, necesse est tunc ponere quatuor moras, ita quod omnes in prima mora fuerunt in puris naturalibus; in secunda omnes in gratia, et meruerunt boni, et mali demeruerunt : in tertia boni perseveraverunt in bono, et mali in malo; in quarta et isti, et illi fuerunt in termino : et ista ultima via de quatuor moris salvat plures status in eis, et plures affirmativas auctoritates. Quæ pluralitas morarum si non placeat, quia non habet necessitatem evidentem, saltem tres moras probabile est ponere, in quarum prima, inquit num. 6., omnes creati sint in gratia, et sint uniformes; in secunda fuerunt diformes, scilicet boni meruerunt, et mali demeruerunt; in tertia omnes fuerunt in termino, scilicet boni in beatitudine, et mali in pœna. Ita Doctor. His præmissis, quatuor maxime hic sunt resolvenda : *primum*, quod omnes Angeli sive boni, sive mali habuerunt aliquando gratiam sanctificantem : *Secundum*, quod probabilius sit eos in gratia sanctificante creatos fuisse : *Tertium*, quod qui præstantioris sunt naturæ uberiorem gratiam acceperint.

Conclusio prima. — CERTUM EST OMNES ANGELOS ALIQUANDO EXPERTES FUISSE OMNIS CULPÆ, ET IN STATU GRATIÆ SANCTIFICANTIS EXTITISSE. Hæc modo communis est apud Theologos, et

Probatur primo : si aliqui Angelorum gratiam sanctificantem aliquando non habuerunt, maxime Lucifer cum suis perduellibus Asseclis : sed ita non est : ergo, etc. *Major* constat, cum enim boni Angeli non fuerint creati in statu beatitudinis supernaturalis, ut supra probatum est, sed eam suis meritis obtinuerint, ut constabit infra, haud dubium est eos aliquandiu stetisse in gratia habituali, et sanctificante, quo in statu possent illam beatitudinem promereri. Probatur *minor* ex Scriptura sacra : *Primo* quidem ex illo Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? etc.* ubi licet ad litteram sermo sit de Nabuchodonosor Rege Babylonis, tamen in sensu mystico de Lucifero principe perduellium Angelorum intelligunt, non solum *Origenes* lib. periarchon cap. 2. et *Tertullianus* lib. 5. adversus Marcionem cap. 17., sed etiam *Athanasius* lib. *De Passione Christi : Hieronymus* in cap. 14. Isaiæ, *Ambros.* in Psal. 118. octon. et *August.* lib. 3. *De Doctr. Christ.* cap. 37. Licet etiam hæc verba innuant Luciferi lapsum e cælo, in quo cum cæteris Angelis creatus fuit, nihilominus tam gravis interrogatio, et admiratio videtur significare casum

non tantum a cælo materiali, sed ex eminenti quadam dignitate, et excellentia, non quidem naturali, quam non amisit, sed supernaturali, et gratiæ, qua per peccatum spoliatus est. — *Probatur secundo eadem minor*, ex illo Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis sapientia, et perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum... in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Quæ verba licet ad litteram dicta sint de Rege Tyri, tamen de dæmone Angelorum rebellium principe intelliguntur passim a sanctis Patribus, Ambros. lib. *De Paradiso* cap. 2., Hieron. in hunc locum Ezechielis, August. lib. 11. *De Genesi ad litt.* cap. 25., Cyrillo lib. 3. in Joannem cap. 29. et recentioribus Interpretibus, qui communiter ponderant primo verba illa, *tu signaculum similitudinis Dei*, scilicet cum singulari excellentia. Unde Gregorius lib. 32. *Moral.* cap. 18. *Quid doni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit?* Secundo per verba illa, *in medio lapidum ignitorum*, intelligunt sanctos Angelos charitate flagrantes et ignitos, ut sanctus Augustinus lib. 11. *De Civit.* c. 15. Atque adeo Luciferum in medio eorum positum instar Regis stipati Aulicis, quando inter eos ambulat eodem igne flagrare. Tertio verba illa, *plenus sapientia, et perfectus decore, et perfectus in viis tuis, donec inventa est iniquitas in te*, probabiliter significant perfectionem, et justitiam supernaturalem, a qua dæmon excidit, naturalia enim dona non solent in Scriptura tantopere exaggerari. — *Probatur tertio eadem minor*, ex illo Judæ cap. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicio magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Quamquam enim nonnulli recentiores Interpretes hunc textum explicent de principibus in terra promissionis dominantibus, quos dicunt fuisse reservatos in æternum judicium, eo quod non servaverint sibi creditum principatum, a Deo concessam regiam dignitatem; nihilominus communior et verior interpretatio est de dæmonibus, quos constat privatos fuisse principatu, non quidem naturali, neque scientiis, et similibus donis naturalibus, secundum quæ est naturalis subordinatio inter malos Angelos. Neque etiam fuerunt Cælo exclusi, et privati jure incolarum cælestis domicilii, nisi propter peccatum, et amissionem gratiæ supernaturalis, cui hæreditario jure debetur gloria.

Hæc eadem veritas probatur ex sanctis Patribus, quorum plurimi affirmant Angelos aliquando habuisse gratiam, quam dæmones per peccatum perdiderunt. Ita S. Cyprianus lib. *De zelo, et livore in initio*, ubi affirmat *dæmonem aliquando fuisse Deo acceptum, et charum:* et Basilius Epistola 141. in qua de Spiritu sancto disputans, non ejusdem illum esse cum Angelis naturæ, conditionisque sic ostendit: *At neque mutabilem illius substantiam unquam audebis dicere, si ad naturam contrariæ Virtutis respicias, quæ sicut fulgur cecidit de Cælo, atque a vera vita excidit, propterea quod adventitiam virtutem habuit, et malam vitam consecuta mutatio est. Itaque cum ab unitate recessisset, et angelicam dignitatem abjecisset*, diabolus *a moribus appellatus est: postquam prior ille, ac beatus habitus extinctus est, et huic opposita vis accensa.* Idem docet S. Hieronymus in illud Oseæ 3.: *Et di-*

ligunt vinacia uvarum, ubi addit: *Quæ vina non habent, et pristinam gratiam perdiderunt, sicut dæmones, qui lapsi de propria dignitate, et antiquæ gratiæ possidentes aridi sunt.* Sed omnium optime S. Augustinus, qui licet in aliquot locis dubius videatur, alibi tamen id affirmat, ut lib. 12. *De Civit.* cap. 9. circa medium, ubi ait Deum creasse Angelos, simul in eis condendo naturam, et largiendo gratiam. *Unde*, inquit, *sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est, illi autem qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi quando a bono sponte defecit: et mali causæ non sit bonum, sed defectus a bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Favet etiam Concilium Braccharense primum Canone 7. cujus verba hæc sunt: *Si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelum bonum a Deo factum, anathema sit.*

Dices: Qui nusquam habuit charitatem, nec gratiam habuisse dicendus est, *Omnis enim*, inquit S. Joannes epistola prima cap. 3., *qui non diligit, manet in morte:* sed dæmones nusquam charitatem habuerunt. — *Probatur primo,* ex Joanne Papa in epistola ad Isaac Syracusanum, ubi de dæmone ait: *Dolet satis, et erubescit charitatem, quam in cælo habere nequivit, homines constantes ex lutea natura tenere in terris:* sed homines tenent in terris charitatem qua justificantur apud Deum: ergo dæmones illam in cælis habere nequiverunt. — *Deinde* S. Gregorius lib. 32. *Moral.* cap. 23. expendens illud Ezechielis c. 28. *Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt:* per *aurum*, sapientiam dæmonis intelligit: per *foramina* vero capacitatem charitatis, *qua*, inquit, *si repleri voluisset, stantibus Angelis tamquam positis in Regis ornamento lapidibus, inhærere potuisset.* Unde concludit: *Habuit ergo foramina, sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta.* Quam utique sententiam sequitur Rupertus lib. 1. *De operibus Trinitatis c.* 28. ubi de dæmone ait: *Durum est hic asserere illum non fuisse perfectum, durius autem affirmare illum habuisse unquam in se Creatoris dilectionem sine qua nulla est perfectio virtutum. Nam et si Propheta prædictus dixit:* aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es præparata sunt, *non tamen et hoc dixit, vel nullo modo significat, quod ejusdem foraminibus auri ligaturam recepit: quia videlicet cum sit rationalis creatura, utique ingenium, intellectum, et memoriam habuit, quibus quasi foraminibus, spiritum amoris Dei, quod est aurum optimum, recipere cum debuisset, superbe recusavit.* Quibus constat diabolum non habuisse unquam Creatoris dilectionem, subindeque nec gratiam, quæ aut charitas est, aut charitati indivisim conjuncta. — **Nego minorem**, et ad primam ejus probationem dico cum Glossa canonica, illa verba Joannis Papæ intelligenda esse de perseverantia finali in charitate, quam diabolus habere non potuit: non quod revera non potuerit illam recipere, sed quia jam receptam retinere non voluit, et ideireo maxime dolet, quod illam homines obtineant, et constanter servent. *Vel dico* particulam *nequivit*, significare impotentiam habendi

post lapsum, idest recuperandi charitatem, vel propter suam in malo proposito obfirmationem, vel propter defectum vocationis ad pœnitentiam supernaturalem, sine qua recuperari non potest. Unde etiam in quibusdam exemplaribus, loco verbi præteriti *nequivit*, legitur præsens. *nequit*. Vel denique dico dæmonem dolere, quod nequiverit, non absolute, vel antecedenter, sed consequenter ex inconstantia, et vitio suæ voluntatis, habere perseverantem charitatem, quam videt multos homines lutea licet natura constantes, et longe fragiliores, firmiter tenere. — Ad S. Gregorium, dico ipsum debere intelligi de charitate non simpliciter sed aucta per merita, ut indicat etiam verbum *repleri;* vel etiam de charitate consummata per beatitudinem, et gloriam, ac subinde loquitur de capacitate proxima ad eam charitatem consummatam, quæ capacitas non est per solam naturam, sed per charitatem viatoris. Quod autem ita debeat intelligi inde liquet, quia alias sibi contradiceret. nam. c. 18. ejusdem libri, expendens hæc verba Ezechielis: *In medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti,* illa verba interpretatur de Lucifero, quem testatur conditum fuisse in charitate: *Quia*, inquit, *inter Angelorum choros, charitatis igne succensus, clarus gloria conditionis extitit.* Similiter exponi posset Rupertus: vel dicendum est illum contrariam sententiam secutum fuisse, quæ nunc improbatur a Theologis.

Dices 2: Qui ab initio suæ formationis peccavit, nec pœnituit, gratiam sanctificantem non habuit: sed ita est de dæmone, ut probatur primo ex Joannis 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* Et cap. 8. Christus Judæos sibi adversantes alloquens dicebat: *Vos ex Patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit;* hoc est, non extitit, verbum enim stare, in Scriptura frequentius usurpatur pro esse, vel existere; sic secundæ ad Corinth. 3. *In ore duorum, vel trium stabit omne Verbum,* hoc est *erit:* sequitur ergo, quod diabolus gratiam sanctificantem nusquam habuit. — **Nego minorem**, et ad primum contextum dico illius sensum esse, vel quod diabolus ab initio mundi moraliter, et non mathematice sumpto peccaverit, hoc est paulo post suam formationem: vel quod deinceps pertinaciter, et continuo peccaverit, ex eo quo semel peccare cœpit. Ad posteriorem vero textum, dico revera quidem diabolum ab initio mundi moraliter sumpto esse reum homicidii, quippe non solum Cainum ad Abelis fratricidium impulit, sed etiam ejus invidia mors introivit in orbem terrarum propter peccatum primi Parentis ejus tentatione commissum, quocirca merito Christus Judæis sibi mortem inferre conantibus dixit, illos esse ex Patre diabolo, eo quod diaboli sævitiam imitarentur. Non itaque inde colligitur dæmones gratiam sanctificantem nusquam habuisse, imo contrarium ex posterioribus verbis elicitur; siquidem diabolus dicitur in veritate non stetisse, nam licet verbum *sto* interdum in Scriptura idem significet, ac existo, frequentius tamen stabilitatem, et permanentiam in aliqua re inchoatam, vel in aliquo bono incœpto designat, maxime vero hoc loco. Quod utique confirmatur ex illo Jobi 4. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem:* dicuntur enim dæmones non fuisse stabiles, quia non perseveraverunt in gratia, quam acceperunt: quod

utique significat Christus dicendo diabolum in veritate non stetisse; hic autem *veritas* innocentiam, et sanctitatem significat, quemadmodum et in illo 4. Regum cap. 20. ubi dixit Ezechias, *Memento quod ambulaverim coram te in veritate.*

Conclusio secunda. — PROBABILIUS EST ANGELOS OMNES tian*sanct*PRIMO SUÆ CREATIONIS INSTANTI GRATIAM SANCTIFICANTEM EXCEPISSE. Hæc pariter communior nunc est apud Theologos, et

Probatur *Primo* ex illo Ezechielis 28. ubi de Lucifero sub figura Regis Tyrii dicitur: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Hanc veritatem expresse docet S. August. lib. 12. *De Civitate Dei* c. 9. ubi cum dixisset, ut superiori Conclusione retulimus, *Deum creasse Angelos, simul in eis condendo naturam, et largiendo gratiam:* de bonis Angelis subjungit: *Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, numquam sanctos Angelos fuisse credendum est.* De malis autem: *Isti qui cum boni creati essent, mali sunt, aut minorem acceperunt divini amoris gratiam quam illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* — *Secundo* Basilius in Psalmum 32. *Nihil sanctum est, sine Spiritus sancti præsentia, Angelos namque ex nihilo, et essent, Verbum opifex omnium condidit, sanctificationem vero simul illis impendit Spiritus sanctus: non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati atque perfecti spiritus susceptione digni habiti sunt: sed in ipsa constitutione, et quasi quadam conspersione suæ substantiæ simul infusam habuere sanctitatem.* Quod item de malis Angelis postea docet. — *Tertio* Gregorius libro 27. *Moral.* cap. 23. *Virtutes Angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, hoc in muneris retributionis acceperunt, ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine permaneant, et in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant.*

Probatur ratione: Angeli enim non fuerunt creati in minori perfectione quam primus homo: sed fatentur omnes Theologi Protoparentem in justitia originali fuisse conditum. Primo quia id videtur insinuare Tridentinum sessione 5. ubi dicit: *Adam per peccatum, justitiam, et sanctitatem perdidisse in qua fuerat constitutus.* — *Secundo* quia id aperte docet Anacletus Papa ep. 1. dicens: *Hominem ideo dici conditum ad imaginem Dei, quia in sui creatione gratiam, et cæteras habuit virtutes.* Tertio quia id Scriptura non obscure testatur, dum ait Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum*, rectitudo enim in Scriptura gratiam et sanctitatem significat. — *Denique*, quia filii qui ex Adamo nati fuissent, si ille in statu innocentiæ perseverasset, gratiam quasi congenitam habuissent: ergo et ipse Adam, qui erat ipsorum caput, et exemplar, illam a principio suæ conditionis habuit. — *Deinde*, Deus pronior est ad miserendum quam ad damnandum: sed Angelos creavit eo in statu ut illico possent demereri, adeoque damnari: ergo eos etiam producere debuit in statu in quo poterant mereri, subindeque in statu gratiæ sanctificantis, quæ est meriti principium. — *Denique*, Deus a principio condidit Angelos omnes propter finem supernaturalem, et sub convenientissima providentia ad consequendum illum: sed con-

veniens providentia postulat, ut cuique rei medium necessarium tribuatur ad sibi debitum finem assequendum: ergo cum gratia sanctificans sit maxime necessaria ad beatitudinem promerendam, congruum fuit ut illam Deus Angelis omnibus statim ab initio largiretur. Congruum, inquam, fateor enim ad hanc veritatem suadendam nullam rationem demonstrativam suppeditari posse, cum res de facto ex mera Dei voluntate, et liberalitate pendeat.

Objicies 1. Illud cap. 4. Jobi, nam ubi legimus, quod *Deus in Angelis reperit pravitatem*, in Hæbræo habetur, *in Angelis suis non posuit laudem vel lucem:* sed gratia, et justitia in sacris litteris, appellatur lumen, et lux, juxta illud primæ Petri 2. *Vocavit eos in admirabile lumen suum:* et S. Paulus plerumque justos, filios lucis appellat dicens: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* — Confirmatur ex eo quod S. Augustinus *lib.* 1. *De Genesi ad litt. cap.* 9. dicit: *Angelicam creaturam primo factam fuisse informem, et cœlum dictam: deinde formatam fuisse, et lucem appellatam:* ergo Angelus ab initio gratiam sanctificantem non obtinuit. — Respondeo, quod etsi prætatus textus Jobi interpretetur de laude vel luce; non propterea officiet veritati Conclusionis, siquidem significavit Angelos non habuisse laudem, vel lucem consummatam et perfectam, qualem habent beati Angeli, qui idcirco ab eodem cap. 38. dicuntur *Astra matutina Deum laudantia.* — Ad sanctum autem Augustinum dico, equidem ipsum hac in decernenda veritate pluribi videri ancipitem et dubium; nihilominus, quoniam, ut supra diximus, eamdem veritatem alibi constanter edocet, benigne interpretandus est, ne sibi contrarius appareat. Dico igitur, quod quando affirmat Angelos prius fuisse informes quam formatos, intelligit vel de sola prioritate naturæ, non temporis: vel quod judico probabilius, loquitur de informitate per carentiam visionis beatificæ ac luminis gloriæ, quæ duratione beatitudinem præcessit.

Dices 2: Si omnes Angeli fuissent in gratia sanctificante creati, nullus eorum cadere potuisset: sed falsum consequens: ergo et antecedens. *Minor* constat, dæmones enim lapsi sunt. Probatur autem sequela *majoris:* si in gratia sanctificante creati fuissent, etiam fuissent supernaturaliter ad Deum conversi, non enim solet Deus gratiam sanctificantem conferre personis propria voluntate utentibus, nisi ipsis consentientibus, et volentibus illam habere; adeoque ad Deum conversis: sed si Angeli fuissent semel ad Deum conversi, nunquam ab eo averti potuissent; tum quia Angelorum voluntas vel omnino mutari non potest ab eo quod semel elegit, vel difficillime mutatur, et ideo postulat statim confirmari in sua electione; tum quia si in primo instanti conversi essent in Deum per gratiam, meruissent beatitudinem: ergo in secundo instanti in sui meriti præmium eam accepissent, et sic cadere non potuissent. — Nego majorem, et ad ejus probationem dico, quod quamquam Angeli non ita facile ac homines moveantur ab eo quod semel elegerunt; tamen omnino ex se non sunt in sua electione prorsus immobiles: ideo etiamsi Angelus in prima sua operatione per gratiam sanctificantem conversus fuerit ad Deum, tamen ab illa conversione recedere potuit, quippe cum liber esset, et adhuc in statu viæ, et insuper, quia nova occasio peccandi ipsi occurrit, ut

docet sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 38. ubi de lapsu Angelorum cum dixisset: *Velim dicere eos immobiles ad malum, atque ad bonum diutaxat agitationem habentes; utpote Deum circumstantes, ac primas a Deo illustrationes haurientes;* subdit: *Verum ut non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille a splendore Lucifer, qui propter superbiam caligo effectus est, et nominatur, ac subjectæ illi rebelles Potestates, quæ per boni fugam vitium effecerunt, et nobis contraxerunt.*

Dices 3: Gratia est medium inter naturam, et gloriam: ergo debuerunt Angeli prius creari in statu naturæ puræ, postmodum gratia donari, et deinde beatitudinem promereri. — **Nego consequentiam**, etenim si quid probaret, etiam evinceret primum hominem non fuisse creatum in gratia. *Adde quod* ratio in antecedente posita est parvi momenti, multo enim melius est creaturæ rationali semper in gratia Dei stetisse, quamvis instanti immediate sequenti receptionem gratiæ non sit beatitudinem receptura, quam fuisse aliquamdiu in statu naturæ puræ; status enim naturæ puræ non dicit perfectionem sicut dicit status gratiæ. *Deinde* major Dei potentia, et liberalitas apparet donando simul gratiam cum natura, quam si prius naturam, postmodum gratiam conferret; nullaque apparet ratio cur Deus gratiam Angelis conferre distulisset, maxime cum, ut supra docebat sanctus Basilius, Angeli non fuerint creati infantes, idest non opus habuerint temporis decursu ad sanctificationem et illuminationem recipiendam.

Dices 4: Magis congruum erat gratiam conferre post naturam, siquidem utramque simul conferendo, gratia videretur connaturalis: ergo probabilius est Deum simul utramque non contulisse. — **Nego antecedens**: licet enim gratia simul cum natura Angelis fuerit collata, nullum tamen erat exinde periculum utramque confundendi, maxime cum Angeli nosse potuerint, saltem per fidem, auxilium sibi concessum ex mera Dei liberalitate pendere, et eorum vires naturales prorsus excedere: hæc namque notitia maxime conducebat ad eorum constantiam et humilitatem probandam.

Dices denique: Deus nihil frustra operatur: sed gratia Angelis in primo instanti frustra collata fuisset, quippe cum illa nondum poterant deliberare, nec consequenter poterant operari mediante gratia. *Deinde* gratia fuisset frustranea in dæmonibus, quippe nullum fructum boni operis et meriti ex illa perceperunt. *Tandem* Angelus novisset se creatum in gratia, subindeque se esse Filium Dei, et consequenter tantam dignitatem ita facile noluisset deperdere: ergo probabilius apparet ipsi non fuisse concessam gratiam sanctificantem. — **Nego conseq.** et ad primum argumentum dico, gratiam non fuisse frustraneam in primo instanti, siquidem maxime conducebat ad Angelorum perfectionem, et insuper cum ea poterant deliberare sufficienter, et operari, ut ultima Conclusione probabimus. *Ad secundum* dico quod licet dæmones nullum gratiæ fructum fuerint sortiti, illa tamen non fuit eis frustra concessa; siquidem medium erat ad finem debitum consequendum, conferebatque ad demonstrandam suavem illam rectamque Dei providentiam qui vult omnes salvos fieri, et singula media ad salutem necessaria subministrat. *Ad tertium* dico, quod quamvis Angelus se noverit Filium Dei, et in gratia constitutum, tamen ex

libertate sua potuit illam dignitatem deperdere, agendo nempe contra gratiæ inclinationem, et institutum; siquidem gratia voluntatem non necessitat, sed juxta liberam suam conditionem adjuvat et promovet ad actus supernaturales.

Conclusio tertia. — ANGELIS GRATIAM INÆQUALEM DEUS CONTULIT JUXTA MAJOREM AUT MINOREM PERFECTIONEM NATURALEM EORUM. Hæc est communis apud Theologos, et

Probatur auctoritate sanctorum Patrum: imprimis enim S. Ambrosius lib. 1. *De Spiritu sancto* c. 7. docet Angelis uberiorem gratiam quam hominibus collatam fuisse pro majori ac præstantori suæ conditionis dignitate: *Si putant*, inquit, *non esse spiritalem in Angelis sanctitatem, sed aliam quamdam gratiam suæ proprietate naturæ, hi inferiores profecto Angelos hominibus judicabunt. Cum enim et ipsi fateantur quod Spiritui sancto Angelos conferre non audeant, nec possint negare quod hominibus infundatur Spiritus sanctus, sanctificatio enim Spiritus donum munusque divinum est; invenientur utique homines, qui meliorem sanctificationem habent Angelis præferendi: sed cum Angeli hominibus in adjumentum descendant, intelligendum est, quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritualis, ejusdem tamen et erga nos, et illos munus Auctoris sit.* Quibus verbis S. Ambrosius fatetur, ideirco Angelis uberiorem quam hominibus collatam fuisse gratiam, eo quod sint præstantioris naturæ; cum autem Angeli etiam alii sint aliis in natura præstantiores, eadem ratione sequitur illis uberiorem, pro cujusque naturæ perfectione gratiam fuisse collatam. — Hoc ipsum edocet S. Basilius lib. *De Spiritu sancto* cap. 16. dicens: *Cœlorum virtutes non suapte natura sanctæ sunt, sed juxta proportionem qua se invicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram.* Similem fere sententiam habet Damascenus lib. 2. c. 3. ait enim: *Per Verbum omnes Angeli creati sunt, et per sancti Spiritus sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt: ita tamen ut pro sua quisque dignitate, et classe luminis gratiæque participes sint.* Videnturque suam sumpsisse sententiam ex S. Dionysio lib. *De Cœlesti Hierarchia*, ubi Angelos perfectiores in natura dicit propinquiores esse Deo, tum in officio, tum in splendoribus gloriæ et gratiæ: quod a præceptore Paulo didicisse cap. 6. profitetur, et ita consequenter ib. ait: *Primam Hierarchiam, sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus majori propinquitate conjunctam esse.* Et c. 7. *Merito prima illa cœlestis functio ab altissimis Spiritibus agitur, cum sit ordo omnibus celsior atque sacratior,* atque ad hunc modum de cæteris in sequentibus capitibus philosophatur. — Et quamvis isti Patres expresse non loquantur de primo instanti creationis, tamen, inquit Suarez lib. 5. cap. 10., sine dubio idem cum proportione de illo sentiunt: tum ex parte Dei, quia videtur consentaneum sapientiæ ejus, ut quos meliores in natura condebat, in altioribus sedibus gloriæ collocaret, et consequenter etiam majoribus gratiis præveniret: tum ex parte ipsorum Angelorum, quia quo sunt natura perfectiores eo vehementius, et majori conatu per gratiam operantur, et ad illam se disponunt. Verum hæc assertio difficultate non caret, quæ ut appareat,

Dices 1: Si Angelis Deus gratiam contulisset juxta naturæ perfectionem, sequeretur Luciferum in primo instanti creationis fuisse cæteris Angelis sanctiorem; sed hoc videtur absurdum: ergo, etc. Patet sequela majoris, Lucifer enim omnium Angelorum in naturalibus perfectissimus erat. *Minor* etiam constat, verisimile namque non fit Deum, illum Angelum in sanctitate aliis prætulisse quem sciebat non fore in gloria cum illis collocandum. *Confirmatur*, inferius non potest esse mensura superioris: sed natura est inferior gratia: ergo non potest esse mensura illius collationis. — **Nego minorem**: non enim est inconveniens, quod si Lucifer perfectior fuit omnibus Angelis in natura, etiam eis sanctior extiterit, et abundantiorem habuerit gratiam quam cæteri inferiores Angeli, quippe cum Deus gratiam non conferat juxta præscientiam eventus futuri, sed secundum præsentem dispositionem: nec major gratia majorem semper infert conformitatem ad illam, quod exemplo Judæ fit compertum, plures enim gratias excepit quam plerique sancti; periit tamen ille; hi vero in æternum salvantur. *Ad confirmationem distinguo majorem*: inferius non potest esse superioris regula princeps aut formalis, concedo: occasionalis, aut instrumentalis, nego. *Ad minorem dico*, naturam angelicam esse mensuram gratiæ, et ejus distributionis inter Angelos, non quidem regulam principem, et formalem: primaria enim regula distributionis gratiæ, tam inter Angelos quam inter homines, est ipsa divina voluntas dividens singulis prout vult, ut loquitur Apostolus *primæ ad Corinth.* 12. Nihilominus ipsa angelica natura potest esse regula occasionalis, quatenus nempe Deus ex pura liberalitate distributurus gratiam Angelis, sapienter voluerit eam distribuere juxta proportionem perfectionum naturalium, ut qui præstantiores erant in ordine naturali, etiam et in supernaturali præcellerent.

Dices 2: Deus illam proportionem in distribuendis gratiis juxta naturæ dignitatem, et præstantiam non servat erga homines: ergo nec eam servare debet erga Angelos. Patet antecedens: plures enim homines conspicimus ingenio, et aliis animæ facultatibus cæteris præstantiores, quos tamen Deus nec uberiori gratia donat, nec ad obeunda divina munera seligit, aut evocat; imo, inquit Apostolus, primæ ad Corinth. 1. *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, etc.* Consequentia etiam constat a paritate rationis, quippe cum nulla appareat ratio cur Deus erga Angelos in gratiis distribuendis aliter se gerere debeat, quam erga homines, maxime cum illud beneficium utrique naturæ prorsus sit indebitum. — **Nego consequentiam**; quamquam enim nulla nobis appareat ratio cur Deus ita se gerat erga Angelos potius quam erga homines, non minus res ipsa nobis debet esse constantissima, maxime cum non omnium Dei consiliorum ratio nobis affulgeat. Quemadmodum non minus certum est Deum non apprehendisse Angelos, sed semen Abrahæ, ut cum ipso hypostatice uniretur, licet ejus præferentiæ nulla suppediretur alia ratio quam ipsa divina voluntas, quæ pro suo nutu quam voluit naturam adoptavit: ita etiam placuit homines ad varios gradus gratiæ pro sua voluntate eligere: Angelis vero placuit gratiam distribuere servata proportione ad ingenitam eorum præstantiam, propter scilicet rationes congruitatis in Con-

clusione præmissas; maxime vero id constat propter auctoritatem sanctorum Patrum, idipsum asserentium. Igitur non licet ab hominibus ad Angelos, aut e converso argumentari: et fortasse voluit Deus utroque hoc diverso modo gratiam hominibus, et Angelis largiri, ut se liberalem gratiæ donatorem ostenderet, utpote cum eam quibuslibet, et quomodolibet distribuat.

Dices 3: Si ingenitæ Angelorum præcellentiæ essent rationes cur amplior gratia ipsis infunderetur, sequeretur quod cum æquali gratia, unus Angelus plus mereretur quam alius: sed falsum consequens: ergo antecedens. Probatur sequela majoris; idcirco unus Angelus ampliorem gratiam obtinuit, quia nempe præstantiorem habuit naturam, et facultates vegetiores, adeoque ad ipsam gratiam excipiendam sese nobilius, et efficacius disposuit: ergo a pari, si unus Angelus cum æquali gratia majorem adhibeat conatum in implendo sibi præscripto divino mandato quam alius, etiam præstantius habebit meritum: non propter gratiam, quæ supponitur æqualis: ergo propter majorem conatum, adeoque illa meriti exuberantia refundenda est in vires pure naturales. — **Negant sequelam majoris** communiter Theologi, amplioris namque meriti ratio desumenda est, inquiunt, ex parte gratiæ, et consequenter cum æquali gratia si duæ potentiæ opus aliquod implerent, quarum una vegetius ageret quam altera, non propterea abundantius, sed omnino æquale cum altera haberet meritum. — **Verum** quoniam hanc responsionem non probant Scotistæ contendentes etiam cum æquali lumine gloriæ Deum ab intellectu perspicaciori, et vegetiori clarius videri, idcirco *nego minorem*, et ad ejus probationem dico, illam meriti amplitudinem majorem in uno quam altero, non esse refundendam in solas naturæ vires, sed in facultatem per gratiam elevatam, ut a simili diximus agendo de principio inæqualitatis luminis gloriæ.

QUÆSTIO TERTIA.

AN, ET QUOMODO ANGELI GRATIAM SANCTIFICANTEM, ET SUAM BEATITUDINEM EX PROPRIA OPERATIONE, ET MERITO FUERINT ASSECUTI.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore *lib.* 5. *Compendii Theologici cap.* 11. « Quod meritum est boni operis efficacia ad obtinendum id « quod non habetur, vel ad habendum justius, quod habetur: unde « per meritum de non debito fit debitum, et ipsum debitum fit magis « debitum. Sicut Rex dat equum quem miles non meruit; sed per « usum equi meretur eumdem equum jam datum. Meritum autem ge- « neratim triplex distinguitur, scilicet, congrui, digni, et condigni. « *Meritum congrui* est per quod disponitur subjectum, ut possit re- « cipere gratiam secundum rationem divinæ Justitiæ, istud vocatur « dispositio materiæ, scilicet cum quis facit, quod in se est. *Meritum* « *digni* dicit idoneitatem operantis ad assequendum id quod meretur. « *Meritum condigni* dicit æqualitatem meriti ad remunerationem: dico « autem æqualitatem non arithmeticam, sed geometricam, idest non « quantitatis, sed proportionis, et hoc patet, quia Deus semper remu- « nerat supra meritum, sicut punit citra condignum. Unde non est « inter meritum et præmium æqualis quantitas, sed proportio, quia

« apud Deum non est justitia commutativa, justitia fori, qua datur « unus panis pro uno denario, vel ulna panni pro solido; justitia vero « distributiva est principium, quo distribuuntur dona, secundum pro- « portionem ad merita, et ista est apud Deum. Unde Apostolus primæ « ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum « suum laborem*. Unde infert Seraphicus Doctor, quod nullus meretur « sibi primam gratiam merito digni, vel merito condigni, sed tantum- « modo merito congrui. Similiter existens in charitate non potest al- « teri mereri primam gratiam merito condigni, sed merito digni, et « merito congrui. Potest autem existens in gratia mereri sibi augmen- « tum gratiæ ex condigno, et per consequens merito digni, et me- « rito congrui.

« Notandum 2. Ex eodem ibidem c. 13. quod opera meritoria to- « taliter sunt a gratia, et totaliter sunt a libero arbitrio, licet princi- « paliter a gratia, quia gratia comparatur ad liberum arbitrium, sicut « sessor ad equum: sicut enim sessor equum dirigit; ita gratia dirigit « liberum arbitrium in exercitio virtutum; per nos enim malum fa- « cere possumus, sed non bonum. *Insuper* ad efficaciam merendi, tria « valent: *Primum* est difficultas operis, quod patet in martyrio. *Se- « cundum* promptitudo voluntatis; nam, inquit Apostolus secundæ « ad Corinth. 5. *Hilarem datorem diligit Deus. Tertium* est magnitudo « charitatis, ipsa enim charitas pondus est sanctuarii secundum quod « omnia, quæ erant in templo, ponderabantur; ut legitur Levitici 27. « — *Rursus*, ut aliquod opus sit meritorium, tria requiruntur: *Primo*, « quod ipsum opus fiat in charitate, quia opera, quæ fiunt extra cha- « ritatem mortua sunt, sicut carbo extinctus. *Secundo*, quod fiat ex « charitate: multa enim fiunt in charitate, quæ tamen non sunt me- « ritoria, ex eo, quod non fiunt ex charitate; idest, quia non referun- « tur ad finem debitum. *Tertio*, quod ipsum opus sit referibile ad bo- « num: mala enim non possunt bona intentione fieri, alioquin seque- « retur absurditas, quod idem opus esset meritorium, et demeritorium. » — *Denique* tria attenduntur in merito ex parte hominis, scilicet *subje- ctum*, hoc est anima, *principium*, idest liberum arbitrium, et intentio *finis:* quibus tria respondent ex parte Dei, scilicet gratia, virtus, cha- ritas: gratia quidem reddit subjectum Deo gratum: virtus autem ha- bilitat liberum arbitrium: charitas vero dirigit intentionem ad de- bitum finem.

Notandum 3. Ex eodem ibidem c. 15. quod opera bona sunt me- ritoria trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ. Primum respondet radici operis, scilicet charitati, et hoc est præmium substantiale vitæ æternæ; præmium vero accidentale respondet generi operis, sicut et augmentum gratiæ, quia operibus excellentibus, et su- pererogativis meremur magis augmentum gratiæ, quam aliis operibus; remissio autem pœnæ respondet pœnalitati operis, quia opera quo ma- gis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Hæc Sera- phicus Doctor.

Sciendum autem est, hic sermonem non institui de merito remis- sionis pœnæ, quippe cum Angelis peccantibus non pepercerit Deus, nec tempus ad pœnitendum, et veniæ gratiam concesserit; solum itaque hic superest examinandum: *Primum* an Angeli propriis suis

operibus cum gratia actuali sese disposuerint ad recipiendam gratiam sanctificantem. *Secundum*, an revera bonis suis operibus S. Angeli beatitudinem suam meruerint. *Tertium*, quibus maxime virtutibus illam fuerint assecuti.

Conclusio prima. — PROBABILIUS EST OMNES ANGELOS GRATIAM SANCTIFICANTEM ACCEPISSE PER PROPRIAE VOLUNTATIS COOPERATIONEM, ET VELUTI DISPOSITIONEM. Hæc est communior inter Theologos, eamque aperte docent S. Thomas *prima parte quæst.* 62. *art.* 2. et omnes illius Discipuli. Quamvis autem Doctor Subtilis de ipsa veritate nihil expresse determinet, eam tamen satis indicat, *dist.* 5. *quæst.* 1. *num.* 5. ubi varios referens dicendi modos de duratione, et statu viæ Angelorum, dicit: *Quod possunt quatuor moræ assignari, in quarum prima omnes Angeli fuerunt in naturalibus: in secunda omnes in gratia: in tertia boni steterunt, et meruerunt in gratia, et mali defuerunt. in quarta, et hi, et illi fuerunt in termino.* Quam assertionem licet probabiliorem non judicet, ut explicat infra, verius existimando Angelos omnes in gratia sanctificante fuisse creatos: illam tamen non improbat, sed probabilem existimat.

Suadetur conclusio *primo*: Angeli sanctificati fuerunt nobiliori modo, qui creaturam rationalem decebat: sed sanctificatio, quæ fit per propriam dispositionem, longe nobilior est, et præstantior, quam quæ fit per puram Dei misericordiam et liberalitatem: quia ex suo genere ac cæteris paribus, semper est perfectius habere aliquid a se, quam ab alio tantum, et esse saltem ex parte causam suæ perfectionis, quam illam totaliter ab altero emendicare: qui autem ad gratiam habitualem se præparat per proprium actum, est saltem ex parte causa suæ sanctificationis, quippe cum concurrat cum auxilio actuali ad illam gratiam habitualem, et sanctificantem recipiendam. Hinc communiter Theologi distinguunt duplicem sanctificationem; unam quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur: alteram puerorum, qui non sanctificantur per proprium actum fidei; sed secundum fidem parentum, vel Ecclesiæ: fatentur autem primam sanctificationem esse perfectiorem quam secundam, eo quod actus sit perfectior quam habitus: habitus enim ordinatur ad actum; adeoque perfectius fuit in Angelis sanctificari per propriam dispositionem, quam per simplicem Dei concessionem. *Adde quod*, qui se disponit ad gratiam habitualem seu sanctificantem, illam impetrat a Deo, et meretur saltem de congruo, Deumque aliquatenus excitat, et allicit ad illam gratiam sibi conferendam, ac subinde aliquo modo est causa suæ gratiæ sanctificantis, concurrit nempe cum auxilio supernaturali actuali ad illam ita promerendam.

Secundo, homines adulti non recipiunt gratiam sanctificantem nisi mediante propria dispositione, eo quod libertatis usum habeant, quo carent parvuli, in quibus illa prævia dispositio non exigitur: sed Angeli conditi fuerunt cum perfecto usu liberi arbitrii: *Neque enim*, inquit S. Basilius in Psalm. 32. *in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati:* sed ab initio suæ productionis perfecta notitia, et libertate donati sunt: ergo verisimilius est, quod gratiam sanctificantem aliter quam per propriam dispositionem et consensum, non rece-

perint. — *Confirmatur*: quia causæ liberæ non *minus* possunt operari cum primum habent omnia ad agendum requisita, quam causæ naturales seu necessariæ: sed causa naturalis quæ in primo instanti suæ formationis habet omnia requisita ad agendum, eodem instanti operatur, ut patet de Sole, et quolibet alio corpore luminoso, quod statim illuminat ac existit: ergo pari ratione causa libera potest operari primo instanti, quo est, si in eo habeat omnia requisita ad libere operandum atqui Angeli habere potuerunt omnia necessaria ad operandum in primo instanti suæ formationis, tam ex parte Dei, quam ex parte eorum. *Ex parte quidem Dei*, nempe auxilium actuale supernaturale, quo eorum voluntas ad Deum moveretur, et pio in ipsum affectu tenderet: *ex parte vero sui*, nimirum plenam cognitionem, et vim completam voluntatis, qua concurrere possent cum auxilio divino sibi oblato ad actum supernaturalem eliciendum, vel non eliciendum: igitur habuerunt ab initio omnia necessaria quibus se libere disponere poterant ad gratiam sanctificantem recipiendam.

Tertio denique, per receptionem gratiæ sanctificantis initur amicitia inter Deum et creaturam, imo et quoddam spirituale matrimonium contrahitur: amicitia autem fundatur in consensu amantium, et ad matrimonium contrahendum requiritur utriusque partis consensus: ergo gratia sanctificans non communicatur creaturæ intellectuali usum libertatis habenti, nisi adsit ejus consensus. *Addit quod* convenions est, ut Deus, quos in filios adoptat, adultos jam, et liberos non promoveat ad statum illum supernaturalem, nisi ut liberos, idest, volentes et consentientes libere, idque magis consentaneum est naturæ rationali et liberæ, atque amicitiæ ineundæ quam mutuo partium consensu iniri convenit: quo etiam modo Deus se gerit cum hominibus adultis jam, et liberis, juxta illud, *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*: quæ lex respectu nostri certa et universalis est, juxta Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5.

Dices 1: Christus Dominus secundum humanitatem paulo minus minoratus est ab Angelis: sed illi datus est habitus gratiæ ab instanti suæ conceptionis, sine propria dispositione, et ab illo habitu proveniebat primus actus ab eo elicitus: ergo idem de Angelis ferendum est judicium. — **Nego paritatem**: nam prima gratia habitualis Christi erat veluti resultans ex gratia unionis, et ita illam habebat nobiliori modo quam per dispositionem propriam. *Insuper*, Gratia Christi ab initio fuit consummata, et primi ejus actus fuerunt visio et fruitio beata, qui non poterant esse dispositiones ad gratiam, sed potius fructus illius.

Dices 2: Deus alias res creavit cum fructibus perfectas, v. g. arbores, et absque ulla dispositione ex illarum parte: ergo multo magis Angelos condidit cum fructibus, hoc est, gratia habituali et justitia inhærente, absque prævia eorum dispositione. — **Respondeo**: res alias non posse per dispositiones proprias recipere altiores perfectiones, sicut possunt Angeli et homines adulti.

Dices 3: Perfectior agendi modus Angelis ab initio tribuendus est, ipse namque divinæ operationi et angelicæ dignitati consentaneus est: sed nobilius est, et perfectius operari ex habitu supernaturali, quam sine ejus concursu: ergo nobilius erat Angelis primo operari

ex habitu gratiæ sanctificantis, quam per auxilium actuale, adeoque non potuerunt sese disponere ad receptionem ejus gratiæ habitualis. — Distinguo majorem : operari ex habitu cæteris paribus, melius et connaturalius est, quam operari sine illius habitus concursu, concedo: quando cætera non sunt paria, nego : fieri namque potest, ut convenientius sit operari sine habitu quam cum ejus concursu : ita autem fit in proposito ; nobilius namque fuit Angelis sese disponere ad propriam sanctificationem, et esse aliqualiter causam suæ justitiæ, et per proprium consensum Dei amicitiam, ac desponsationem acceptare, quam aliter hanc recipere : ergo ita factum fuisse judicandum est.

Dices 4: Angeli habuerunt gratiam sanctificantem sibi concreatam: ergo ad illam non potuerunt sese disponere. Antecedens patet ex dictis in priori Quæstione : consequentia probatur: dispositio præcedit formam, quippe subjectum præparat ad illam recipiendam : sed aliquid concreatum non potest præsupponere aliquid prævium in subjecto quod sit dispositivum ad sui receptionem : ergo cum gratia sanctificans fuerit Angelis concreata, ad eam non potuerunt sese disponere. — Nego consequentiam, et *majorem* illius probationis distinguo: dispositio præcedit formam, instanti naturæ, concedo : temporis, nego: siquidem, ut etiam constat in rebus physicis, ultimum esse dispositionis est primum esse formæ substantialis : et actus contritionis, qui est dispositio ad gratiam sanctificantem simul est cum ipsa gratia sanctificante, licet natura eam præcedat : ergo a simili Angeli cum auxilio supernaturali sibi ab initio concesso, eodem instanti, quo creati sunt, potuerunt sese ad Deum convertere per actum amoris, quo veluti quadam dispositione acceptabant ea omnia, quæ sibi tum in naturalibus, tum in supernaturalibus ab ipso magnifico rerum omnium Artifice monstrabantur : ipsique propter ingentia sibi collata beneficia grates referebant.

Instabis : Si Angeli per auxilium actuale sibi concessum aliquem elicuerint actum quo sese disponerent ad gratiam habitualem, sequitur, quod simul tempore duos actus habuerint, unum quidem elicitum a voluntate cum concursu illius gratiæ actualis, alterum vero cum concursu gratiæ habitualis : sed una eademque facultas duos simul actus elicere non potest : ergo nec Angeli illos duos actus simul habuerunt. Probatur sequela *majoris:* Primo asserimus eos elicuisse actum cum auxilio supernaturali actuali, quo sese ad gratiam habitualem disponerent ; sed etiam debuerunt alterum actum elicere ex illa gratia habituali sibi concreata, alioquin habitus ille fuisset aliquamdiu in Angelis otiosus, quod apparet absurdum : ergo, etc. Respondeo, *concessa majore distinguendo minorem :* una eademque facultas non potest simul elicere duos actus totales, et non subordinatos, concedo : partiales, et invicem subordinatos, nego : quemadmodum enim Sol v. g. eadem illuminatione adæquata, et Lunam, et ipso mediante aërem noctu lumine perfundit : ita eadem voluntas duobus actibus simul in Deum potuit tendere, quando maxime unus se habet per modum dispositionis ad alterum.

Conclusio secunda. - Angeli de facto meruerunt beatitudinem, idque prius tempore, quam eam fuerint adepti. Ita

Doctor *dist.* 5. *quæst.* 1. *n.* 3. ubi refert, et impugnat sententiam Magistri dicentis Angelos non meruisse eam beatitudinem antequam accepissent: sed postquam illam acceperunt: sicut miles dicitur mereri equum per opera non facta, sed fienda. Quæ sententia, inquit Doctor, absurda est, si enim propter opera prævisa quis diceretur mereri, sequeretur gratiam non esse gratiam, ex eo namque, inquit, *quod aliquis prævidetur bene usurus accepto, non meretur accipere illud. Tunc enim posset homo mereri primam gratiam, quia prævidetur a Deo dante, bene usurus ea, et tunc gratia non esset gratia, quia esset ex meritis, licet non positis in effectu, tamen prævisis: igitur Angelus non meruit beatitudinem, si tantum habuit eam propter bonum usum prævisum ipsius in obsequendo circa electos.* Deinde subdit: *Ideo tenetur, quod Angeli meruerunt beatitudinem suam priusquam receperunt eam.* Primam autem Conclusionis partem sic

Probat: Omnis natura consequitur suam perfectionem per operationem propriam: sed perfectio, et finis cujuslibet creaturæ rationalis, est beatitudo, quæ soli Deo est naturalis: ergo illam Angelus per propriam actionem consequi debuit. Finis autem consequendus per operationem, vel est per eam faciendus, vel per eam promerendus, seu, ut loquitur Doctor, omnis operatio ducens in finem, vel est tactiva finis, quando scilicet finis non excedit virtutem operantis propter finem, sicut medicatio respectu sanitatis: vel est meritoria finis quando scilicet finis excedit virtutem operantis propter finem, et tunc expectatur finis ex dono alterius: beatitudo autem excedit omnem naturam creatam: ideo tam Angelus, quam homo non potest illam consequi per operationem effectivam, sed tantum per meritoriam.

Probatur 2. Natura angelica ita capax est merendi suam beatitudinem, quam homo: ergo qua ratione homines non consequuntur beatitudinem, nisi per proprium suum meritum, eam pariter Angeli debuerunt promereri. Consequentia patet: tum quia, cæteris paribus, Angeli sunt aptiores ad merendum apud Deum, quam homines: tum quia si hominibus natura imbecillioribus, et infirmioribus non datur gloria sine merito, pari ratione non videtur absque merito Angelis concedenda: tum denique quia Apoc. 21. *Mensura hominis, quæ est Angeli:* hoc est, ut quidam interpretantur, eadem ratione se habet erga homines, ac se habuit erga Angelos in eorum ordinatione ad beatitudinem, quia nempe in consequenda beatitudine, eadem mensura seu regula mensurantur homines et Angeli: ergo cum in hominibus mensura consequendæ beatitudinis sit meritum, pari ratione dicendum est, Angelos per proprium meritum beatitudinem fuisse adeptos. *Confirmatur* hæc veritas auctoritate sanctorum Patrum, maxime vero S. Augustini *lib. de Correptione, et Gratia cap.* 11., ubi loquendo de statu primi hominis, cui Deus auxilium concesserat, quo perseveranter bonum tenere posset, si vellet, inquit, sed quia, *noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus mansionis meredem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Fatetur ergo S. Augustinus revera sanctos Angelos promeruisse suam beatitudinem.

Probat etiam secundam partem Doctor, nempe quod Angeli meruerint gloriam prius tempore, quam ipsam fuerint adepti: non potest voluntas simul et semel esse in eo statu, in quo velit objectum inutabiliter, et contingenter, et etiam immutabiliter, et necessario; sed si Angeli eodem tempore acciperent beatitudinem, quo ipsam merentur, sequeretur eos velle idem objectum mutabiliter et immutabiliter, contingenter et necessario; ergo non possunt mereri, et obtinere eodem instanti temporis beatitudinem. *Major* patet: duo namque actus omnino oppositi non possunt simul ab eadem facultate procedere. Probatur *minor:* ut quis mereatur eo debet esse in statu, ut non sit ita determinatus ad actum, quin habeat libertatem non solum essentialem, sed etiam contradictionis, habendi talem actum, vel non habendi, seu debet esse indifferens ad actum eliciendum, vel non eliciendum: sed quando voluntas est in statu beatifico non habet amplius talem indifferentiam, quippe cum per visionem beatificam ita determinetur et alliciatur ad amandum Deum, ut ab eo eliciendo actu non possit cessare; ergo si eodem instanti, quo meretur, haberet beatitudinem, sequeretur, quod simul mutabiliter et immutabiliter, contingenter et necessario posset per actum amoris in Deum tendere; quod cum sit absurdum, etiam absurdum est, eos simul mereri beatitudinem, et eam accipere.

Deinde. status beatitudinis omne meritum excludit, alioquin homines de facto mereri possent in Cælo; nec status viatoris ad merendum necessario desideraretur: sed consequens est contra communem Theologorum sententiam, qui ad meritum volunt requiri statum viæ, non patriæ: ergo meritum nequit esse simul cum beatitudine, subindeque debet illam tempore præcedere.

Denique, dispositio ad formam, et via ad terminum, debent esse prius forma, et termino, quando ex ratione sua speciali quamdam habent incompatibilitatem, ratione cujus non possunt simul subsistere: sed meritum Angelorum est via et dispositio ad beatitudinem, quæ cum ipsa non possunt subsistere; quia meritum Angelorum supponit fidem, et cognitionem, ac statum viæ: útrumque autem beatitudo excludit; ergo non possunt simul subsistere: adeoque meritum tempore beatitudinem debet præcedere.

Dices 1: Angeli merentur aliquid propter obsequia hominibus impensa: sed illud meritum simul consistit cum præmio, alias illud expectarent, hæc autem expectatio eorum felicem statum interturbaret; nam ex Prov. 13. *Spes quæ differtur affligit animam:* illud autem, quod merentur non potest esse aliud, quam beatitudo, subindeque meritum, et beatitudo simul possunt subsistere, et consequenter Angeli simul potuerunt mereri beatitudinem, et eam possidere. — **Distinguit majorem Doctor:** per illa obsequia Angeli merentur beatitudinem essentialem, negat: accidentalem, concedit; quamvis autem hanc accidentalem beatitudinem prius non habuerint, et illam possint appetere, ac desiderare: inde tamen nulla in eis sequitur molestia, quippe cum eam omnem beatitudo essentialis excludat.

Dices 2: Majus præmium supponit majus meritum; sed Angeli majus præmium, amplioremque beatitudinem habent, quam plurimi homines electi: ergo pariter majus meritum debent habere: sed non

potuerunt habere majus meritum ante perceptam suam beatitudinem, quam plurimi sancti homines, qui diuturno viventes tempore plurima merita congesserunt: ergo necessum est, quod Angeli mereantur gloriam per opera consequentia, et consequenter ipsorum meritum simul cum beatitudine subsistit. — **Distinguit majorem Doctor**: majus præmium requirit majus meritum intensive, concedit: extensive, negat: hoc est, requirit opus meritorium, quod sit præstantius et perfectius, ratione scilicet vel præstantioris principii, vel intensioris actus charitatis et amoris, non vero requirit plura opera meritoria quantum ad numerum. Et similiter distincta *minore*, neganda est consequentia: meritum enim Angelorum, quamquam modico tempore comparatum fuerit, nihilominus longe perfectius potuit esse intensive, quam merita hominum multiplicata per varios annos.

Instabis: meritum adjunctam habet difficultatem: sed in Angelis nulla fuit difficultas in bonum prosequendo: ergo vel nullum in eis fuit meritum, vel saltem minus perfectum quam in hominibus, qui maximam difficultatem patiuntur in prosecutione boni. — **Distinguit minorem Doctor**: non fuit in Angelis difficultas prosequendi bonum ex inclinatione sensibili ad oppositum, concedit: ex proportione objecti, circa quod tendere debebant, negat; sciendum enim est, inquit, quod difficultas aliquando accidit in aliquo opere ex inclinatione voluntatis ad oppositum: aliquando accidit difficultas in opere propter hoc illud, circa quod operatur, quod excedat naturam operantis. In hoc modo fuit consecutio beatitudinis difficilis, et laudabilis in Angelis, non autem primo modo, quia non inclinabant ad oppositum. Addo omnino verisimile esse, quod Angeli magnam passi sint difficultatem, ut Deo amore, et obsequiis adhærerent: id enim denotat prælium magnum initum inter Angelos perduelles, et fideles: significatur etiam ex lapsu tot Angelorum, qui probabiliter ita non corruissent, nec a Deo exorbitassent, nisi quamdam difficultatem in ejus adhæsione passi fuissent. *Denique* si quid argumentum concluderet, inferendum esset, quod etiam Angeli non possent ullatenus mereri per opera subsequentia adeptionem beatitudinis, quippe cum status ille omnem difficultatem removeat, maxime circa amorem Dei, quem intuentes facie ad faciem etiam summe diligibilem agnoscunt.

Conclusio tertia. — Angeli meruerunt sibi beatitudinem maxime per actus virtutum Theologicarum Fidei, Spei, et Charitatis.

Probatur Conclusio. Primo quidem *De Fide*, nam ex Habacuc. secundo, *Justus ex Fide vivit*, et ut addit Apostolus ad Hebræos 11 *Sine fide impossibile est placere Deo*. Angeli autem, ut mererentur Justi esse debuerunt et Deo placentes: ergo et fidem habere. *Insuper*, non minus oportebat Angelos per fidem justificari, et ad visionem pervenire, quam homines: sed homines justificari nequeunt, et ad visionem pervenire absque fide; siquidem, inquit Apostolus ad Hæbræos cap. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum*. Unde ibidem concludit; *Credere oportet accedentem ad Deum, quod est, et inquirentibus se remunerator sit*: ergo, etc. Denique visio quadam peculiari ratione fidei respondet eamquam præmium illi specialiter propor-

tionatum. Hinc beatis accomodari potest illud Psalmistæ, *sicut audivimus* per fidem in via, *sic vidimus* per evidentem manifestationem, *in civitate Domini virtutum*. His adde, quod Angeli charitatem habuerunt, est enim charitas, vel eadem cum gratia, vel ab ipsa inseparabilis: charitas autem necessario fidem supponit, subindeque necessum fuit, ut Angeli fidem infusam habuerint. — *Hinc* verius dicendum arbitror, Angelis revelatum fuisse, et eos per fidem cognovisse, *Primo* Deum ut Auctorem gratiæ, et finem ultimum, objectumque beatitudinis supernaturalis, nam ut supra dicebamus ex Apostolo, *accedentem ad Deum*, etc. Quæ verba de Angelis æque, ac de hominibus intelligi debere docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 5. *art. Secundo* explicite noverunt mysterium Trinitatis. Nam, inquit Thalassius *t.* 5. *Bibliothec. Patrum sententia* 59., tam Angelorum, quam hominum sanctificatio, et deificatio est sanctæ consubstantialis Trinitatis cognitio. Suaderi etiam potest, quia cognitio viæ Angelorum debuit respondere cognitioni patriæ: fides enim est dispositio maxime accommodata per quam paulatim ad scientiam beatificam rationalis creatura promovetur: sed beatitudo supernaturalis maxime consistit in cognitione mysterii Trinitatis: ergo, etc. *Tertio*, probabilius etiam existimo mysterium Incarnationis illis pariter fuisse revelatum: tum quia talis revelatio, et cognitio, non solum ad perfectionem ipsorum Angelorum spectabat; sed etiam valde conveniens erat honori et majestati Christi, idque indicat S. Paulus Hæbr. 1. dicens: *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent omnes Angeli ejus:* quod præceptum dari decuit etiam Angelis viatoribus, non solum erga Filium ut Deum, sed etiam ut Deum hominem; nam cum mysterium Incarnationis cognoscatur a beatis Angelis, ut unum e præcipuis, cumque cognitio viæ Angelorum correspondere debeat cognitioni patriæ, congruum fuit, ut mysterium illud in via cognoscerent.

Dices: S. Paulus *ad Ephesios* 3. *et* 1. *ad Timoth.* 3. significans Mysterium Incarnationis fuisse absconditum a sæculis in Deo, et per Ecclesiam Evangelium innotuisse Principatibus, et Potestatibus in cœlestibus; unde illæ Angelorum interrogationes, *Quis est iste Rex gloriæ?* Psal. 23. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Isai. 63. ergo, etc. — **Respondet Poncius**, ex eodem Apostolo *ad Hebr.* 1. constare, Angelos ante omnem pacem, et Ecclesiæ prædicationem agnovisse mysterium Incarnationis ab ejus initio, et Christum Dominum adorasse in ipso ejus Conceptionis vel Nativitatis puncto. Alia ergo ejus loca intelligenda sunt de cognitione Incarnationis, non simpliciter, sed secundum quid, nimirum vel secundum cognitionem intuitivam ejusdem jam executioni traditæ, vel secundum fructum in omnes gentes, prædicatione Pauli, et Ecclesiæ patefactum Angelis, experimentaliter saltem; vel secundum abrogationem legalium, et alias circumstantias reipsa exhibitas. Istæ vero interrogationes, vel Prophetarum sunt, vel potius Angelorum, non ignorantium, sed admirantium. Neque enim verum est, quod a nonnullis affirmatur, aliquos quidem ante cognovisse, sed alios ignorasse, puta eos, qui interrogarunt in Ascensione Christi; Paulus enim *ad Hebr.* 1. affirmat omnes Angelos Christum Dei primogenitum adorasse cum in orbem terræ introduceretur. *Confirmatur* ex eo, quod S. Dionysius *cap.* 1. *Cœl. h.*

Hierarchiæ, affirmat, omnes Angelos edocuisse omnia mysteria, quæ hominibus prænuntiarunt, maxime vero, quæ Christum spectabant. Unde subdit: *Divinum etiam humanitatis Jesu mysterium, Angelis primum patefactum esse video, deinde per eos ad nos cognitionis beneficium pervenit.* Cui concinit S. Augustinus *lib.* 7. *De Civit.* cap. 32. dum ait: *Ab exordio generis humani Incarnationis mysterium fuisse Angelorum ministerio prænuntiatum, et præfiguratum:* supponit ergo ab Angelis fuisse præcognitum: adeoque prætata S. Pauli verba non possunt eo rigore accipi, ut excludant omnem notitiam ante habitam ab Angelis de adorando Christi Verbi incarnati mysterio; maxime vero quantum ad Angelos superioris ordinis: nam Doctor Subtilis, *dist.* 19. *num.* 2. non vult illius mysterii cognitionem innotuisse Angelis inferiorum ordinum, ut constabit *quæst.* 1. *sequentis Articuli.*

Dices 2: Cognitio angelica fuit evidens: sed cognitio, quæ habetur per fidem, non est evidens: ergo illa cognitio non erat per fidem. Probatur *major;* Angeli evidenter cognoscebant Deum sibi revelare illa mysteria, quorum notitiam accipiebant; unde merito S. Bonaventura in 3. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 3. docet quod Angeli, *a prima conditione sua habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad Trinitatem, quæ tamen non meretur dici fides: imo potius cognitio contemplationis propter absentiam ænigmatis.* — **Distinguo majorem:** cognitio illa fuit evidens ex parte attestantis, et revelantis, quia Angeli evidenter cognoscebant revelationem, sive manifestationem mysteriorum fieri a Deo, concedo: ex parte rei revelatæ, nego. Et similiter distincta *minore*, nego consequentiam: evidentia enim ex parte attestantis absolute non repugnat fidei, nos enim nobis loquentes cognoscimus, et tamen eorum verbis credimus. Similiter contingebat in Angelis qui Deum equidem sibi loquentem noverunt, sed quæ referebat, et manifestabat, evidenter non cognoverunt.

Quod de fide diximus, idem potiori jure de spe, et charitate angelica dicendum est: constat enim Angelos bonos, tempore illius prælii, quod adversus perduelles habuerunt in Cælo, et Deum amasse, et in eo spem suam reposuisse; quippe propter ejus tuendam gloriam præliabantur, quod certe fieri non poterat, nisi maximo ejus amore flagrarent, et opportunum ab eo auxilium adversus ingentem illam rebellantium Angelorum catervam præstolati fuissent.

Quæres: *Qualis fuerit viæ Angelorum duratio?*

Respondet Doctor *dist.* 5. *qu.* 1. *n.* 5. *et sequentibus:* varias hac in re determinanda fuisse Doctorum sententias: primo namque S. Thomas 1. *par. qu.* 65. *art.* 5. docet duas tantum fuisse Angelorum moras, unam qua creati sunt in gratia, et meruerunt, alteram qua boni beatitudinis essentiale præmium acceperunt, mali autem æternum supplicium. Magister vero Sententiarum existimat tres statuendas esse durationis moras, quas sic explicat, ut velit in prima Angelos beatos conditos fuisse in puris naturalibus, in secunda vero mora mali peccarunt, meruerunt justi; in tertia vero omnes fuerunt in termino, boni quid m in beatitudine, mali vero in tormentis. Sunt itidem aliæ veterum Theologorum sententiæ.

Verum omnes jam pene recentiores Theologi conveniunt cum Sub-

tili Doctore tres tantum admittendas esse angelicæ viæ morulas, quas instantia vocant, etsi non sint necessari, indivisibilia, uti instantia nostri temporis:

Primum instans fuit eorum creationis, in quo omnes, et naturam, et sanctificantem gratiam sibi concreatam acceperunt, et Creatori per amorem castum adhæserunt, adeoque amore in illo instanti pariter meruerunt; sed non in merito steterunt omnes. *Secundum* instans fuit, in quo facta est discretio inter bonos, et malos: bonis in merito perseverantibus, malis autem in perduellionem, et peccatum labentibus. *Tertium* instans fuit, in quo consummata est illa discretio, bonis beatificatis, malis vero damnatis. Seu, ut loquitur Doctor qu. 2. n. 15. Prima *mora, in qua fuerunt uniformes in gratia, si volumus dicere, quod mali habuerunt gratiam, vel uniformes saltem in natura.* Secunda *mora, in qua adhuc in via existentes fuerunt difformes, quod isti ultimate meruerunt, et isti ultimate demeruerunt.* Tertia *mora fuit distinctio formalis unius ab alio necessario. Probabile est etiam, quod in secunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multæ moralæ, quia mali peccaverunt multis speciebus peccati, scilicet superbia, odio, et invidia: et isti actus ordinate, et non in eodem instanti fuerunt eliciti. — Dixi* autem instantia illa non fuisse omnino indivisibilia, maxime primum, et secundum. Quantum enim ad *primum* spectat, oportuit ipsum fuisse virtualiter divisibile respondens aliquali durationi nostri temporis: gratis enim fingeretur Angelos perversos statim post primum instans omnino indivisibile lapsos fuisse: nec fit verisimile amorem illum castum, in quo omnes concreati sunt, unico tantum indivisibili instanti perseverasse, et illico extinctum fuisse; imo contrarium suadere videtur Ezechiel sub persona Regis Tyri graphice Luciferum delineans, dicens; *In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis:* quod indicat ipsum aliquamdiu stetisse in amore casto, et velut in eo gressum fecisse per continuationem ipsius amoris, et bonorum operum pluralitatem. Unde multo minus verum apparet, quod docent plurimi Thomistæ, post primum indivisibile instans bonos omnes fuisse beatificatos, malos vero damnatos, quia tot ponenda sunt instantia pro via dæmonum, quot fuerunt operationes realiter inter se distinctæ, sibique succedentes, quibus eorum via ultimo terminata fuit: supponunt enim Thomistæ instantia temporis discreti, quo via Angelorum duravit, multiplicari juxta numerum operationum sibi succedentium: sed dæmones tria operationum genera exercuerunt: in primo namque instanti creationis elicuerunt actum meritorium, postmodum mortaliter peccaminosum, quem deinde secuta est damnatio: quæ tres operationes omnino sunt incompossibiles: *Prima* namque fuit conversio actualis in Deum, ut ultimum finem: *Secunda* fuit aversio actualis ab eodem; *Tertia* vero necessario pariter distingui debuit a secunda; summa namque delectatio, et summa tristitia sunt inter se incompossibiles respectu ejusdem subjecti: Angelus autem in eo instanti, quo peccavit, habuit summam delectationem et complacentiam in sua perfectione naturali: ergo in eodem instanti non potuit habere summam tristitiam, subindeque tertium illud instans distingui debet a secundo.

Secundum instans viæ similiter aliquam habuit temporis continua-

tionem, quo boni augendis meritis, et pugna sive resistentia adversus peccantes, eorumque peccata occupabantur. Quamvis enim in Angelis ad operandum per naturam et gratiam expeditissimis longa mora non fuerit necessaria; congruebat tamen, ut per quamdam temporis durationem sua merita prorogare possent, et sic ampliorem si vellent beatitudinem promereri: quemadmodum docent Theologi, quod si homo stetisset innocens, nec ipse, nec ejus posteri statim fuissent in Cælum deportati, sed diuturno tempore in terris degissent, ut multiplicato bonorum operum fœnore abundantiorem in Cælis gloriam et beatitudinem assequerentur. *Adde* quod eamdem protractam durationis moram suadeat vulgata opinio de peccato Luciferi ceteros ad perduellionis consortium instigatione inducentis; non enim verisimile fit eodem indivisibili momento omnes rebelles Angelos ipsi adhæsisse: imo credibilius apparet, aliquos interdum fuisse reluctatos, et tandem urgente ipsius sollicitatione ad ejus partes declinasse.

Tertium vero instans consummatæ discretionis bonorum Angelorum a malis per illorum glorificationem, et horum damnationem, indivisibile quidem fuit, ea ratione qua viam clausit et terminavit, in æternum tamen duraturum est. ✻ " Pridem enim proscriptum est insanum illud Origenis commentum quo putabat Angelos perpetua et inamissibili innocentia ac felicitate nondum esse donatos: sed eos adhuc inter peccatum et sanctimoniam, miseriam et beatitudinem sicut et nos fluctuare, unde homilia in Numeros 20 *De Angelis ad hominum custodiam deputatis* scribit: *Venient enim*, inquit, *Angeli ad judicium nobiscum, et stabunt pro nobis ante solem justitiæ, ne forte aliquis ex ipsis causa fuerit, quod nos deliquimus, ne forte minus erga nos operis et laboris expenderint, quod nos a peccatorum labe revocarent.* Eadem probationibus confirmat et repetit homilia 13. in Lucam, atque ita concludit: *Porro frequenter evenit ut nobis laborantibus ipsi suum officium non expleant, et in culpis sint.* At homilia in idem Evangelium 35. non hominum omnium Angelos faciem Patris qui in cælo est videre dicit, sed eorum dumtaxat qui Ecclesiæ nomen dederunt, tum ait postmodum: *Quomodo enim si per curam eorum et industriam salus hominibus comparatur, faciem Patris semper attendunt: sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nesciunt.* Et Paulo inferius: *Ignominia Angelo est si homo justus creditus fuerit et peccaverit: ut e contrario gloria est Angelo si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. Videbant enim non aliquando sed semper faciem Patris qui est in cælis, cum alii semper non videant: secundum meritum enim eorum, quorum Angeli sunt, aut semper, aut nunquam, vel parum, vel plus faciem Dei Angeli contemplantur.* — Verum ista Origenis doctrina jam dudum a sanctis Ecclesiæ Patribus, et ab universo Theologorum cœtu proscripta est inter Origenis errores deputata. " ✻

Quæres 2; *Quamdiu duraverit Angelorum via?*

Respondeo rem esse prorsus incertam; *quidam* enim existimant Angelos viæ suæ terminum habuisse ipsa prima die mundi, quando Deus divisit lucem a tenebris, quasi in ista discretione mystice delineata fuerit ac designata Angelorum bonorum a malis discretio. *Sunt*

qui existiment, id contigisse secunda die, quando Deus creato firmamento divisit aquas quæ sunt super firmamentum ab his quæ ipsi inferiores sunt, quasi per hanc divisionem adumbrata fuerit sanctorum Angelorum a dæmonibus separatio. *Putant ceteri*, nullos adhuc Angelorum lapsos fuisse sexta die mundi, quippe cum Deus vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, subindeque nullæ adhuc creaturæ peccato deformes, et inficiatæ tunc temporis videbantur. — *Verum* hæ omnes sententiæ levioribus, et incertis ducuntur argumentis; siquidem Moyses illis mundi diebus rerum corporearum formationem delineat; sicque divisionem lucis, et aquarum corporearum, ut natura ipsa demonstrat, refert sanctissimus Propheta, nec forte de illa bonorum Angelorum a malis discretione, quidquam tunc cogitabat; sic pariter docet Deum probasse omnia quæ fecerat ad totius Universi integritatem, et ornatum: an autem illis verbis etiam complexus fuerit formationem spiritualium creaturarum, incertum prorsus. — *Nihilominus* conveniunt omnes Theologi viam Angelorum non ita diu protractam, sed fuisse valde brevem; *tum* ob perfectionem potentiarum angelicarum, quæ facillime opera sua implent maxime cum nulla adversantia impedimenta, nec corporea organa habeant Spiritus illi ad intelligendum, et voleudum expeditissimi: *tum* propter ingentia ipsis collata divinitus auxilia, quibus eorum intellectus irradiabatur, et voluntas ad operationem stimulabatur. *Adde quod* præmii comparandi magnitudo, nec temporis diuturnitatem, nec bonorum operum multitudinem ac pluralitatem exigat: nam, ut loquitur Doctor dist. 5. qu. 1. num. 1. *Ad magnum præmium non requiritur multitudo meritorum, sed multo magis requiritur unica meritum intensum, quam centum millia remissa. In Angelis autem fuit motus meriti valde intensus pro isto mercede qui merebantur, in tantum forte quod nullus homo secundum communem legem posset habere tam intensum actum meriti, sicut ipsi habuerunt.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OFFICIIS SANCTORUM ANGELORUM ERGA HOMINES, ET OBSEQUIIS HOMINUM ERGA ANGELOS.

Angelorum in humanum genus infinita propemodum, et illustria ac quotidiana sunt officia et beneficia; *In supernis enim Spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed etiam dignatio amabilis invenitur*, ait S. Bern. serm. 1. de S. Michaële. Præcipuum autem in homines angelicæ beneficentiæ munus est eorum custodia, quam tum publice universorum, tum singulorum privatim suscipiunt; quocirca merito homines, ut aliqua ex parte tanta ab Angelis impensa sibi beneficia rependere valeant, dignum est, ut eos in grati animi testimonium laude, et cultu celebrent. Unde in hoc Articulo tria suscipimus determinanda: *Primum*, an omnes Angeli a Deo ad homines interdum mittantur, ut aliquod ipsis beneficium aut obsequium impendant. *Secundum*, an et qui Angeli ad privatam et publicam hominum tutelam et custodiam a Deo deputentur. *Tertium*, quo cultu et qua veneratione homines sanctos Angelos venerari, et celebrare debeant.

QUÆSTIO PRIMA.

AN OMNES OMNINO ANGELI AD HOMINUM OBSEQUIA INTERDUM DEPUTENTUR.

Notandum 1. Angelos omnes, præter eorum distributionem in tres Hierarchias, et novem Ordines, communiter dividi in Assistentes, et Ministrantes, quæ divisio sumitur ex Daniele 3. *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei:* ex quo oraculo Doctores inferunt plures esse Angelos assistentes, veluti cœlestis aulæ Principes, quam Ministrantes; majori namque numero assistentes designat Propheta quam Ministrantes. Hinc conjiciunt aliqui non omnes Angelos a Deo ad homines e Cælo in terras deputari; sed eos qui sunt ultimæ Hierarchiæ, ceteros vero Deo semper in Cælo præsentes assistere, nec usquam hominibus apparere, quod an verum sit, hic determinandum.

Notandum 2. Ex Doctore in 2. *dist.* 10. *q. unica, num.* 2. duplicem distingui posse Angelorum Missionem : exteriorem unam, sensibilem, et immediatam; interiorem alteram, insensibilem, et mediatam. Prior est, qua Angeli a Deo ad homines mittuntur, quatenus vel eis divinam voluntatem insinuent, vel eorum affectum ad divinum amorem stimulent, et accendant, vel intellectum illustrent, et illuminent, nedum eis divinam lucem impertiendo, sed et sibi concreditas veritates suggerendo : posterior vero est, qua Angeli superiores ad inferiores mittuntur, ut eos de divinis mysteriis, divinaque voluntate instruant, quatenus ipsi eadem homines possint docere : *Secundum communem processum, et ordinem*, inquit Doctor, *revelantur majora Dei mysteria superioribus, priusquam inferioribus: et ita superiores mittuntur ad inferiores loquendo, et illuminando eos interius: et alii inferiores mittuntur exterius, ad illa revelata nuncianda hominibus, vel explenda: et ita non omnes communiter mittuntur extra.* An autem extraordinarie saltem omnes Angeli a Deo ad homines propter grandia quædam denuncianda mysteria aut implenda negotia, vel beneficia conferenda mittantur, hic est resolvendum.

Notandum 3. Quod quamquam conveniant omnes Doctores Scholastici, Angelos interdum a Deo ad homines mitti, ut eorum intellectum illuminent, et affectum inflamment; dissentiunt tamen invicem plurimi in assignando modo illius illuminationis et inflammationis, nam inquit Seraphicus Doctor, *dist.* 11. *art.* 2. *par.* 2; animæ nostræ « a beatis Angelis per eorum revelationes illuminari possunt tripliciter; « *Uno modo*, inquit, ut intelligatur Angelus interiorem portionem il- « luminare per modum luminis irradiantis : *Alio modo* ut intelligatur « illuminare per modum speculi deferentis: *Tertio modo*, ut intelligatur illuminare per modum linguæ vivaciter exprimentis. Omnes hi « modi etsi aliquo modo sint intelligibiles, cum Angelus sit lumen, « et speculum, et habeat etiam spiritualis interpretationis sive locutionis officium, sustineri possunt; tertius tamen modus intelligibilior « est. Non enim multum bene apparet quomodo Angelus irradiet, « nec quomodo se offerat aspectui animæ; sed hoc satis intelligibile « est, quomodo possit animæ quod concepit, suggerere : et sicut Doctor

« dum exterius loquitur, et viam parat ad intelligendum, et viva et « efficax locutio quadam vivacitate ad intellectum nostrum habet in- « gressum, dum sonat in aure corporis exterius, ratione cujus etiam « libentius audit homo bonum Clericum, cujus sermo est efficax, et « vivus: cum habeat aliquid latentis energiæ vivæ vocis actus, ut dicit « Hieronymus: sic et hoc modo intelligendum est, quod Angelus hoc « possit facere interius, et sic illuminare, non lumen infundendo nec « solum offerendo sicut objectum vel speculum, sed etiam vivaciter « excitando, sicut Doctor exterius, et adhuc efficaciori modo ».

His ita prænotatis, tria sunt resolvenda. *Primum* an revera Angeli a Deo ad hominum obsequia e cælo in terram mittantur: *Secundum* an non solum ex ultima Hierarchia, sed etiam ex aliis duabus superioribus interdum ita deputentur: *Tertium*, quisnam sit præcipuus, et ordinarius illius angelicæ missionis effectus.

Conclusio prima. — ANGELI REVERA INTERDUM MITTUNTUR AD HOMINES. Hæc est de fide, et probatur variis Scripturæ textibus Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat in via.* Lucæ 2. *Missus est Angelus Gabriel.* Act. 12. *Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis.*

Probat hanc Conclusionem *Seraphicus Doctor loco supra laudato q.* 1. ex eo quod hæc missio maxime congruat charitati divinæ quæ per eam missionem manifestatur; et angelicæ, quæ per ipsam nos adjuvat; et nostræ quæ cum sit infirma, per angelicum obsequium fovetur, nutritur, et excitatur. Hæc, inquam, missio concordat *charitati divinæ*, quia in hoc manifestatur divina bonitas, quantum nostram salutem diligat, dum nobilissimos Spiritus, qui ei intima charitate junguntur, dirigit et transmittit ad procurandam salutem nostram. Et competit etiam *charitati angelicæ,* cum enim charitatis ardentis sit maxime desiderare aliorum salutem, ob quam dicit Dominus sicut etiam dixit Isaias cap. 6. *Ecce ego Domine mitte me:* et Angeli possint nos juvare, pro eo quod vident nos suo auxilio indigere, et malos Angelos indesinenter nos impugnare; ideo, quod ad nos mittantur, lex exigit charitatis angelicæ. Competit etiam hoc *charitati humanæ*, quæ quoniam parvula est, quamdiu sumus in via, indiget foveri, et nutriri, et excitari. Et quoniam Angeli sunt concives hominibus, cum non sint eis juncti per similitudinem naturæ quæ excitat ad amorem, oportuit jungi per obsequium beneficentiæ.

DICES 1: Frustra mittit quis nuntium, ubi ipse præsens est, et melius potest facere per seipsum: ergo cum Deus nobis præsentissimus sit, et omnia possit facere per seipsum, ad nos frustra mittit Angelum: sed Deus nihil frustra molitur: ergo nec Angelum mittit. — **Respondet Seraphicus Doctor**, quod quamvis sit Deus præsens, tamen propter cæcitatem et caliginem intellectus nostri in qua sumus, ipsum cognoscimus ut absentem. Et quia illi Spiritus propter claritatem luminis, et beatitudinis perfectionem semper vident Deum facie ad faciem, et sunt ei præsentes, quemadmodum illi qui sunt in camera Regis indicant his qui sunt in exercitu Regis voluntatem, et ad hoc mittuntur a suo Domino: sic intelligendum est in proposito. Nec valet: Dominus per se potest facere: ergo non debet ad hoc num-

tium mittere. Multa enim potest ille qui præest per se facere, quæ tamen injungit servo, vel nuntio, ut salvetur in ministerio de actionibus decens et congruus ordo.

Dices 2: Deus misit Filium, et Spiritum sanctum ad nostram salutem instaurandam: ergo ad eam procurandam non est necessaria Angelorum missio. — **Negat consequentiam Seraph. Doctor**; quamquam enim revera Filius, et Spiritus sanctus per suam ad nos missionem sufficientissime salutem nostram instauraverint, quoniam tamen libertate donantur, et nostrum arbitrium pigrum est, et non bene gratiæ cooperatur, ideo indiget excitari: ad hoc autem nullus est magis idoneus, quam sit Angelus: et ideo conveniens est, ut ad nos mittatur, non propter indigentiam procurationis salutis nostræ ex parte Filii, vel Spiritus sancti, sed propter negligentiam cooperationis ex parte nostri.

Dices 3: Angelus beatus sedem habet in cælo empyreo, tamquam in loco sibi congruo, et maxime convenienti, subindeque appetit ibi esse: ergo si extra cælum empyreum mittatur, frustratur ejus appetitus, sicque non erit perfecte beatus: hoc autem consequens est absurdum: ergo et id unde sequitur. — **Respondet idem**, quod locus non debetur Angelo propter ejus necessitatem, vel indigentiam, sed solum propter quamdam congruentiam. Hæc autem congruentia compensari potest, et tunc nullam ponit imperfectionem vel indecentiam per sui ipsius absentiam: et sic est in proposito, plus enim delectatur Angelus implere voluntatem Domini sui, et adjuvando hominem placere Deo, quam delectetur esse in empyreo.

Rogabis 1. *Num etiam Deus interdum malos Angelos ad homines mittat.*

Affirmo, id enim expresse Scriptura significat, legimus enim 3. *Regum cap. ultimo*, quod dæmonem alloquens, qui habebat in animo petere facultatem, ut deciperet Achab: *Egressus est autem Spiritus coram Domino, et ait: ego decipiam illum: cui ait Dominus: in quo? Et ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Cum ergo Angelus ille offerebat sese ad decipiendum, sequitur quod sit malus, et a Deo missus sit, ut significatur verbis sequentibus: *decipies, et prævalebis, egredere, et fac ita.* Ergo mali interdum ad homines mittuntur. Hoc ipsum luculenter explicat Gregorius lib. 2. *Moralium*, ubi loquens de bonis Angelis, et malis, dicit: *Sicut de bonis Angelis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur: ita isti occulte ejus justitiæ nesciendo servientes, ministerium exequi reprobationis conantur: non enim ministrant Deo soli, qui adjurent boni, sed etiam mali, qui probant, non solum qui redeuntes a culpa sublevent, sed etiam qui redire volentes gravent.* Nec refert, quod Angeli perversi seductionem hominum et animarum perditionem intendant; licet enim, inquit Alensis noster, *q.* 11. *membro* 2. sit contraria intentio ipsius diaboli intentioni divinæ, quantum ad hoc, quod hæc est bona, et illa mala, nihilominus utitur Dominus tentatione diaboli ad bonum; tentatio enim qua tentavit Diabolus Job, quantum fuit de voluntate diaboli, fuit ad seducendum: sed illam ordinavit Dominus ad bonum, ut patientia Job probaretur. Missio ergo Domini respicit ordinationem potestatis ad tentandum, quæ est sub potestate divina, non in ordine ad voluntatem Dei, sed ejus malam voluntatem ordinat Deus ad bonum.

Rogabis 2. *An Angeli inferiores interdum a superioribus mittantur ad homines.*

Affirmo, idque probat S. Gregorius *In Moralibus* ex illis Zachariæ Prophetæ verbis, ubi dicit Propheta, quod *Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, et alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, dixit ad eum; loquere ad puerum istum dicens: absque muro habitabitur Jerusalem.* Ex quo accipitur, quod Angelus mittit, unde dicit: *In conspectu Conditoris angelica ministeria ordinata sunt, ut pro communi felicitate beatitudinis Opificem suum videntes, gaudeant: cum pro dispositione dignitatis alii aliis subministrant. Ad Prophetam Angelus Angelum mittit, et quæ secum de Deo communiter conspicit, edocet, et eligit, quia eum per superiorem scientiam virtute cognitionis, et præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit.* Hæc S. Gregorius. Ex quibus manifeste colligitur, quod unus Angelus ab alio interdum mittatur.

Confirmatur, quia verisimile est quod quando Deus inferioribus Angelis vult revelare aliquid, id revelat prius superioribus, communiter loquendo, et his mediantibus inferioribus: ergo mittuntur superiores ad inferiores illuminandos: sed interiores etiam similiter illuminant alios sibi inferiores, donec veniatur ad ultimum ordinem, ex quo verisimiliter mittuntur aliqui ad illuminandos homines.

Dices: Quod etsi superiores illuminent inferiores, tamen non inde sequitur, quod mittantur, quia ad missionem, de qua hic agitur, requiritur motus localis: sed ut superiores illuminent inferiores, non est necesse, ut moveantur localiter, alioqui non possent sibi proximos illuminare. — **Respondeo**, fortassis choros angelicos superiores esse tam distantes ab inferioribus, ut non possint eos illuminare, quin moveantur localiter. *Deinde* posset dici, quod missio quæcumque non necessario importet motum localem, sed ordinationem Angeli ad illuminandum alium, ita ut ille Angelus dicatur ad alium mitti, cui Deus præcipit ut alium instruat, sive interim id fiat cum, vel absque motu locali.

Conclusio secunda. — Angeli non solum Inferiores, sed etiam Superiores quique interdum a Deo ad homines deputantur. Ita Doctor loco supra laudato num. 2. ubi ait: *Videtur quod supremi, vel aliqui de supremis mittantur quandoque ad extra.*

Probatur Conclusio ex Scriptura Sacra, imprimis vero ex illo *Isaiæ* 6. ubi legimus: *Seraphim stabant super illud sex alæ uni, sex alæ alteri*, et subdit statim: *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulit de altari, ac tetigit os meum.* Sed Seraphim sunt superioris ordinis, ut supra probatum est, et indicat sanctus Damascenus *lib. 2. c. 1.* ubi referens doctrinam S. Dionysii ait: *Primum ordinem Angelorum esse, qui Deum semper circumstat, assidueque, ac citra ullius rei interventum ei copulatur: nempe sex aligerorum Seraphim.* Item *Gen. 3.* legimus, quod Deus *collocarit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Diximus autem supra Cherubim esse secundi ordinis Angelorum, qui Deo proximiores sunt, unde etiam 1. Regum 19. *Domine Deus Rex Israël, qui sedes super Cheru-*

bim tu es Deus solus Israël.—Idipsum etiam evincitur ex eo Danielis 18. *Michaël unus ex principibus primis venit in adjutorium meum:* et infra: *nemo est adjutor meus nisi Michaël princeps vester.* Hinc Ecclesia in officio Angelorum orat: *Angelum pacis Michaël ad istam cœlitus mitti rogitamus aulam.* Et iterum: *Michaël Archangele veni in adjutorium populo Dei.* At vero Michaël unus ex primis si non primus Seraphinorum esse creditur, ut censet Pantaleon Diaconus, *in hom. De S. Michaële apud Surium* 29. *Septembris*, necnon S. Basilius *hom.* 1. *De Angelis*, ubi hæc legimus: *Michaël Dux supernorum Spirituum, qui dignitate, et honoribus prælatus es omnibus Spiritibus, tibi supplico.* Idem sentit Laurentius Justinianus dicens in sermone de S. Michaële: *In spirituali primo conflictu ceteris Spiritibus sanctis prælatus est Michaël, sicut Lucifer malis.* Quod etiam firmari potest ratione, nam in bello angelico, quod in exordio mundi fuit, Michaël fuit dux bonorum, qui illos ad obediendum Deo excitavit, sicut Luciter socios ad detectionem induxit. — *Confirmatur*, verisimile est mentem Ecclesiæ esse supremum omnium Angelorum plus venerari, quam reliquos: quia hoc etiam magis consentaneum voluntati divinæ esse merito præsumi potest: sed Ecclesia maxime veneratur Michaëlem, ut in officio Angelorum profitetur, et præ ceteris ipsi templa dicat: ergo sentit illum esse supremum Seraphinorum. — Non tamen me latet S. Thomam in 2. dist. 1. asserere Michaëlem esse ex ordine Principatuum, et ad litteram intelligit verba Danielis cap. 10. ubi Michaël dicitur, *Unus ex principibus primis:* quam sententiam sequitur Toletus in primum caput Lucæ, et Pererius lib. 12. in Danielem: non desunt etiam, qui inter Potestates illum collocent, quia ad illum ordinem spectat debellare, et amovere dæmones, in quo Michaëli maxima potestas tribuitur *Apoc.* 12. Cui sententiæ videtur Ecclesia favere in officio ipsius sancti Michaëlis dicens: quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur. Verum probabilior sententia jam invaluit, ipsum esse supremum inter Seraphinos, adeoque principem omnium prorsus Angelorum; qui cum ad nos mittatur, certum esse debet nedum inferiores, sed et superiores Angelos interdum a Deo ad homines delegari. — *Denique* hoc ipsum apprime edocet S. Paulus, ubi sine ulla exceptione testatur omnes Angelos mitti a Deo, et mandata sibi ministeria capessere, et perficere: *Nonne omnes*, inquit ad Hebræos 1., *sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* quæ verba disertissime veritatem conclusionis confirmant; maxime si advertatur series totius S. Pauli discursus: intendit enim probare Christum rebus omnibus creatis antecellere; præsertim Angelis, qui ceteris creatis omnibus præstant: *Tanto*, inquit *melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*, nimirum quod Dei Filius appelletur, et ad ejus dexteram, ut Patri æqualis sedeat: unde subdit: *ad quem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* quas dignitatis prærogativas, ut evincat Apostolus Angelis non convenire, subdit: *omnes sunt administratorii spiritus, etc.*, quæ certe ratio imbecillis et nulla prorsus appareret, nisi Angelos omnes sine ulla dignitatis, vel ordinis exceptione comprehenderet, nam si summi ordines eximantur, videri quidem poterit Christus Angelis, et Archan-

gelis, aut aliis quibusdam excellere; non autem Cherubinis, et Seraphinis, qui nec a Deo cum ceteris mitterentur, nec in ministrandi partes venirent. Quare quod de Angelis dicit illo loco Paulus, ad omnes etiam supremos Angelos pertinet. Certum ergo esse debet omnes, etiam superiores, Angelos ad nos interdum a Deo deputari.

Eamdem veritatem probant sancti Patres, maxime S. Athanasius *Oratione secunda contra Arianos*, ubi demonstrat Filium Dei esse vere Deum, ex eo quod superior sit Angelis, qui ad ministerium mittuntur, *et Angeli qui Deum*, ait, *sursum, deorsumque comitantes ministros se præbent: de Filio vero dicit: et adorent eum omnes Angeli ejus.* Quæ ultima verba ex Apostolo desumpta omnes prorsus Angelos etiam superiores denotant: quippe non minus principes quique Angeli, quam infimi Christum venerari jussi sunt. Expressissimus est etiam Chrysostomi locus *Hom. 8. in Gen.* ubi illa verba, *Faciamus hominem,* non ad Angelos, ut Hæbræi putant, referri probat, quod Angeli non sint divinorum arcanorum principes, sed ministri: *Non est*, inquit, *Angelis tributum, ut sint consilii participes, sed ut assistant, ut ministerio fungantur: quod ut discas audi magni loquentissimum Isaiam de superioribus Angelorum virtutibus loquentem: Vidi Cherubim stantes a dextris Dei, et Seraphim.* Consentit Gregorius Nazianzenus *Oratione* 34. Cum Angelorum summos et infimos recensuisset ordines, mox universe ait: *Illos divinæ voluntatis administros loca omnia peragrare, omnibus ubique adesse promptos ministerii alacritate, tam notitiæ agilitate, alios aliam mundi partem obtinentes, sive alteri caliam parti universitati attributos.* Mitto plurimos alios e SS. Patribus idem affirmantes, unicumque protero S. Bernardum, qui sermone de S. Benedicto, Luciferum interpellans ait: *Cherubim*, inquit Propheta, *stabant, et non sedebant, quid laborasti, ut jam sedeas! Omnes administratorii sunt spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, et tu sedebis?* Et Sermone primo de S. Michaële, cum dixisset ipsum licet e superioribus Angelis, nobis tamen advigilare et opitulari, subdit: *Neque id quidquam incredibile videatur, quando-quidem ipse quoque Creator, et Rex Angelorum, venit non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis.*

Eamdem veritatem probat Doctor Subtilis loco laudato, ex eo quod Gabriel missus ad Beatam Virginem fuerit unus ex supremis Angelis, quippe cum cognoverit mysterium Incarnationis, quod multos inferiores Angelos (ut putat) latuit. « Nam, inquit, Incarnationem ne-« scierunt multi Angeli ante tempus Incarnationis, vel Passionis Chri-« sti, sicut patet, per illud Isaiæ 63. ubi quæritur in persona inte-« riorum Angelorum, *quis est iste, qui venit de Idum tinctis vesti-« bus? etc.* et per illud Psalmi, *quis est iste Rex gloriæ?* et respondit « *Dominus fortis, etc.* Apparet etiam per Apostolum ad Ephesios 3. *et « innotescat Principibus, et Potestatibus per Ecclesiam, etc.* ubi glossa « Hieronymi, angelicas potestates, vel dignitates dicit prælatum my-« sterium Incarnationis ad plenum nesciisse, donec completa esset « Passio Christi, et Apostolorum prædicatio fuisset gentibus dilatata, « quod tamen usque tunc non latuit majores, secundum glossam Au-« gustini ibidem dicentis: *Constat autem, quod Angelum missum ad « beatam Virginem, ad hoc nunciandam non latuit:* ergo ille cui hoc

« patuit erat de superioribus, et non de infimis, quos latuit illud sa-
« crum mysterium ». Ita Doctor.

Dices: S. Dionysius, *cap.* 13. *De Cœlesti Hierarchia*, arbitratur supremos Angelos nunquam ad hæc infima ministeria descendere: quod autem ad Isaiam purgandum unus e Seraphinis lapsis legitur, id sic explicat, ut non summi ordinis quispiam munus hoc obierit, sed inferior aliquis, cui Seraphinorum proprium nomen imponitur, quia propriam istius ordinis functionem gerebat, cum ignito carbone Prophetæ labia perurebat. Quam etiam interpretationem S. Gregorius Magnus in caput primum ad Hæbræos amplectitur, probatque, ex eo quod etiam interdum Angeli nomine Dei appellentur quando vices illius gerentes opera majoris momenti obeunt: ergo isti Patres censent superiores Angelos ad nos non transmitti. — **Respondeo** equidem illam fuisse illorum sententiam; verum hac in re non videntur audiendi, maxime cum Scriptura sacra satis aperte nostram sententiam firmet, et cæteri Patres nobis adstipulentur, ut supra dictum est. *Addo* illam expositionem S. Dionysii videri pugnare in ipsamet verba Prophetæ: *Seraphim stabant super illud sex alæ uni, et sex alæ alteri* Seraphinorum qui per illas imagines repræsentabantur: sicut enim dicit Propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium*, ita dicit se vidisse Seraphinos illi assistentes: ergo sicut priora illa verba intelliguntur de Deo ipso repræsentato in illa imaginaria visione: ita posteriora intelliguntur de veris Seraphim assistentibus et laudantibus Deum. Adde quod, inquit Suarez *lib.* 6. *c.* 10., in nullo alio loco Scripturæ fit mentio Seraphinorum, nisi in illo, ut ibi notat Hieronymus: ergo si ibi Seraphim non significat proprium ordinem, sed generaliter Angelum accendentem, non habebimus in Scriptura mentionem illius ordinis, nec unde illum probemus; nam quod dicit Psalmo 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, et ministros tuos flammam ignis*, licet ab aliquibus de Seraphinis exponatur, ita ut sensus sit, Deum etiam supremos Angelos in se ardentes, ut flammam ignis, facere ministros suos: verus tamen sensus est, Davidem loqui de omnibus Angelis, quos vocat flammam ignis, vel quia charitate ardent, vel quia efficaciam habent spiritaliter urendi, et accendendi homines, ut ibi exponunt Augustinus, Theodoretus, et Gregorius *hom.* 34. *in Evangelium*. Unde potius roboratur argumentum; nam cum omnes Angeli ministri Dei sint, et generali ratione flamma ignis, si propter hoc solum vocantur Seraphim apud Isaiam, non superest locus, unde ex nomine Seraphim proprium ordinem Seraphinorum probemus.

Dices 2: Angeli, ut diximus in primo Notabili, solito distribuuntur in assistentes, et ministrantes: sed illa divisio nulla foret, si omnes deligerentur ad ministerium: ergo necessario fatendum est superiores Angelos, qui Deo dicuntur assistere, ad ministeria deputari. — *Confirmatur* ex S. Gregorio *lib.* 17. *Moral. cap.* ubi verba illa Danielis declarans: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*, ita scribit: *Aliud est assistere, aliud ministrare, assistunt enim illæ procul dubio Potestates, quæ ad quædam hominibus ventilanda non exeunt: ministrant vero hi, qui ad explenda officia mandatorum veniunt; sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt: et quia plures sunt, qui ministrant, quam hi qui principa-

liter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero infinitus ostenditur. — **Distinguo majorem :** distribuuntur Angeli in assistentes, et ministrantes, secundum ordinariam divinæ providentiæ dispositionem, concedo : secundum extraordinariam, et quantum ad extraordinaria opera, nego. Ordinarie quidem soli inferiores Angeli ad tutelam et custodiam deputantur. Nihilominus etiam interdum superiores emittuntur; quod utique ex Scripturæ testificatione liquet, quæ Angelos quosdam, qui nominatim assistere dicuntur, e cælo mitti docet in terras, ac variis legationibus, ministeriisque perfungi; talis fuit *Raphaël*, qui se unum e septem esse fatetur, qui adstant ante Deum, et is tamen ad Tobiam missus, nulla ne infima quidem servorum obsequia detrectavit; ita *Gabriel* Zachariæ Sacerdoti oblatus in templo : *Ego sum*, inquit, *Gabriel qui adsto ante Deum:* idemque Angeli alterius jussu Danieli se stetit, et ei ventura prædixit : *Michaël* vero unus de principibus primis apud eumdem Danielem venire nihilominus ad opem ferendam legitur, ac de Moysis corpore certasse cum diabolo, in Judæ canonica : nam de Seraphinis, qui supremi omnium habentur, satis ex Isaia constat mitti eos, ac diversis functionibus operari. *Cherubim* item ante Paradisum voluptatis collocatus refertur a Moyse. Quod autem de utrisque Dionysius quorumdam ex opinione scribit, non illos ex Seraphinorum, aut Cherubinorum ordinibus fuisse, sed ex inferiore, ac majorum illorum gessisse vices, minime consentaneum videtur, cique complures reclamant veterum, qui quorum nominibus appellantur, eorum ad ordines pertinere illos putant; unius ex omnibus Hieronymi testimonio ero contentus, qui de Seraphinis ita loquitur : *Quidam Græcorum in Scripturis apprime eruditus Seraphim virtutes quasdam in cœlis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei assistentes, laudent eum, et in diversa ministeria mittantur, maxime quæ ad eos, qui purgatione indigent, et ob pristina peccata aliqua ex parte suppliciis purgari merentur.*

Conclusio tertia. — Ordinarius, et præcipuus Angelicæ ad homines missionis effectus est animæ purgatio, intellectus illuminatio, et affectus inflammatio. Ita Seraphicus Doctor *dist.* 10. *art.* 2. *qu.* 1. *et* 2. Hanecque veritatem luculenter expendit ipsemet, vel alius ex ipso quisquis fuerit auctor *Compendii Theologicæ veritatis lib.* 2. *cap.* 18. ubi ait : « S. Dionysius attribuit Angelo tres actus, « scilicet purgare, illuminare, et perficere : purgant itaque Angeli « removendo phantasmata, quæ impediunt illuminationem, quam An« gelus intendit facere in nobis. Unde tria removent ab anima, sci« licet ignorantiam, et nubila phantasiarum, ac falsas opiniones phi« losophicarum rationum revelationi contrariarum. Illuminant vero « animam tripliciter, scilicet ad sensum, ut patet quando aliquid ma« nifestatur in sumpto corpore : item ad imaginationem, scilicet cum « fumositates, quæ per spiritum animalem ad cerebrum elevantur « transmittunt in diversa phantasmata : et hanc potestatem habet « etiam diabolus : item ad intellectum, et talis illuminatio solum per« fecta est. Non autem, quod Angelus illuminet intellectum efficiendo « novam cognitionem in anima, quia non potest in intellectu novam « speciem imprimere, nec habitum novi luminis dare, sed nec ejus

« intentionem quo vult convertere, quia hoc est contra naturam li-
« beri arbitrii. Hæc enim tria requiruntur ut intellectus noster intel-
« ligat aliquid, scilicet species, qua cognoscatur, et lumen in quo
« cognoscatur, et intentio qua convertatur intellectus super speciem.
« Illuminat autem Angelus intellectum nostrum excitando, et dispo-
« nendo, et lumen divinum in nos transferendo, facit enim ut dictum
« est, in phantasia transmutationem specierum componendo, et divi-
« dendo secundum exigentiam rei, quam vult revelare. Item irradiat
« lumen intellectus sui super illas species, ut moveant intellectum
« nostrum, et sic plura et subtiliora videre possunt in lumine duplii-
« cato. Item excitat intentionem animæ aliquo motu, ut ipsa convertat
« se super illa phantasmata abstrahendo se ab aliis: perficit autem,
« idest, promovet ad melius. » — Idem docet quantum ad inflamma-
tionem affectus, dum probat, prius præmonendo accendi posse intellectum humanum tripliciter; scilicet vel efficiendo, vel excitando, et adjuvando, vel movendo. « Primo modo, solus Deus potest inflam-
« mare affectum, scilicet per effectum. Secundo modo, ipsum desi-
« deratum inflammat affectum, scilicet excitando et adjuvando. Tertio
« modo, potest Angelus affectum nostrum incendere per motum. De
« his habemus exemplum in naturis; quia primo modo ignis accendit
« ligna; secundo modo ligna incendunt ignem; et tertio modo, qui
« ligna igni apponit, ignem accendit. Differentia autem est, inter emit-
« tere cogitationem, et incendere, et mentem illuminare: quia cogi-
« tationem immittere est, ut dicit Beda, intus creare, et facere cogi-
« tationem; sed incendere est cogitationem jam factam inflammare;
« illuminare vero est dare revelationem de aliquo occulto intelli-
« gibili. »

Observandum est autem 1. cum Subtili Doctore in 2. *dist.* 11. *n.* 1. quod Angeli intellectum humanum illuminando, nullam intellectionem actualem, aut speciem intelligibilem ullo modo causare possunt ut causæ totales. Ratio autem, inquit, non est ex aliqua impotentia ex parte Angeli, quia sufficienter est in actu primo, et potest causare in alio Angelo actum secundum; sed ratio est ex intellectu nostro, qui pro statu isto est passivum determinatum ad determinatum activum, ut ad phantasmata, et [illegible] agentem; et ideo impeditur ne possit recipere immed[illegible]tionem ab aliquo actu intelligibili sine phantasmate: [illegible] phantasmata se habent pro statu isto ad intellectum nostrum sicut sensibilia ad sensum; quoad hoc scilicet, ut sicut sensus non immutatur primo nisi a sensibili extra, sic nec intellectus noster prima immutatione immutatur nisi a phantasmate. Ex quibus infert, quod nullus Angelus potest naturaliter hominem in extasim rapere per intellectionem seu visionem intellectualem, et quod omnis raptus factus virtute diaboli, fiat primo, et directe ad imaginationem aliquam vehementem, quæ concomitetur, aut potest comitari cognitio intellectualis ejusdem objecti, quæ imaginatio potest esse tam vehemens, ut distrahat hominem ab attentione ad ullum aliud objectum; et denique quod hominis raptus ad quem homo potest seipsum per consuetudinem disponere, sic etiam ad aliquid imaginabile considerandum. Quamvis forte Deus animam consuetam se retrahere ab omnibus aliis objectis ad considerationem ali-

cujus unius objecti boni, v. g. passionis Christi, aut gloriæ Paradisi, quandoque rapiat ab illa considerationc ad considerationem mere intellectualem independentem a phantasmatibus, talem scilicet, quam haberet anima extra corpus.

Observandum 2. ex eodem ibidem *n.* 5. ut ipsum explicat Poncius, quod Angelus non possit in homine producere cognitionem ullam independentem a phantasmatibus, neque etiam dependentem tamquam causa totalis aut partialis immediate concurrens effective ad ipsam cognitionem; posset tamen docere hominem; quæ sententia est communis, et probatur: quia sicut homo docet hominem proponendo signa illi taliter inter se ordinata, ut ipse possit cognoscere quod ignoravit ante, ita etiam Angelus potest facere; quia in corpore assumpto posset loqui tam bene quam homo, et quia melius cognoscit naturas rerum, facilius, et citius posset perducere ad cognitionem, quam homo. *Deinde,* Angelus potest excitare illas species quas quis habet, eo ordine quo determinare possint ipsum ad cognoscendum aliquid antea ignotum, et hoc faciendo doceret et instrueret. Rursus posset ipsasmet res proponere secundum talem rationem, secundum quam ex ipsis posset quis cognoscere aliquid quod antea ignoravit; et sic etiam doceret, in quo non est difficultas. — An autem Angelus citius hominem docere posset utendo signis naturalibus ad placitum institutis, quam doceri possit ab altero homine, id fore mirum existimat Doctor: *Mirum enim,* inquit, *videretur, si citius posset immutare visum multis sensibilibus, vel visibilibus, a quibus abstraherentur species necessariæ ad unam magnam argumentationem hominis, quam posset ipse, vel homo uti signis illis ad placitum institutis repræsentantibus illa objecta.* Verum id non solum mirum videri debet, sed etiam impossibile, si sit sermo de cognitione, quæ indigeret variarum rerum propositione; sed non dubito quin possit citius docere monstrando rem ipsam unam, vel alteram de natura illius, quam homo posset loquendo.

Observandum 3. ex eodem ibidem *n.* 6. quod Angelus nequit producere novum phantasma in phantasia hominis, nisi mediante objecto naturaliter causativo ejus; et ratio est, quia non potest producere visionem albedinis cum oculo absque concursu ipsius albedinis, nec potest etiam consequenter producere speciem visibilem ejus absque albedine, ut omnes fatentur; et certe gratis illa virtus ipsi concederetur: ergo a pari, non potest producere actum phantasiæ, aut speciem requisitam ad talem actum absque concursu objecti: posito autem concursu objecti, sufficit concursus ipsiusmet potentiæ, et sic Angelus nullum debet habere concursum immediatum ad actum aut speciem. Itaque solum potest concurrere per modum proponentis objectum, aut speciem ejus, et per modum etiam removentis impedimentum.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUALITER ANGELI SANCTI AD HOMINUM CUSTODIAM DEPUTENTUR.

Notandum 1. Quod quamvis Deus, sicut omnia per semetipsum immediate produxit, ita pariter res omnes sua providentia particu-

lari administret, dirigat, servet, et certos ac sibi debitos in fines ordinet ac deducat; nihilominus executionem hujus providentiæ, quam gubernationem, seu directionem appellamus, solus immediate non intendit, nec efficit; sed quibusdam creaturis interdum utitur ad alias servandas, et moderandas. Consentaneum enim suæ divinæ bonitati judicavit, non solum creaturas sui esse participes efficere, sed et virtutem agendi, et communicandi se aliis voluit impertiri, quatenus divinam bonitatem, et modum illius communicationis possent aliquatenus æmulari, et participare. Ideo per quasdam creaturas in alias influit, sicut per Solem in alia corpora lucem ac splendorem diffundit, et ut loquitur S. Augustinus lib. 3. *De Trinitate* cap. 4. *Sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalis, et spiritus desertor per spiritum pium et justum, et ille per ipsum Deum regitur et administratur... Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori, invisibili, et intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.*

Notandum 2. Duos maxime esse modos custodiendi rem aliquam: *Primus* fit cum ab ea removentur, et eliminantur causæ omnes, vel occasiones, quæ ipsi nocere possunt, et bonum ipsius, vel acquisitum auferre, vel acquirendum præpedire. *Secundus* vero fit cum bonum ipsius promovetur, ipsam nempe ad perfectiorem statum aut excitando, aut ad eum adipiscendum illam adjuvando per vires internas superadd tas, vel per interius inspiratam majorem illius boni notitiam, ex qua desiderium ardentius illius consecutionis accendatur. Sic bonus Pastor oves dicitur custodire, non solum ab eis lupum, et omnia nocentia removendo: sed etiam uberiora et meliora pascua, et alia ipsis commoda animo vigili procurando. An autem utroque hoc modo Angeli nos custodiant, hic determinandum est.

Notandum 3. Angelos maxime nobis invigilare, et servire propter tria, ut observat Seraphicus Doctor, vel quisquis est alius Auctor Compendii Theologicæ veritatis *lib.* 2. *cap.* 18. scilicet. propter ruinæ suæ reparationem, quia homines salvandi intrabunt in locum cadentium Angelorum. Item propter meriti accidentalis cumulationem, quod augetur in eis usque ad diem Judicii. Item propter amoris erga nos demonstrationem. Ut fusius infra demonstrabimus.

Quibus præmissis, tria sunt hic determinanda: *Primum*, an revera Angeli ad hominum custodiam deputentur. *Secundum*, an hominum quilibet sibi specialem Angelum custodem destinatum habeat. *Tertium*, an etiam cetera creaturæ Angelo custode donentur. — ✻ " Tametsi hæc veritas aperte constet ex plurimis S. Scripturæ textibus; nihilominus Calvinus, l. 1. Instit. c. 14. sect. 7. ut nullum catholicum dogma intactum relinqueret, primo in dubium revocavit, utrum singulis hominibus a Deo constitutus et designatus sit Angelus ad illorum custodiam. Deinde audacior factus, *comment. in 32 cap. Genes.* pernegat Angelos singulos custodes, singulis hominibus dari, atque id affirmantes dicit maligne gratiam Dei extenuare: seque non dubitare fingit, quin diabolus hoc astu, fiduciam nostram aliqua ex parte minuere conatus sit. Quem errorem ut refellamus, sit " ✻

Conclusio prima. — De fide est SS. Angelos per ineffabilem Dei providentiam ad hominum viatorum custodiam deputari.

Probatur 1. Ex Scriptura, imprimis vero ex illis verbis Psalmi 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos;* seu ut ex Hæbræo vertit S. Hieronymus, *Circumdat Angelus Domini in gyro timentium eum.* Vel ut alia versio habet, *Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* More quidem Ducum, qui castra sua juxta arcem, vel civitatem constituunt, et ordinant, ut eam ab hostibus tueantur. Unde Salmeron ex Græco vertit, *Castra sua instructis aciebus Angelus collocavit in circuitu timentium eum.* Nempe, ut immissiones per Angelos malos undequaque propellat. Hinc S. Basilius in eadem verba Psalmi, *Sicut*, inquit, *muri civitatis circumducti omni ex parte arcent propulsantes hostiles incursus: sic et Angelus te præmunit a fronte, et a tergo custodit: et nihil utrinque in custodiendo relinquit.* Clarius hanc angelicam tutelam, et custodiam describit, et aperit Regius Vates *Psalmo* 90. his verbis: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te*, etc.: quem Psalmum licet ad litteram de Christo exponant S. Ambrosius Luc. 4, et Augustinus ad illa Psalmistæ verba, nihilominus censent alii S. Patres, et Doctores cum S. Hieronymo, et ibi sermonem esse generalem de omnibus hominibus, maxime de Justis: siquidem Psalmi principium Justos omnes designat his verbis: *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Unde prætata verba mirum in modum exponens S. Bernardus in Psalmum, *Qui habitat*, ait: *Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis, quis enim, quibus, de quo, quid mandavit, consideremus fratres.* Tum singula ea quatuor expendit, et « *Primum* « quis? quantusque sit, qui tale mandatum dedit, Deus nempe qui « magnus est, et laudabilis nimis, et cujus magnitudinis non est finis. « — *Secundum*, quibus mandavit? Angelis ipsis, utique creaturis « nobilissimis, potentissimis, sapientissimis: tam sublimibus, tam « beatis, tamque sibi proxime cohærentibus, et familiariter adhærenti« bus, ac vere domesticis. — *Tertium*, de quo mandavit Deus? Utique de « homine, unde exclamat idem Bernardus cum Davide: *Domine quid « est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas « eum?* Quasi vero non sit *homo putredo, et filius hominis vinis.* Ap« ponis tamen erga eum cor tuum, geris pro eo sollicitudinem, cu« ram ejus habes, neque ei solum mittis Unigenitum tuum, immittis « Spiritum tuum, promittis vultum tuum: sed interim, ne quid in « cælestibus vacet ad opera sollicitudinis nostræ, beatos illos Spiritus « propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostro« que jubes fieri Pedagogos. » — Addo quid est admirabilius, quam pulcherrimos Aulæ sydereæ proceres, Triadis honorarios, Palatinos cælites? Genios illos magnificos, et ornatu omnium gratiarum nobiles, illos divinis honoribus perfruentes, et beatos devolare ad homines, se illis benignissime adjungere, eosque tueri, et humanissime complecti? Homines, inquam, in Deum impios, iræ filios, multis criminibus maculatos, crudelitate prope belluas, vecordia pecudes, in eos ipsos tutelares ingratos? Sunt enim Angeli Olympici Dynastæ, et Empyreæ domus purpurati, apud Augustum orbis terræ opificem, et Dominum

gratiosi. Præfecti Universitatis, et rerum omnium creatarum Præsules, quibus dominans in nobis Deus, et supremus Imperator, dedit hominum atque omnium, quæ sub Cælo sunt curam providentiamque, ait Justinus martyr *Apolog.* 1. — *Quartum* denique considerandum occurrit ex S. Bernardo: quid mandavit Deus Angelis suis de nobis? ut videlicet custodiant nos in omnibus viis nostris nempe in omnibus vicis, foris, et plateis in quibus instar sponsæ Canticorum Deum quærimus; in omnibus itineribus, locis, negotiis, et exercitiis, quippe in omnibus lapis offensionis, petra scandali, et laqueus tentationis ab hoste immittitur. — Hæc ipsa veritas firmatur pluribus ex Novo testamento depromptis oraculis: maxime vero ex illo *Matthæi* 18. ubi Christus de fidelibus, pusillorum, hoc est, humilium nomine, loquens, ait: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei qui est in Cœlis.* Quasi diceret, eos non esse contemnendos, maxime quia tanti sunt meriti apud Deum, ut non dedignatus fuerit Angelorum illis custodiam tribuere: namque, inquit Euthimius in hæc verba, *Quos servant Angeli, hos despicere non oportet, et si non propter illorum virtutem, saltem propter Custodes eorum.* Unde S. Hilarius: *periculose ille contemnitur, cujus desideria, et postulationes ad Deum, Angelorum ministeria perrexhuntur.* Confirmatur ex illo Pauli ad Hæbræos: *Omnes sunt Administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Probatur hæc eadem veritas testimonio SS. Patrum, primo quidem Dionysii, qui in cap. 9. *De Cœlesti Hierarchia*, specialiter de tertia, seu infima Hierarchia Angelorum dixit præesse humanis ordinibus, ut referantur ad Deum, et convertantur. Hermas etiam alius S. Pauli Discipulus, ut fertur *in lib. qui Ecclesia dicitur, divisione* 3. scribit se custoditum, et præservatum per Angelum bonum dictum *hegrim*, a magna quadam bestia quæ in forma Retis apparuerat, ex cujus ore locustæ igneæ egrediebantur. Clemens Alexandrinus lib. 6. *Stromatum* circa finem: *Divina virtus*, inquit, *præbet bona per Angelos, sive videantur, etc.* Origenes hom. 8. in *Genesim: Angeli tenent curam animarum nostrarum, et quod eis ob infantia tamquam Tutoribus, et Curatoribus committimus.* ❧ " Idem lib. 3. *Periarchon*, cap. 2. Judith clarissima heroïs Angelum itineris sui directorem, et castitatis inter profanorum barbaras atque impuras manus propugnatorem, conservatorem, et salutis custodem palam fatetur et prædicat. Ipsis adstipulatur S. Cyrillus scribens lib. 4. contra Julianum: « Angeli « tutelaris sui beneficio, Helias furores Jezabelis in desertum usque « fugiens, et sub junipero dormiens, primo excitatur, ac pane et aqua « reficitur: secundo quoque excitatur, recreatur, ac de grandi via quæ « illi conficienda supererat, admonetur. » Accedit Chrysostomus, qui ex eisdem et consimilibus Scripturæ locis probat unumquemque nostrum Angelum custodem habere; scribit enim: « Unusquisque credentium « Angelum habet, nam et ab initio quisque virorum celebrium ac pro- « batorum Angelum habeat; quemadmodum Jacob dixit: *Angelus qui « pascit me, et qui liberavit me a juventute mea.* » Idemque rursus, *homil. de Ascens. Domini:* « Ut scias quod Angeli ubique versantur, « audi quod Paulus femineo pudori prospiciens, ait: *Debent mulieres*

« *retinacula habere supra caput, propter Angelos.* Et iterum Jacob ait: « *Angelus qui me liberavit a juventute mea.* Et illi qui cum Apostolis « erant, aiunt ad Rhodem: *Angelus ipsius est.* » — Hactenus S. Chrysostomus, qui Scripturis quas adduximus innixus, unicuique nostrum Angelum singularem designari, confidenter adseruerat. " * Nazianz. car. n. 6. *De substantiis separatis*, De ministrantibus Angelis sic ait: *Pronaque ad obsequium pars altera sustinet orbem, auxilioque suo servat, etc.* Gregorius Nyssen. lib. *De Vita Moysis; Est*, inquit, *sermo ex Majorum traditione fidem sibi vendicans, quid insit postea quam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providisse, sua cura minime destituisse: sed Angelum quemdam ex his qui naturam corporis expertem sortiti sunt adhibuisse, ad unius cujusque tutelam ac præsidium. At ex adverso, naturæ corruptorem pari machinatione contra niti, et pravo quodam ac malefico adjuncto dæmone humanæ vitæ perniciem efficere. Porro hominem in amborum medio constitutum alterutrius ad certum scopum ac propositum alterius proposito contraria sæpe momento, valentius reddere.* Ambrosius lib. *De Viduis* post medium: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt:* et in Psalmum 37. *Quomodo*, inquit, *longe stant qui ad adjumentum sunt attributi?* Et Psalm. 43. in id. *qui mandas salutes Jacob: Salus*, ait, *in ministeriis Angelorum, qui ad protectionem hominum deputantur.*

Suadet hanc veritatem Seraphicus Doctor *dist.* 11. *art.* 1. *qu.* 1. triplici ratione: « Conveniens erat, inquit, homini lapso deputari cu« stodiam angelicam: tum quia decet altitudinem divinæ potentiæ: « tum quia decet ordinem sapientiæ; tum quia etiam decet dulcedi« nem misericordiæ. Altitudinem namque decet potentiæ, duplici ex « causa, una est, quia Deus non solummodo vult honorari in se, sed « etiam in suis servis: unde non sufficit altitudini divinæ potentiæ « quod Angeli ministrent sibi, sed etiam ad ostensionem excellentis « suæ potentiæ hoc ab eis exigit, ut ministrent etiam creaturæ suæ: « alia est ratio, quia cum Deus habeat diabolum, et ejus dæmones « adversarios, magis decens est quod ipse eos vincat per suos minis« tros, ut per hoc ostendatur potentia manus Dei, quia non solum « potens est in se, sed etiam in servis suis; et ut non indebite possit « Dominus exercituum appellari. Ordinem vero sapientiæ similiter « decet; nam hic est ordo quem divina lex in suis operibus exequitur, « et conservat, ut postrema per media deducat ad summa; quoniam « igitur Angelus, tum ratione immortalitatis naturæ, tum etiam ratione « gratiæ consummatæ, medium tenet inter Deum, et hominem lapsum, « decens fuit ut Deus hominem adjuvaret, et custodiret per Angelum. « Dulcedinem etiam decet divinæ misericordiæ, quæ aperuit sinum « homini lapso, nec in aliquo ei defuit, quod spectat ad salutis suæ « promotionem; et ideo cum homo lapsus esset venundatus ut faceret « malum, ei ministravit pretium sanguinis Filii sui, per quod est « redemptus, ut faciat bonum; et quia habet adversarium impugnan« tem, dedit ei ministrum custodientem, vel custodem auxiliantem; « ut sic ex nulla parte miseria remaneret humana sine divinæ mise« ricordiæ subsidio, et beneficio. Competebat igitur homini lapso dari « ex hac triplici ratione angelicam custodiam.

Hanc eamdem veritatem mirum in modum probat, et confirmat Guillelmus Parisiensis, secunda parte *De Universo* c. 158. « *Primo* « quidem quia, inquit, naturalis est pietas, et dilectio in hominibus « ad invicem, naturalisque amor honestatis, et compositionis vitæ, per « quem unusquisque paterfamilias ad hoc intendit, ut componantur « mores, et decoretur vita familiæ suæ in forinsecos. Etiam ostendit « hanc pietatem et dilectionem, movens eos atque corripiens a vitiis « et peccatis quibus deformantur mores hominum, et vita turbatur : « et nemo dubitavit adhuc quin hoc et bonum sit, et Deo altissimo « placitum. Quanto fortius igitur in Sanctis, ac beatissimis Angelis « est ista naturalis pietas atque dilectio, et etiam tanto major quam « in hominibus, quanto nobilitas eorum ad hæc, et alia bona omnia « expeditior est atque potior quam ipsi homines in miseria vitæ præ- « sentis. Si igitur natura humana in ista depressione et miseria homi- « nes bonos a correptione et gubernatione hominum, quod possibile « est, abstinere non patitur; quanto magis nobilissima illorum bono- « rum Angelorum natura ex incomparabiliter majori pietate atque di- « lectione, miserabilissimos homines suis consiliis, et auxiliis aliisque « omnibus ad gubernationem eorum pertinentibus, carere non sinet? — *Secundo*, si in tantum possunt apud homines naturalis pietas « atque dilectio, ut quemadmodum prædixi, alii aliis consulant, alii « alios adjuvent, aliisque officium regiminis impendant; quanto magis « hoc poterunt pietas ac dilectio, ut beati ac sancti Angeli in tanta « miseria ac desolatione deesse nolint hominibus? — *Tertio*, si « justitia est quæ nec miserum facit, nec miserum deserit, nulla igi- « tur erit justitia sanctorum, ac beatorum Angelorum, si curam non « gerant hominum. — *Quarto*, si hominibus datur potestas in homi- « nes, et præficiuntur eis Rectores hominum, et hoc contra perturbatores « publice faciunt homines atque private; quanto fortius contra malignos « Spiritus, qui maxime intesti, maxime noxii sunt hominibus, necessa- « rii sunt eis Rectores et Defensores? Si igitur cura est Creatoris, vide- « licet Deo altissimo, ut omnes Rectores et Defensores habeant sive Re- « ges, et Principes contra intestatores, et perturbatores homines; quanto « fortius cura est eidem Creatori benedicto, ut sint eis rectores et de- « fensores, contra intestatores et perturbatores spirituales, videlicet « malignos spiritus, ubi tanto magis indigent hujusmodi regimine, et « cura, quanto majora sunt spiritualia bona, et mala corporalibus, et « temporalibus. — *Quinto*, cum ordinata sit universalis gubernatio « Dei altissimi, et nihil ultra gubernationem suam esse patiatur, nihil « sinat debito carere regimine, unumquodque igitur pro modo et or- « dine suo congruentibus subjecit rectoribus: manifestum autem est « quia homines hominibus nec congruentes pro toto, nec sufficientes « rectores existunt, maxime cum in majori et meliori parte regimi- « nis eorum deficiant, videlicet contra principes militiæ spiritualis : « contra eos enim virtute sua aut sapientia incomparabiliter minus « possunt, quam requirat cura gubernationis hominum. Ut igitur per- « fecta sit gubernatio Dei altissimi, qua regi totum indiget universum, « necesse est et sapientiores, et fortiores atque modis omnibus melio- « res esse rectores hominibus : præsertim propter infestationes ac per- « turbationes quæ hominibus et rebus humanis a spiritibus prove-

« niunt; præsertim cum manifestum sit per gubernationem Rectorum, « hoc est regentium, homines nec astutiæ, nec potentiæ malignorum « spirituum resistere posse; alioquin, quid aliud esset de hominibus? « Nisi quod malignis spiritibus tamquam animalia occisionis absque « Pastoribus et Custodibus dati essent in prædam et devorationem, « quod bonitas atque benignitas Creatoris benedicti nullo modo pati- « tur ». Ita Guillelmus.

✻ " Hæc etiam veritas Philosophis ethnicis manifesta fuit; sive eam a Judæis docentibus, sive e sacris Libris hauserint, sive per traditionem eam a majoribus acceperint. Qua de re sic scribit Appuleius libro *De Deo Socratis: Ex hac sublimiore dæmonum copia, Plato autumat, singulis hominibus in vita agenda testes et custodes singulos additos: qui, nemini conspicui, semper adsint, omnium non modo actorum testes, verum etiam cogitatorum. Ac ubi vita edita remeandum est, eumdem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, et trahere reluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causa dicenda assistere: si qua commentiatur, redarguere: si qua vera dicat, asseverare: prorsus illius testimonio ferri sententiam.* Hinc salubre illud monitum adjungit: *Proinde vos omnes qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quæcumque vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis nihil omnino præ istis custodibus, nec intra animum, nec foris esse secreti: quando omnia curiose ille participet, omnia visat, omnia intelligat, et in illis penitissimis mentibus voce conscientiæ diversetur.* — Socraticum postea exemplum in hoc Angelo colendo subdit verbis istis: *Hic prorsus custos, singularis præfectus, domesticus speculator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, ita ut a Socrate justitia et innocentia cultus est, in rebus incertis prospectator, dubiis præmonitor, periculosis viator, egenis opitulator, qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram cum usus postulat, mala averruncare, bona prosperare. Et mox: Socrates, cur apprime perfectus hunc Deum suum cognovit et coluit.* — Quod autem veteres summa religione genios coluerint sic declarat Consorinus, cap. 3: *Genio igitur potissimum per omnem ætatem quotannis sacrificamus. Quamquam non solum hic, sed et alii sunt præterea dii complures hominum vitam pro sua quisque portione administrantes, quos volentem cognoscere indigitamentorum libri satis edocebant: sed omnes hi semel in unoquoque homine numinum suorum effectum repræsentant, quocirca non per omne vitæ spatium novis Religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* " ✻

Dices 1: Angelica custodia detrahit hominum libertati, et meritorum præstantiæ: ergo non videtur admittenda. Probatur antecedens: homo per liberum arbitrium non potest ad malum compelli, nec violenter agitari: ergo de se sufficiens est qui resistat adversariis: frustra ergo Angeli ad ejus custodiam deputantur, aut ipsius libertatis gloriæ angelica illa custodia quidpiam detrahit. *Insuper,* tanto major est gloria vincentis, quanto pauciorибus auxiliis de adversario triumphat. Ergo gloriosius esset homini diabolum vincere per seipsum, quam cum

adjuvante et compræliante Angelo : subindeque ipsa angelica custodia ipsius gloriæ sicut et libertati quidpiam detrahit. — **Nego** antecedens, quantum ad utramque partem, quamvis enim forte homo per liberum arbitrium gratiæ auxilio et beneficio roboratum, per se sufficeret ad repugnandum contra adversantes, et illustrem de ipsis triumphum reportandum : attamen quoniam non est ipsi colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes et Potestates, et contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, cum ipse sit debilis, et infirmus, frequentius ab eis vinceretur, quam vinceret, nisi Angelos sanctos haberet adversus malos Angelos compræliantes. *Neque enim*, inquit Petrus Damianus Epist. ad Alexand. II. summum Pontificem, *versutiæ tam callidi, et exercituti hostis posset fragilitas humana resistere, nisi eum a tentationibus Electorum virtus Angelica propulsaret.* Multo igitur ei melius est, et gloriosius cum angelico præsidio tam formidandos hostes vincere, quam absque præsidio superari.

Dices 2 : Ex illo Christi Domini Luc. 22. Oraculo. *Major est qui recumbit quam qui ministrat :* ergo si Angelus hominem custodiendo ei ministrat, sequitur hominem Angelo esse superiorem : sed falsum consequens : ergo et antecedens. *Insuper*, si Angelus hominem custodiat, vel id habet a natura, vel a gratia : si a natura, sequitur quod dæmones debeant etiam hominum custodes censeri, naturalia namque in eis integra permanserunt : si a gratia, cum una anima aliam in gratia excedat, ad illius custodiam deberet deputari. — **Nego utramque consequentiam**, et ad antecedens primæ, dico illud quidem verum esse de ministerio subjectionis, non vero de ministerio præsidentiæ : Angelus autem hominem custodiendo ministrat ei præsidendo, et illum regendo ac docendo, ut pedagogus parvulum : non serviendo, et obediendo, ut famulus domino. *Ad antecedens secundæ consequentiæ*, dico Angelum habere simul a natura et a gratia, quod hominem possit custodire : a natura quidem, quia est homine fortior, et potentior : a gratia vero quia est præstantior et firmior : ideo ex utroque capite ei convenit hominem regere et protegere.

Dices 3 : Soli Deo convenit hominem custodire : ergo non Angelo. Probatur antecedens : tum quia Deus in Scriptura dicitur hominum custos; sic Job 7. *Quid faciam tibi, o custos hominum ?* Et Psalmo 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.... Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.* Tum quia custodia ordinatur ad præservandum hominem, ne in diaboli captivitatem ruat : sed ejusdem est præservare in libertate, cujus est liberare et redimere a captivitate : ergo cum solius Dei sit a captivitate redimere, etiam solius ejus est in libertate custodire, et conservare. — **Nego** antecedens, et ad primam ejus probationem dico cum Seraphico Doctore supra laudato ad 5, quod perfectio divinæ custodiæ non excludit utilitatem angelicæ. Sicut enim Deus propter suæ bonitatis ostensionem, et ordinis sapientiæ manifestationem, creaturis communicavit posse operari, et effective alias creaturas producere, ipso tamen producente, et cooperante ; sic dedit Angelis posse hominem custodire, cum tamen a servorum suorum custodia nusquam ipse desistat, quia talis custodiendi virtus angelicæ gratiæ, et naturæ dignitatem decebat : divina ergo

custodia angelicæ non officit: imo divina confert ad angelicæ perfectionem; et Angelica ad divinæ commendationem et manifestationem. *Ad secundam probationem*, nego paritatem cum eodem Seraphico Doctore: redimere enim est mortuum vivificare; solius autem Dei est vitam primo conferre, et eam deperditam de novo restituere: custodire vero dicit tantum aliquem beneficentiæ actum externum, qui potest a præstantiori natura, et virtute potentiori conferri: ideo non mirum, si Angeli qui hominem a dæmonis captivitate solvere non potuerunt, possint tamen eum custodire et servare, ne rursus in eam præceps per peccatum ruat.

Conclusio secunda. — Singulis hominibus, sive parvulis, sive adultis, sive fidelibus, sive infidelibus, prædestinatis, aut reprobatis, peccatoribus, aut justis deputantur singuli Angeli custodes. Hæc receptissima est apud Catholicos contra Calvinum *lib.* 1. *Institutionum cap.* 14. ubi mendacissime affirmat incertum esse an singulis hominibus singuli Angeli assignentur: *Et super Psalmum* 90. addit falsum esse commentum. Hanc veritatem ex Scriptura Sacra colligit S. Basilius lib. 3. contra Eunomium: *Quod autem*, inquit, *unicuique fidelium adsit Angelus tamquam Pedagogus aliquis, et Pastor vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: Ne contemnatis unum ex his pusillis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.* Et Psalmista dicit: *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum.* Et: *Angelus qui eruit me a juventute mea*, et cetera id genus. Quibus Scripturæ locis commune Catholicorum dogma Basilius adversus Calvinum adstruit. Ipsi subscribit Hilonius, qui eumdem locum expendens ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Primo signanter dicit *unaquæque*, non enim unus Angelus custodit plures homines: *tum quia* non potest esse Angelus custos simul in pluribus locis, et sæpe potest contingere, ut duo homines loco distantes indigeant locali præsentia, et assistentia sui Angeli: unde si esset unus Angelus, et idem, non posset utrique convenienter subvenire: *tum quia* hoc magis magnificentiam et liberalitatem Dei commendat: *tum denique quia* verisimile est in infima Hierarchia plures esse Angelos, quam sint homines actu, et de facto existentes, subindeque non apparet necessum, quod unus plures homines custodiat.

Probatur insuper Conclusio; idque primo de infantibus, et parvulis. Hoc enim primo diserte edocet S. Hieronymus dicens: *Supra hoc unaquæque anima ab ortu nativitatis sibi deputatum habet Angelum.* Quæ verba licet aliqui, ut S. Thomas 1. *p. q.* 113. *a.* 5. *ad* 3. explicent de nativitate non in utero, sed extra uterum; quia, inquiunt, puer cum est in utero est veluti pars, et fructus matris: unde quemadmodum qui custodit corpus, aut arborem, etiam custodit partem corporis, et fructum arbori connexum, ita Angelus matrem custodiens, etiam puerum custodit quamdiu est in ejus utero; attamen jam omnes pene conveniunt, quod illa Angeli deputatio fiat statim, ac anima corpori infusa est. Hocque aperte docuit S. Anselmus in Elucidario scribens: *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo commit-*

titur: anima autem in conceptione intunditur: ergo in conceptione ad ejus custodiam Angelus deputatur. ✳ " Illi præiverat Tertullianus lib. *De Anima* cap. 37. ubi scribit: *omnem autem hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam, aliqua utique potestas divinæ voluntatis ministra modulatur, quamcumque illa rationem agitare sortita.* Quibus verbis non solum significat Angelum cuique homini in utero formato, sed etiam formando a Deo destinari; quam veritatem etiam ethnicis compertam declarat; subdit enim hæc æstimando: *Etiam superstitio romana Deam finxit Alemonam alendi in utero fœtus, et Nonam et Decimam a solicitioribus mensibus; et Partulam quæ partum gubernet, et Lucinam vero quæ producat in lucem. Nos officia divina Angelos credimus.* Putat igitur Angelos a divina Providentia destinatos esse ut in utero materno formandis pueris, et ad partum promovendis invigilent, et ea præstent officia quæ ab ementitis numinibus exhiberi Romani veteres delirabant, quorum insaniam insectatur et lepide ridet S. Augustinus lib. 4. *De Civitate Dei,* cap. 11. ubi gentilium doctores insectatur quod Jovi, quem Deum summum dicebant, adscriberent ea munia quæ plebeis numinibus tribuebantur. *Ipse,* inquit, *præsit nomine Liberi, virorum seminibus, et nomine Liberæ fœminarum. Ipse sit Diespiter qui partum perducat ad diem, ipse sit Dea Mena quam præfecerunt menstruis fœminarum. Ipse Lucina quæ a parturientibus invocetur. Ipse opem ferat nascentibus vos excipiens sinu terræ, et vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, et vocetur Deus Vaticanus. Ipse levet de terra, et vocetur Dea Levana. Ipse cunas tueatur, et vocetur Dea Cunina etc.* — Rem istam sic explicat Origenes, tract. 5. in Matth.: *Item requires, pusillorum istorum Angeli qui præsunt eis, quando incipiunt curam eorum habere: utrum ex quo per lavacrum regenerationis geniti sunt in Christo, quasi tunc nascentes infantes, et ultra non subjecti cuidam adversariæ potestati: an ex tempore nativitatis eorum carnalis, secundum præscientiam Dei et prævordinationem ipsius,* quos præscivit et prædestinavit, ut sint conformes gloriæ Christi. *Vides, quoniam qui caute utrumque discusserit, illius est affirmare utrum eorum sit verum, et ad testimonium proferre Scripturam uni ex duobus consentientem. In utraque enim parte multus quidem sermo fieri potest, tamen ex multo parum aliquid proferamus. Qui enim volunt meæ ut quis fuerit natus eorum, qui prævogniti sunt a Deo, accipere Angelum præpositum sibi, utuntur Apostoli voce dicentis:* qui me segregavit ab utero matris meæ, ut revelaret Filium suum in me; *quasi ex eo necessarium habet Angelum se regentem, quoniam segregatus est secundum præscientiam Dei. Item in epistola Judæ scriptum est ita:* In Deo Patre dilectis, et in Jesu Christo conservatis et vocatis. *A quo conservatis, nisi ab Angelis quibus traditi fuerant, ut conservarentur, et eruantur ab omni malo, qui prævogniti et prævordinati habebantur? Item proferet et illud quod in psalmis est dictum:* De ventre matris meæ tu es protector meus; *ut sit protector prævognitorum Deus, per Angelos ob hoc ipsum ministerium deputatos. Sic et illud accipiet:* Susceptisti me de utero matris meæ; *item:* ad te projectus sum ex utero; *et alia mille hujusmodi habentia sensum etc.* " ✳ — *Suadetur insuper hæc veritas ratione: primo,* quia statim ac parvulus formatus est, incipit esse homo viator: unde licet physice sit quasi pars matris, tamen in

ordine ad salutem animæ, est persona distincta; unde est capax peccati originalis, etiamsi mater sit sancta; et per gratiam Dei est capax meriti, ut in Joanne Baptista cernere est. *Item,* credibile est statim illi adjungi dæmonem, qui specialiter nocere, et damnum inferre procuret: ergo etiam debet illi Angelus ex tunc deputari, ut dæmonem arceat, et alia impedimenta tam corporalia, quam spiritualia, ex tunc præcaveat. *Neque* obstat, quod Angelus custos matris possit hanc curam suscipere: quia solum pertinet ad illum quamdiu ad bonum matris est necessaria. Potest autem in solius filii utilitatem redundare, et speciali affectu, et magis proprio proprius Angelus illam habebit. Et interdum mater non parens suo Angelo, potest aliquid tentare filio nocivum, quod Angelus filii custos impedire poterit. *Denique* hæc providentia liberalior est; ideoque huic parti libentius adhæreo. — Qualiter autem, et quam ob causam fiat hæc angelica custodia erga parvulum sive in utero, sive extra matris uterum existentem, edocet Alensis *qu.* 11. *memb.* 1. *art.* 3. Accipitur autem, inquit, ratio hujus custodiæ tam ex parte Angeli custodientis, quam ex parte hominis custoditi. *Ex parte Angeli,* ratio est meritum, meretur enim præmium accidentale ex custodia hujusmodi. *Ex parte vero parvuli* accipitur ratio, tum ex parte corporis, ut scilicet bonus Angelus custodiat corpus parvuli a vexatione contrariæ potestatis: tum ex parte animæ, et hoc dupliciter; quia sumitur ratio animæ secundum se, et ex conjunctione animæ ad corpus. *Ex parte animæ in se,* quia quam cito anima creatur, vertibilis est ad bonum, sive ad malum, et potest proficere, non tunc, sed postmodum: et ideo datur ei custos Angelus, non pro tempore isto, idest, non ut tunc faciat eam proficere, vel retrahere a malo, sed ut ordinet eam, et disponat, et habilitet ad hoc, ut postmodum proficiat, quando tempus erit utendi ratione. *Ex parte autem animæ prout conjungitur corpori,* potest accipi ratio custodiæ in parvulo, quia anima, quam cito unitur corpori, corrumpitur corruptione vitiosa; exinde contrahit corruptionem: unde anima, quam cito est conjuncta corpori, subito procedit in alteram habilitationem, sive ad malum, sive ad bonum; quamvis non sit nota hujusmodi habilitatio, et ad hujusmodi habilitationem juvat, et ordinat Angelus bonus, qui datur ei custos: sicut forte illa corruptio, quam contrahebat ex corpore, juvabat ad habilitandum ad malum.

Dices: Pueri non possunt deficere per culpam, nec in melius proficere per bonum opus, cum usu rationis careant: ergo frustranea ipsis est angelica custodia. — **Distinguo antecedens;** non possunt proficere pro tunc, et quamdiu rationis usum non obtinent, concedo: non possunt proficere pro tempore futuro, dum perfecto rationis usu donabuntur, **nego; ut exposuit Alensis supra.**

Probatur similiter Conclusio quantum ad ceteras partes: nempe quod omnes prorsus adulti sive prædestinati, sive reprobi, sive peccatores, sive justi specialem sibi deputatum Angelum ad custodiam habeant. Et quidem primum constat *de reprobis:* tum quia ipsis conceditur auxilium sufficiens ad salutem: custodia autem angelica non est extra latitudinem talis auxilii sufficientis: ergo ipsis est concedenda. *Major* constat: *minor* probatur: Deus permittit reprobos tentari a dæmone, et consequenter debet illis protectionem, et sufficientem defensio-

nem præbere: hanc autem per Angelos custodes subministrat: ergo illam ipsis denegare non debuit: *Tum quia* licet hæc custodia non habeat effectum meriti vitæ æternæ; nihilominus per illam revocantur a pluribus malis, quæ haud dubie perpetrarent, nisi bonus Angelus illos retraheret. *Tum quia* Deus permittit prædestinatos habere dæmones ipsorum saluti insidiantes: ergo pari jure angelicam custodiam reprobis debet concedere, ut eorum saluti qua possunt via invigilent. *Tum denique quia* hæc custodia in bonum prædestinatorum redundat: nam per illam arcentur dæmones instigantes reprobos homines, ne noceant Electis quantum cupiunt. — His solvi potest, et explicari S. Paulus, dum asserit Hæbræorum primo, *Angelos in ministerium mitti propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* sic enim ministeria Angelorum circa reprobos redundant in bonum eorum, qui hæreditatem capiunt salutis: præfatis enim verbis significare voluit S. Paulus, finem angelici ministerii in universum, esse hominum salutem, et ideireo circa homines exerceri, licet fructus maxime compleatur in his, qui effective salvantur.

Hæc eadem veritas constat *de peccatoribus quibusque: Tum quia*, inquit Seraphicus Doctor *dist.* 11. *qu.* 1. « Parcior non est bonus An- « gelus ad conservandum in bono, quam sit malus Angelus ad præ- « cipitandum in malum: sed malus Angelus quantumcumque homo « sit bonus, usque ad mortem non cessat ipsum impugnare: ergo vi- « detur quod nec bonus quantumcumque malum hominem usque ad « mortem desinat custodire: *Tum quia* quanto aliquis peior est, tanto « est pronior ad malum, et quanto pronior ad malum, tanto magis « indiget retrahente: ergo cum Angelus ad custodiam deputatus ad « hoc ordinetur, ut retrahat a malo, videtur quod non debeat homi- « nem, quantumcumque peccatorem deserere: *Tum denique quia* de « nemine desperandum est, dum adhuc viator existit: ergo quantum- « cumque aliquis in peccato sit obstinatus, semper adhuc aliqua spes « ejus salutis: sicut igitur medicus nullum ægrotum deserit, nisi prius « de restituenda ejus salute spem omnem perdiderit: ita nec Angeli « animarum medici, neminem deserere debent, quamdiu *ejus aliqua* « *salutis spes* ». Hæc autem tamdiu viget, quamdiu homo viator existit: ergo neminem Angelus custos deserere debet ante mortem.

DICES 1: Plurimi e sanctis Patribus affirmant non omnes homines, sed justos tantum habere Angelos custodes. Ita indicat Didymus apud Damascenum *lib.* 1. *Parallel. c.* 7. dicens: *Probi, ac sancti viri habendos Angelos custodes habeant: mali autem tenebrosos.* Idem Evagrius apud eumdem indicat, scribens: *Scientiæ, ac Sapientiæ spes additos esse Angelos jungant: at vir impius, ac flagitiosus etiam ab eo impio, qui ipsi a puero datus est, disjungitur.* Hoc ipsum significat S. Basilius *in Psalmum* 33. ubi docet solis fidelibus, et piis Angelos assistere, peccatores autem deserere: *Cuicumque credenti in Dominum*, inquit, *Angelus assistit, nisi forte nos ipsum improbis factis effugaverimus: nam ut apes fumus in fugam agit, et columbas malus odor abigit: ita et vitæ nostræ custodem Angelum lacrymosum, fœtidum peccatum repellit.* Et in *Commentariis* ad Isaiam exponens illa verba Prophetæ, et *auferam sepem ejus*, de Angelorum custodia interpretatur, scribens: *Fieri etiam potest Angelum, ut cum unusquisque nostrum habeat san-*

etum, qui castrametatur in circuitu timentium Dominum, in peccatis deprehensus, huic plagæ, quam minatur, fiat obnoxius, et muro privetur, hoc est sanctarum virtutum tutela. Confirmari potest ex illis verbis Jeremiæ 51. *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.* — **Respondeo**, Sanctos Patres ita posse explicari, ut solum velint Angelos homines pios duntaxat custodire, et peccatores deserere, non quod omnino horum curam non habeant, sed quod actualem operationem, et exercitium custodiæ interdum remittant propter hominum incapacitatem, vel resistentiam. Non autem volunt, quod cum omnino deserant, nec ullam illius curam amplius gerant, contrarium enim legimus *Exodi* 23. ubi Deus promittens Judaico populo Angelum custodem subdit: *non dimittet cum peccaveris.* Et hoc ipsum ratione suadetur: cum enim dæmon non desistat a tentando justum propter eximia justitiæ opera, sic nec sanctus Angelus deseret peccatorem: nam, ut dixit Ambrosius in id Psalmi 38. *Obmutui, et humiliatus sum, etc., Angelus in circuitu est hominis, ne quis noceat ei, non discedit Angelus, nisi jussus à Domino.* Insuper hæc cura data est Angelo independenter ab hominis viatoris fide, vel gratia; ergo sicut custodiunt Angeli eos homines, qui vel gratiam, vel fidem numquam habuerunt: ita etiam eos, qui illas perdiderunt. *Denique* Deus non deserit hos peccatores quoad auxilia sufficientia interna, et externa: ergo neque Angeli illos deserere possunt propter peccata, cum hoc non sit consentaneum voluntati Dei; igitur Angelus peccatorem omnino non deserit: sed remissive, et minori forte sollicitudine, propter continuam ejus resistentiam erga eum se gerit. Hinc fit etiam interdum, ut justum videatur Angelum custodem quodammodo derelinquere, seu remissius juvare, ut id tandem in majus ipsius bonum cedat; sic Ambros. verba illa Psalmi 35. *Qui juxta me erant, a longe steterunt. Ne abhorreat,* inquit, *mysticus pietatis affectus, ut pro Angelis dixerit, qui pretendunt timentibus Dominum ut eripiam eos de tentationibus, quas ferre non possunt: quomodo ergo longe stant, qui in adjumentum sunt attributi? Sed non illi se separant, sed qui urgetur tentationibus, putat eos longe abesse, quos propius adesse desiderat, et arbitratur dissimulare, cum illi jaculandi tempus nutu sui superioris expectent, qui athletam suum, quo gloriosius vinceret, diutius certare præcepit.*

Corollarium. — Ex his colligе, quod obduratus quisque peccator Angelo custode non careat, imo etiam non carebit ipsemet *Antichristus*, ut docent Alensis, S. Bonaventura, et S. Thomas; idque colligitur ex eo quod Deus velit omnes homines salvos fieri, nullumque excipere, sed omnes comprehendere, etiam pessimos; et per consequens ipsum quoque Antichristum. Favet etiam ratio, qui enim proponit alicui finem, debet providere de mediis ad illum obtinendum; at vero cunctis quantumvis impiis proponitur vita æterna, et custodia angelica medium est ad illam obtinendam et acquirendam: ergo, etc. ac proinde Antichristo non denegabitur. *Adde quod* quemadmodum semper insidiantur mali Angeli, ita e contra boni ea qua fervent charitate, volunt continuo auxiliari, et in hoc Deum misericordiæ, et charitatis fontem imitantur. — Neque dicendum est, custodes Angelos

homines quantumvis peccatores deserere, quamdiu sunt in hac vita. Quemadmodum enim nulli viatori omnino denegatur auxilium supernaturale commune, ita neque dum est in via, custodia Angelorum prorsus destituitur. Sicut autem propter peccata hominum interdum eis denegantur auxilia quædam particularia, et efficaciora, quæ Deus non tenetur dare, ita denegatur custodia Angelorum quoad peculiares aliquos effectus. « Sciendum enim est, inquit Alensis, quod multiplex est effectus custodiæ angelicæ circa animas: unus est ut proficiat anima in bonum gratiæ: alius ut non cadat in malum culpæ: tertius est, ut si cadit, postmodum resurgat: vel ne toties cadat, vel in tantum malum cadat. *Hinc concludit:* dicimus ergo quod Antichristus habebit custodiam angelicam, non ad primos effectus, idest. Angelus custos istos effectus circa eum non habebit, sed tantum ultimum, scilicet, ut non toties cadat, quoties caderet sine Angelo Custode. Nulli enim viatori in quantum viator est, deficit misericordia Dei, quæ est in dando Angelum Custodem. » — *Censet* tamen Joannes Altestaing Mindelhaimensis in suo Vocabulario Theologico, quod Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam; sed quando ita obstinabitur in peccato, quod dicet se esse Deum, et extollet se super omne id, quod dicitur Deus, aut colitur, sicut dicit Apostolus, tunc primo deseret eum Angelus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem. ✻ " Non me latet Origenem inficiari Angelos bonos a Deo destinatos esse ad pravorum et perditorum hominum custodiam, nam tract. 5. in Matth. cum scripsisset incertum esse utrum Angeli a Deo destinentur ad hominum custodiam statim ab eorum in utero formatione, an tantum ab eorum regeneratione per baptismum, addit: *Qui autem cult ex eo hominibus dari Angelum adjutorem, ex quo per lavacrum regenerationis facti sunt tunc nati infantes in Christo, dicet non esse credibile, insensatis et incredulis, et errantibus, et servientibus desideriis variis et immundis, in malitia et invidia degentibus, odibilibus et odientibus invicem, fornicariis et adulteris, interdum autem et masculorum concubitoribus, latronibus et ebriosis, atque rapacibus præesse Angelum sanctum; ut maculetur in hujusmodi actibus hominis, cui datus est custos. Sed est homo quidem in tempore infidelitatis suæ, et peccatorum suorum, ex infidelitate nascentium, sub Angelis Satanæ et spiritibus malignis, et immundis dæmoniis. Cum autem susceperint fidem, hunc Christus qui est Redemptor, qui pretio sui sanguinis eum redimit a malignis dominis credentem in Deum, tradit eum Angelo sancto et propter mundítiem semper videnti faciem Patris.* Contrarium tamen sentit alibi, puta tomo 13. in Matth. et hom. 35 in Lucam, ubi docet singulis hominibus Angelos designari. " ✻

Collige 2. Quod Christus Dominus Angelum Custodem non habuerit; « quia, inquit Seraphicus Doctor *dist.* 11. *quæst.* 3, Christus « non indigebat Angeli custodia, nec ipsa eum decebat; non egebat, « inquit, quia adversarius ejus nec poterat opprimere per violentiam « Corpus Divinitati unitum; nec poterat seducere per astutias intellectum a Verbo plenarie illustratum; nec poterat allicere per blan« dicias affectum plenitudine gratiæ confirmatum: ideo Christus non « indigebat Angelo bono, nec quantum ad defensionem Corporis, nec « quantum ad eruditionem operationis, nec quantum ad incitationem

« affectionis. Non solum autem non indigebat angelica custodia, sed « nec etiam ei competebat. Custodia enim in custodiente respectu « custoditi, dicit præsidentiam quamdam : et quia Angeli Christo Do- « mino suberant, non præerant ; ideo nec aliquod officium præsiden- « tiæ ipsis Angelis respectu Christi committi debebat, et propterea nul- « lus Angelus debuit deputari ad custodiendum Christum, sed Ange- « lorum multitudo debuit deputari ad ejus ministerium. » — *Confir- matur*, ex eo quod egeamus Angelo Custode propter tres potissimum causas : prima ut nos doceat et instruat ne decipiamur : secunda, ut moneat et hortetur ad bene agendum : tertia, ut removeat occasiones et pericula peccandi : at Christus nullo eorum indigebat : primo, quia erat majori scientia præditus, quam omnes Angeli : secundo, quia cum esset plenus gratia poterat seipsum excitare ad bene agendum : tertio, quia intrinsece erat impeccabilis propter unionem hypostaticam, gra- tiam, et gloriam : qui ergo custodit Israël, imo Custos est omnium, ipse Angelo Custode opus non habuit.

Dices : Angeli delegati sunt ad Christi custodiam : ergo revera An- gelos Custodes habuit. *Probatur antecedens* ex illo Psal. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te, etc.* quem Psalmum de Christo scriptum fuisse plurimi SS. Patres testantur. — *Deinde* mœ- rentem solari, et deficientem roborare, officium est et munus Angeli custodientis ; sed *Luc.* 22. legimus quod Christo, dum ejus anima tri- stis esset usque ad mortem, *astitit Angelus Domini confortans eum ;* ergo Christus habuit Angelum Custodem. — *Denique* Christus secun- dum naturam humanam minoratus est paulo minus ab Angelis : ergo eorum ministerio et custodia sicut cæteri homines egebat. — Nego has omnes consequentias, et ad primum *antecedens*, dico quod quam- quam nonnulli SS. Patres illa Psalmi verba de Christo interpretentur, nihilominus cæteri contendunt non de Christo, sed de quolibet homine justo a Davide scripta fuisse. Adde quod si de Christo accipiantur, possunt intelligi, non de custodia Christi adversus dæmones, quorum erat expugnator ; Angelorum nempe auxilio opus non habuit, ut ipsos vinceret, sed tantum de ministerio quodam externo, quod ipsi impen- derunt. Hinc Matthæi 4. legimus quod devicto diabolo, *accesserunt Angeli, et ministrabant ei*, nempe Christo. — Ad secundum *antecedens*, dico cum Alensi supra laudato *art.* 2. quod duplex est confortatio, una auctoritativa, altera ministerialis ; prior auctoritatem importat, po- sterior amicitiam, et reverentiam sonat : priori modo Dominus servum solatur, ei nempe gratias et beneficia largiendo : posteriori servus Dominum, ipsi quædam excitantia ad liniendum dolorem submini- strando, solari potest. Sic inquit S. Damascenus lib. *De Fide* cap. 3. *Angelus Christum Dominum confortavit, non quidem proponendo ipsi aliquid quod ipsum lateret, sed tantum ipsi repræsentando, quod, quid- quid gerebatur a Divino Patre decretum fuerat ; exinde quod Deo summa gloria, et hominum salus erat oriunda. — Ad tertium dico,* quod etsi Christus dicatur minoratus ab Angelis ratione passibilis hu- manæ naturæ, numquam tamen sic minoratus est, ut eorum præsidio et regimine opus habuerit : in quolibet enim statu etiam passionis, et mortis, Angelorum supremus Dominus extitit, et eis ad nutum im- peravit.

Collige 3. Quod Beatissima Virgo, quamquam gratiis illustrata, et stipata virtutibus, quia tamen intrinsece non erat impeccabilis, sed tantum extrinsece per specialem protectionem, et quatenus erat in gratia confirmata, censent omnes Theologi cum S. Bernardo 77. ipsam habuisse Angelum Custodem, quem arbitrantur fuisse S. Gabrielem, qui ut S. Ambrosius scribit, *ipsam consolabatur in angustiis, et divina ipsi mandata, et arcana intimabat.* Scribit autem Andreas Cretensis non solum illam habuisse Angelum Gabrielem Custodem, sed ut erat Regina cæli, et Angelorum Domina, multis ipsorum turmis fuisse circumdatam, quæ Angelica agmina regebat, et ordinabat S. Gabriel. ait Gregorius Nicomediensis *in oratione de Maria in templo præsentata.* Idque prænunciatum fuisse videtur *Canticorum* 7. ubi *Sunamitis*, quæ sanctissimæ Virginis specimen præferebat, dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata: chori enim castrorum sunt cælestium Civium agmina, atque legiones cælestes, quæ sanctissimam illam Virginem tuebantur, et solabantur.

Collige tandem, quod etiam Protoparentibus in statu innocentiæ deputati fuerint Angeli Custodes, ut docent Alensis, necnon et Seraphicus Doctor: tum quia Deus promptior est ad miserendum, et succurrendum, quam ad damnandum: ergo si in statu naturæ innocentis permisit, ut Angelus malus hominem infestaret et tentaret, potiori jure debuit ipsi delegare Custodem Angelum, qui cum ipso adversus impugnantem diabolum depugnaret; maxime cum scripserit Ecclesiast. 23. *Contra bonum malum, et contra vitam mors, et sic intuere in omnibus operibus Altissimi unum contra unum, et duo contra duo.* Tum quia ideirco nobis deputati sunt Angeli Custodes, ut per eorum auxilium a malo revocemur: sed homo in statu innocentiæ opus habebat a malo removeri, siquidem peccare poterat: ergo ad id egebat angelica custodia. *Denique*, ideo bonus Angelus homini deputatur in custodiam, ut nempe eum defendat ab oppressione contra violentiam, inquit Seraphicus Doctor *qu.* 2. ut eum erudiat, et dirigat contra fallaciam, et exhortetur, et inducat ad bonum contra blanditias: cum ergo diabolus in statu innocentiæ Protoparentum rationem seducere poterat per astutiam, voluntatem ad malum deducere per blanditias, et virtutes per quamdam violentiam opprimere, siquidem homine innocente erat fortior et astutior, et in proposito malitiæ pertinacior: ide congruum erat homini innocenti concedi angelicam custodiam, quatenus adversus tam formidandum hostem repugnare posset.

Conclusio tertia. — Angeli non solum hominibus, sed et ceteris rebus deputantur in Rectores, Administratores, et Custodes.

Probatur hæc veritas, primo quidem auctoritate SS. Patrum, maxime S. Augustini, qui lib. 83 q. 79. ait: *Unaquæque res visibilis habet Angelicam potestatem sibi præpositam.* Quæ utique sententia confirmari potest ex Scriptura; nam Apocalypsis 14. dicitur: *Et alius Angelus exivit de altari qui habebat potestatem super ignem:* et cap. 15: *Audivi Angelum aquarum dicentem: justus es Domine, etc.*, ubi Arethas ait: *Hinc scimus angelicas potestates præpositas esse creaturis: hanc quidem aquis, hanc autem igni, hanc vero alii cuidam particulari*

creaturæ. Hinc Origenes 8. in Jeremiam docet quod *Omnibus rebus Angeli præsident tam terræ, et aquæ, quam aëri, et igni, idest principalibus elementis, et in hoc ordine pervenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra Cœli.* Idem Homilia 23. ait; *Virtutes cœlestes mundi hujus ministeria suscepisse, ut illa terræ vel arborum germinationibus, illa fluminibus, ac fontibus, alia ventis, alia marinis, alia terrenis animalibus, vel singulis e terra gignentibus præsint, et esse in his singulis Sacramenta ineffabilia divinæ dispensationis in ordine suo cuncta, et competenti per unamquamque virtutem dirigentur officio.* — ✳ " Et lib. 8. contra Celsum, respondens ipsius assertioni qua contendebat dæmones præesse omnibus mundi partibus, et earum dispensationi, scribit: « Nos vero dicimus sine præsidio invisi- « bilium, ut ita loquar, agricolarum aliorumque administratorum, qui « non solum terræ proventibus, sed etiam aquæ et aëri provident, « terram non ea ferre, quæ natura regi dicuntur, aquam in fontibus « et fluviis ultro nascentibus non irrigare et fluere, aërem non ser- « vari incorruptum vitamque ipsum respirantibus non impertire; sed « administratores illos invisibiles non dicimus esse dæmones. Et si « quid audacter dicere oporteat, si quas hisce in rebus partes habeant « dæmones, dicemus illis famem, arborum vitiumque sterilitatem, « immodicos calores, aëris corruptionem ad perniciem fructibus affe- « rendam mortemque interdum animantibus et pestem hominibus « interendam tribui oportere. Horum omnium auctores sunt dæmo- « nes... Non a dæmonibus accipimus singula victui necessaria, præ- « sertim, qui eis decenter uti didicimus, neque cum dæmonibus « epulantur, qui fruuntur frugibus, vino, arborum fructibus, aquis, « aëre, sed potius cum divinis Angelis quibus horum omnium cura « mandata est... Dum igitur in gloriam Dei edimus, bibimus, spira- « mus et cætera eadem ratione facimus, non epulamur cum illo « dæmone, sed cum Angelis Dei, quia omnis creatura Dei bona est, « et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: san- « ctificatur enim per verbum Dei et orationem. Non autem decuis- « set nec licuisset has res consecrari, si commissæ essent curæ dæ- « monum. » " ✳

Præcipue autem sancti Angeli deputantur ad custodiam Provinciarum, Ecclesiarum, et Communitatum. Quod enim pro Regnorum custodia peculiares Angeli destinentur, satis aperte colligimus ex illo Danielis 10. ubi Daniel Gabrielem alloquens, ait: *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi, et ego remansi ibi cum Principe Regni Persarum;* et infra: *Nunc revertar ut prælier adversus Principem Persarum: Cum ergo egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens, etc.* Quibus verbis mentio fit Angelorum destinatorum ad custodiam Judæorum, Persarum, et Græcorum, ut interpretatur S. Dionysius c. 9. *De Cœlesti Hierarchia;* et Theodorus *lib.* 5. *De Divino decreto cap.* 7; Hieron. in illa verba, et Gregorius *lib.* 17. *Moral.* Qui omnes censent ibi fieri mentionem de sanctis Angelis, inter quos licet nulla sit pugna nec discordia, sed omnes summa pace fruantur, juxta illud Job. 25. *Qui facit concordiam in Sublimibus suis;* nihilominus absque præjudicio pacis et charitatis, suis precibus invicem apud

Deum pugnabant: Gabriel quidem partem Judæorum agens Deum exorabat, ut Israelitas a captivitate solveret, quippe cum pollicitus fuerat ejusmodi captivitatem non amplius septuaginta annis duraturam, quod tempus pene jam effluxerat. Alii vero duo Angeli Persis et Græcis in custodiam assignati, Deum enixe deprecabantur, ut diutius Judæi apud Græcos et Persas incolatum protraherent; quia nempe plurimi ex infidelibus Judæorum doctrina illustrati, idolorum cultum respuebant, et verum Deum venerabantur: et ita invicem precibus pugnabant, quia quid Deus facere decreverat eis non erat adhuc compertum: unde postquam S. Michaël, qui tribus illis Principibus erat superior, divinam eis voluntatem manifestasset, tunc maxime concordes extiterunt. — *Confirmatur* hæc veritas ex illo *Deuteronomii* cap. 2. ac 30. ubi legimus: *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israël.* Septuaginta Interpretes vertunt. *Juxta numerum Angelorum Dei.* Hinc Origenes Hom. 35. in Lucam ex eo loco concludit: *Quod Principibus, idest Angelis, ab exordio terra divisa sit.* Sic etiam Theodoretus in illud caput Danielis cum dixisset: *Singulis Angelis uniuscujusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant, et tueantur, et a pravi dæmonis nos liberent insidiis*: ex Matth. 18. cap. concludit: *Archangelis vero illud munus impositum, ut Gentium sint præfecti, sicut beatus Moyses docuit, cujus dictis beatus item Daniel consentit cum dicit ipse regni Persarum Principem: et rursus paulo post Principem Græcorum.* Hoc ipsum testantur quique SS. Patres, imprimis vero Clem. Alex. lib. 6. Strom. ubi ait: *Per Gentes, et Civitates divisæ sunt Angelorum præfecturæ:* et lib. 7. *Jussu divino, et antiquo per Gentes sunt distributi Angeli.* Hoc ipsum docet S. Basilius lib. 2. adversus Eunomium ubi affirmat: *Singulis fidelium adesse comites Angelos, sic Gentibus alios præesse: et quo præstantior est gens integra singulari aliquo viro, eo potiorem esse dignitate præsidem gentis Angelum, quam illum cui unius cujuspiam cura committitur.* Similiter Epiphanius hæresi 51. *Regna*, inquit, *et Gentes sub Angelis posita sunt.* Idem passim edocent cæteri SS. Patres. — Similiter non absque re censent Doctores Theologi quod cum nationibus populisque præsint Angeli, multo magis Ecclesiis, templis, ac cœtibus religiosis. *De Ecclesiis* quidem Apoc. 1. cap. testimonium extat, ubi septem Ecclesiis totidem præsides Angeli nominantur, ut interpretatur Origenes Hom. 20. in Numeros: *Secundum ea, quæ Joannes in Apoc. scribit* inquit, *unicuique Ecclesiæ generaliter Angelus præest.* Et Hom. 13. in Lucam dicit, in singulis Ecclesiis duos Episcopos præsidere, alterum visibilem, alterum invisibilem. ✳ " *Ergo*, inquit, *et in cœtu nostro adesse Angelos, non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam sigillatim, de quibus Salvator: « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. » Duplex hic adest Ecclesia, una hominum, altera Angelorum. Si quid juxta rationem, et juxta Scripturarum dicimus voluntatem, lætantur Angeli, et orant nobiscum. Et quia præsentes Angeli sunt in Ecclesia, in illa dumtaxat qua mœretur, et Christi est, propterea orantibus fœminis præcipitur ut habeant velamen supra caput propter Angelos, utique illos qui assistant sanctis, et lætantur in Ecclesia.* Hoc ipsum " ✳ confirmat Ambrosius lib. 2. in Lucam, ubi ait: *Non solum Epi-*

scopus ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit. Subscribit Greg. Naz. oratione 32. *Nec enim,* inquit, *mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum Præsides, ac Patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet.* — Hinc non mirum si plurimi viri sanctissimi Ecclesiæ Præsules Angelos suarum Ecclesiarum custodes in ministeriis etiam sensibiliter adlaborantes habuerint: nec pariter in dubium revocari debet, quod pleræque referunt Historiæ, nempe pluries apparuisse S. Angelos in Templis quibus custodiendis sunt destinati. Sic in *Prato spirituali cap.* 1. legimus, quod Leontius Abbas Monasterii Lauræ vidit in cornu altaris stantem Angelum qui dixit ei: *Ex quo sanctificatum est altare istud, ego ei jugiter adstare jussus sum.* Similia refert Lanspergius de S. Geltrude Virgine, etc. — Quod autem maxime Religiosorum cœtibus custodiendis adsint, pluribus probat noster *Le Petit cap.* 17. *sect.* 1. *De SS. Angelis;* præcipue vero ex eo quod angelicam vitam religiosi æmulentur; amant enim Angeli concives suos, et suorum contubernalium summopere curam gerunt.

*" APPENDIX.

His adjicienda est veterum Philosophorum a Theologis improbata opinio, nimirum quod hominibus singulis geminus adsit Angelus a Deo consignatus, bonus alter, alter malus, quorum ille hominum salutem, hic eorum ruinam et perniciem meditetur. Quam opinionem imbiberat Origenes, ut apparet ex lib. 1. in epist. ad *Romanos;* necnon homil. 23. in *Josue* et 35. in *Lucam;* necnon et lib. 3. *De principiis,* cap. 2. Quin etiam singulis hominibus non unicum tantummodo Angelum, unicumve dæmonem, sed totas Angelorum dæmonumque cohortes adjungit, homil. 4. in Ps. 36: *Nunquam enim,* inquit, *solus est justus, sed ne unius quidem, aut duorum vel trium tantummodo Angelorum societate subnixus est, sed exercitus ei virtutum cælestium præsto est.* Quod non ad spiritalia tamen bona conferenda restringit, sed ad corporea etiam prorogat homil. 26. in *Jos. Constat ergo multas esse virtutes intra nos, quibus vel animarum nostrarum, vel corporum cura permissa est.* Cui defendendo utitur scriptione quadam apocrypha, quam Enochi librum esse suspicari possis, homil. 35. in *Luc. Legimus,* inquit, *si tamen cui placet hujusmodi scripturam recipere, justitiæ et iniquitatis Angelos super Abrahæ salute disceptantes, dum utraque turmæ suo eum cœtui volunt vindicare.* Profert insuper ad horum confirmationem exemplum illius dæmoniaci cujus fit mentio Luc. 8. v. 30; et Marc. 50. v. 9. Nam interrogatus dæmon qui eum hominem miserum tractabat, quodnam ipsi nomen esset, respondit interroganti Christo: *Legio,* qua voce significabat tot homini illi adesse dæmones intestantes, quot in militari legione numerari solebant pugnatores. Unde colligit Origenes vitio unicuique præesse dæmonem unum tanquam dominatorem et principem, cui plures ad istud vitium propagandum dæmones inferiores subserviant. Cum autem multis simul vitiis homo laborat, tunc a multis simul dæmonibus obsidetur et infestatur. — Illam autem de gemini Angeli boni et mali satellitis doctrinam quam ex Hermæ libro inscripto *Pastore* et S. Barnabæ epistola confirmat hausisse videtur a Platonicis. Nam Theodoretus, Serm. 3.

de curandis Græcorum affectionibus ex Platone, libro 10. *legum*, hæc protulit verba: *Cum autem dicis animam gubernantem et insitam omnibus quæ ubique moventur, cælum quoque gubernare illam necessario dicendum est. Quid igitur? Unam ne an plures? Ego pro vobis respondebo: Ne pauciores duabus statuamus, eam quæ bona conferat, et eam quæ contraria possit efficere.* Eadem fuit Platonis sequacium de plurimis geniis singulis hominibus assignatis opinio. Porphyrius namque varios cuique homini assignatos dæmones seu genios, quorum unus corporis, alius animæ, alius mentis regimen et curam habeat. Quin etiam multo plures cuique dæmones adesse pronuntiat, ita videlicet, ut alius nati sanitatem, alius pulchritudinem, alii quamdam in his habitudinem curent, unusque illis æque præsit. Cui *Iamblicus* negaudo respondet: *dæmonem unum non alicui parti nostrum præesse dumtaxat, sed toti simul adesse, totum ducere, quemadmodum a totis, qui in mundo sunt, ordinibus est attributus.* Iterum *Porphyrius* introducit contrarietatem tamquam dominantium dæmonum, nam alios facit bonos, alios malos, cum tamen, teste *Iamblico*, nusquam mali spiritus sortem habeant præfecturæ, nec pari vel auctoritate vel numero ex adverso bonorum sunt distributi. *Magi* autem *præstantiores*, contra *Iamblichi* Monadem nitentes, *tres cuilibet homini, in ejus nativitate custodes seu dæmones attribuunt:* quorum *primum* appellant *Sacrum*, qui juxta Egyptiorum doctrinam, nec a stellis fixis, nec ab erraticis, sed a cælo superiori, videlicet ab empyreo per ipsum dæmonum præsidem Deum descendendi animæ rationali assignatur, dicuntque quod hujus officium sit vitam animæ dirigere, cogitationesque bonas menti semper exhibere, et assidue in nobis agere illuminando, quamvis non semper eum animadvertamus, sed quando purgati sumus, et tranquille vivimus, tunc a nobis percipitur, et quasi nobiscum loquitur, studetque assidue ad sacram nos adducere perfectionem. *Secundus* nuncupatur *Genius*, quatenus est genituræ dæmon qui a mundi dispositione siderumque circuitibus, qui in generatione versantur, descendit. *Tertium* vero nati dæmonem professioni et magisterio præesse volunt, quem a sideribus infundi tradunt, animæque mores, et viam ad dignitates ac honores mundanos præbere. Et quidem hoc experientia compertum et comprobatum asserunt, quod si professio cum natura nostra consentiat similis nobis atque cum Genio concors adsit professionis dæmon vitaque magis efficiatur tranquilla, felix atque prospera. At vero si in professione versemur naturæ Genii contraria vel dissimili, laboriosa nobis redditur vita et discordantibus actionibus perturbata etc. *Hæc illi*, in quibus nonnulla ethnicismum redolent." ✳

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM BENEFICIA PER SUAM CUSTODIAM NOBIS IMPENDANT ANGELI, QUÆVE OB EAM EIS REPENDAT DEUS, NOSQUE REPENDERE DEBEAMUS.

Notandum 1. Hoc fuisse Origenis paradoxum, ut putaret tutelares hominum Angelos non alia conditione visionem Dei obtinere quam si fidei suæ commissos ad salutem perducant. *Eam ob causam*, inquit homilia 23. et 35. in *Lucam*, *Angeli pro nobis solliciti sunt, scientes*

quod si nos bene gubernaverint, et ad salutem usque perduxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem Patris: Quomodo enim si per curam eorum, et industriam salus hominibus comparatur, faciem Patris semper attendunt: sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nesciunt. Et sicut bonus Episcopus, et optimus Ecclesiæ Dispensator scit sui meriti esse, atque virtutis, si oves gregis sibi creditæ fuerint custoditæ; ita intellige et de Angelis. Ignominia Angelo est, si homo justus creditus fuerit, et peccaverit: ut e contrario gloria est Angelo si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. Videbunt enim non aliquando, sed semper faciem Patris, qui est in Cælis, cum alii semper non videant. Secundum meritum enim eorum, quorum Angeli sunt, aut semper aut nunquam, vel parum, vel plus, faciem Dei Angeli contemplabuntur. Sed, et homilia 20. in *Numeros* idipsum docuit, *Culpari Angelos, tamquam Pedagogos, si eorum commissi curæ ab officio defleverint.* Quod Apocalypsis testimonio probat; ubi unicuique Ecclesiæ unus præesse dicitur Angelus, qui, inquit, *vel coloudatur pro benegestis populi, vel etiam pro delictis ejus culpatur.* Origenis errorem pridem sopitum et extinctum iterum excitavit Calvinus, nam Fevardentius noster in sua Theomachia Calvinistica *lib.* 9. *cap.* 19. refert Calvinum dicentem *lib.* 3. *Institutionum cap.* 14. Angelos non posse satisfacere justitiæ Dei; quia, ut idem Calvinus serm. 16. in *Job* scripsit, *Si Deus summo jure cum Angelis agat, inveniet, quod in eis desideret, non stabit in eis constans, et perpetua firmitas.* Et infra: *Deus non invenit in Angelis solidam veritatem, sed stultitiam, vanitatem, et inconstantiam.* Inferius autem declarat se loqui de Angelis, qui perstiterunt in obedientia Dei, et faciem ejus intuentur. Verum

Notandum 2. Hunc errorem pridem proscriptum esse a SS. Patribus, qui constantissime docent Angelos bonos cum prius peccare possent, non peccando in via, meruisse, ut amplius peccare non valeant. Sic docet Augustinus *in Enchiridio* 57: Fulgentius, *De Fide ad Petrum cap.* 23. Gregor. *lib.* 31. *Mor. c.* 4. Colligitúrque maxime hæc veritas ex verbis Christi quibus nos docuit Deum orare hoc modo, *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, et in terra;* per hæc enim petimus, ut nos voluntatem Patris in terra impleamus, sicut illam in Cælis implent Angeli. Nec enim dicere potuit Christus illa verba nisi propter Angelos; siquidem tunc temporis nullæ in Cælis erant creaturæ nisi soli Angeli: supponit ergo ab Angelis divinam voluntatem fidelissime, et perfectissime impleri; subindeque eos non posse peccare. *Adde quod* de Angelis prædicat David Psal. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius.* Unde quasi per Antonomasiam subdit: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem illius.* Denique si ut quis ingrediatur cælestem Hierusalem, debebat esse purus ab omni macula, juxta illud Apocalypsis 21. *Non intrabit in illam aliquid coinquinatum;* multo magis semper innocens esse debet, qui Dei visione semper donatur: siquidem ait David ad Deum Psal. 5. *Non habitabit juxta te malignus, nec permanebunt injusti ante oculos tuos;* at vero Angeli semper cum Deo permanent, siquidem de ipsis dicit Christus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Consequens est ergo eos nullatenus posse peccare, neque suam beatitudinem deperdere. Futile

est ergo, et prorsus erroneum commentum, arbitrari propter homines in peccatum labentes, Angelos esse culpandos, et puniendos, quasi sibi creditos non qua decebat vigilantia custodierint. Solum itaque superest examinandum an aliquid præmii propter impensam nobis suæ custodiæ curam a Deo recipiant; quod ut planius fiat,

Notandum 3. Duplicem solito distingui beatitudinem, Essentialem nempe, et Accidentalem: *Est enim*, inquit Seraphicus Doctor dist. 11. art. 2. quæst. 2, *duplex gaudium in Beatis: primum in quo consistit præmium substantiale, et hoc est gaudium de bono increato, quod habet Angelus de Deo, et in Deo:* nempe Deo fruendo per ejus unionem, et amorem. *Aliud est gaudium accidentale, quod habet Angelus de bono creato, sive proprio, sive alieno:* cujus quidem Scriptura plerumque meminit: ut Psalm. 149. cum dicitur; *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et Lucæ 15. *Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Huc etiam pertinet judiciaria potestas, quam voluntarie pauperibus Christus repromittit; imo et illud centuplum, quod præter æternam vitam idem Dominus Matthæi 19. spondet his, qui propter ipsum omnia reliquerint. Spectat etiam ad illam gloriam accidentalem aureola Virginum, Martyrum, et Doctorum, et similia, quæ suo modo, et cum proportione Angelis communia sunt. Licet enim eis proprie aureolæ non conveniant, quia non sunt capaces Virginitatis, aut Martyrii, tamen habent alia objecta proportionata, de quibus possint accidentaliter gaudere. — Sciendum insuper, quod nomine *accidentalis beatitudinis*, hic non intelligimus ea, quæ per se Dei visionem, amorem, et gaudium infallibiliter sequuntur; vel in universum, vel in unoquoque Beato, secundum modum suum; quales sunt v. g. memoria priorum bonorum operum cum lætitia, quæ ex hac oritur, item honor, et gloria Beatorum inter se, et apud Deum; qualiter etiam gloria corporum resurgentium respectu beatitudinis animæ, inter accidentales beatitudines numeratur. De hoc ergo genere beatitudinis accidentalis in præsenti non loquimur; licet enim hæc in Angelis etiam reperiatur, illa tamen non est augmenti susceptiva; quia hæc accidentaria beatitudo, vel ex natura rei, vel ex ordinatione divina consequitur essentialem beatitudinem infallibiliter; adeoque cum hæc non sit augmenti susceptiva, nec illa crescere potest. — Hic itaque tantum sermo est de beatitudine illa accidentali quæ consistit in quodam actu intellectus, et voluntatis circa objecta creata, qui essentialem beatitudinem non consequitur; sed ex peculiari Dei favore conceditur, ut sunt revelationes per Verbum de effectibus gratiæ, et contingentibus futuris, quæ Angeli a principio beatitudinis non noverant. Ejusdem rationis sunt gaudia, et alii affectus circa res sic cognitas, ut est illud gaudium de peccatore pœnitentiam agente. Gloria igitur, et gaudium ex his resultans, beatitudo accidentalis appellatur; quia non solum essentialem circumstat, sed etiam ab ea separabilis est per modum accidentis.

His ita prænotatis, tria supersunt determinanda: *Primum*, quænam beneficia per suam custodiam Angeli sancti nobis impendant. *Secundum*, qualem beatitudinem ob illam custodiam Deus ipsis retribuat. *Tertium*, quæ gratitudinis, et venerationis obsequia ipsis fidelissimis custodibus rependere debeamus.

Conclusio prima. — Sex sunt præcipua beneficia, quæ sancti Angeli per suam custodiam nobis largiuntur. Colligitur hæc Conclusio ex seraphico Doctore in 2. *dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 7. ubi cum dixisset: « credendum est, quod multis modis Angeli, qui nos « custodiunt, studeant promovere ad bonum, et retrahere a malo, quam- « vis hoc non percipiat hebetudo spiritus nostri: propter quod multi su- « perbiunt, multi fiunt ingrati, et frequenter sibi attribuunt, quod est « ex beneficio angelico, et ex hoc minus fiunt digni, ut ab Angelis ad- « juventur: perutile est ergo effectus angelicæ custodiæ nosse, et intel- « ligere: consueverunt autem a Magistris duodecim effectus assignari: « ea tamen omnia ad sex præcipuos reduci possunt ».

Primus est pro delictis increpare. Sic Judicum 2. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait: eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: Ita dumtaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: et noluistis audire vocem meam: Cur hoc fecistis? etc.*: Imo interdum contingit, ut etiam pœnas hominibus quos custodiunt, immittant: pœnæ enim hujus vitæ quædam ex pura justitia Dei vindicativa proveniunt, et *supplicia* appellantur: aliæ vero ex misericordia Dei ordinantur, et *pœnæ medicinales* vocantur: prioris generis pœnas immittit Deus per dæmones, juxta illud Psalmi 77. *Misit in eos iram indignationis suæ.... immissiones per Angelos malos: Utitur enim Deus Angelis malis*, inquit S. August. in hæc verba, *non solum ad puniendos malos, sicut in Rege Achab quem fallaciæ Spiritus ex Dei voluntate seduxit, ut caderet in bello: verum etiam ad probandos, et manifestandos bonos, sicut fecit in Job.* Posterioris generis pœnas etiam per Angelos bonos Deus interdum immittit, ut idem August. docet, lib. 9. *De Civit. Dei* cap. 5. ubi ait, *Sanctos Angelos sine ira punire, quos accipiunt æterna lege puniendos, et miseris sine miseriæ compassione subvenire.* Hæc eadem veritas ex Scriptura sacra satis aperte colligitur; nam juxta communiorem Interpretum sententiam munus puniendi homines peccatores aliquando per sanctos Angelos Deus exequitur: sancti enim erant Angeli missi ad subvertendam Sodomam Genesis 19. Sanctus erat Angelus, qui extendebat manum suam super Israëlitas, ut eos propter Davidis peccatum exterminaret. Unde potiori jure Deus interdum pœnis medicinalibus justum hominem castigat per Angelum bonum; quippe hæc punitio opus misericordiæ est, et maxime ad officium Pedagogi seu custodis pertinet; tum ut persona custodita divinæ justitiæ propter suas negligentias debitam pœnam persolvat; tum, ut his tribulationibus et afflictionibus vitam æternam promereatur, et meritum augeat.

Secundus effectus est a vinculis peccatorum absolvere, cujus rei specimen edidit Angelus ille, qui *Actorum* 2. Petro in vinculis ab Herode conjecto astitit, et catenas de manibus ejus solvit, eumque pristinæ libertati restituit. Quam utique peccatorum solutionem non præstant Angeli effective nec auctoritative, sed solum dispositive, dum nempe, inquit Cresolius *lib.* 3. *Mystag. c.* 3. hominibus peccato fœdatis lugendum eorum statum indito cœlitus lumine ita exhibent, ut hominum mentes videant scelerum turpitudinem, et monstrificam veluti

effigiem plenam horroris et contemptionis, intueanturque pestem ante oculos positam, crudele exitium, funestam calamitatem, et damnationem æternam, si subito illo in statu e corporis domicilio eripiantur. Inde fit, ut peccatores animadvertant Numinis iracundiam, arcana judicia formidabilia hominum generi, mucronem illum in divinis oraculis depictum : instar fulguris expolitum, et vibrantem, illius oculum penetrantem omnia, et retrusas animi cogitationes pervadentem, : insuperabilem potentiam, fortem manum, quam pœnas repetentem nullius hominis vis, dolusque effugiat. Tum blandius sui luminis radium injiciens Angelus in animum hominis peccatoris, perspicue illi ostendit sceleris intaniam, labem animi, inexplicabilem hominum stultitiam malo suo lætantium, ingratæ mentis indignitatem : insuper demonstrat divinæ gratiæ vim, et fortitudinem, quæ nequitia perditur, et qua perdita fit homo dæmonis ludibrium, herebi spolium, Cœli exul : ponit etiam ante oculos conscientiæ bonæ lætitiam, quæ omnem corporis voluptatem liquido animi gaudio, et jucunditate antecellat. Hæc, et similia Angelus tutelaris noster nobis interdum ingerit, ut a tœtido peccatorum statu nos vel removeat, vel revocet.

Tertius effectus est, dæmones coercere ne tam graviter tentationibus nos urgeant, neve tot pravas cogitationes immittant, aut occasiones peccandi subjiciant: nam, ut loquitur Granatensis concione de S. Michaële, *Quamdiu in corpore militamus, non desunt spiritus nequam, qui sint ad malum incentores ; sic etiam non desunt Angeli, qui sint ad bonum hortatores, qui videlicet bona nobis ad veritatis cognitionem præferant, qui eam quæ ituri ad Cœlum monstrent : qui ab hostibus tueantur, qui a sceleribus arceant, et ad honesta semper inducant.* Sicut ergo illi mala semper suggerunt, ita e contra isti semper honesta suadent, et adversantis nobis diaboli vires, et virus reprimunt. Sicut ergo de S. Angelo Raphaële apud Tobiam legimus, quod *apprehendit dæmonium, et relegavit illud in deserto superioris Ægypti :* ita Angeli nostri custodes terroris sunt ipsis dæmonibus inimicis nostris, et maxima potentia illorum furorem compescunt ; sunt enim illi sexaginta fortes ex fortissimis Israël qui lectulum Salomonis mystici, nempe animam fidelem, Christi Domini triclinium, et sacrarium ambiunt : *Fortes enim*, inquit sanctus Athanasius lib. qq. q. 22. *Angeli Dei sunt, qui perfectum virum circumeunt, et circa ipsum incedunt*, ut nempe a dæmonum incursibus, et occursibus tueantur et servent.

Quartus effectus est obstacula ad virtutem removere, et facilem ad ejus assecutionem viam sternere : quod utique signatur in Exodo, ubi legimus, quod Angelus percussit primogenita Ægypti : siquidem ad eorum custodiam maxime spectat tollere impedimenta spiritualis profectus ; in via namque virtutis non proficere, deficere est ; hinc merito de Angelo custode cecinit Vates Regius: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Unde S. Augustinus in Soliloquio cap. 27: *Sancti Angeli ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant, et exeunt nobiscum, attente considerantes, quam pie, quam honeste in medio pravæ nationis conversemur : quantoque studio, et desiderio quæramus regnum tuum, et justitiam ejus : quantoque timore, et tremore serviamus, et exultemus tibi in lætitia cordis nostri.*

Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, etc. Unde monet S. Bernard. serm. 2. in prædictum Psalmum: *Sancti custodes nostri fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, ut in protectione Dei Cœli commoremur.*

Quintus effectus est orationes eorum quos custodiunt offerre Deo, quamdiu in terris hanc mortalem vitam agunt, et eis in mortis instanti adesse, ut eorum animas si cujusvis debiti, et delicti expertes sint, in Cælum deducant. Idque colligitur ex Tobiæ 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino:* quæ verba expendens S. Augustinus sermone 3. *De Natali Domini* ait: *Vota nostra, et opera bona Deo offerentes, videlicet eleemosynas, jejunia, et alia denique, ut constat de Raphaële, qui non solum orationes Tobiæ Deo offerebat, verum etiam et ejus eleemosynas, et alia bona opera, quæ exercebat circa mortuos, quos sepelichat.* Unde in Actis Angelus ait: *Orationes, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei:* quasi diceret: illas Deo obtuli. Cum autem preces offerunt, et desideria nunciant, rationes etiam Deo allegant, ut nos exaudiat, et suas preces nostris conjungunt; et quo ferventiores sunt, et ardentiora ac puriora desideria, eo libentius illa Deo annunciant et offerunt: idque maxima præstant eloquentia, ut colligimus, ex eo quod habetur apud Jobum cap. 3. *Si fuerit,* inquit, *pro eo Angelus loquens unus de millibus, annuncians hominis æquitatem.* Paguinus, et Regia impressio vertunt *eloquens;* nam sicut solent Oratores bene composita, præmeditataque oratione uti, ut eos quos alloquuntur, ad id quod intendunt inducant; ita Angeli dum nostras preces Deo offerunt, nulli dubium est, quin id maxima eloquentia præstent, ut illas Deus exaudire dignetur. — Idem suadet sanctus Bernardus ex illis Psalmistæ verbis 67. Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus: *Credimus,* inquit, *sanctos Angelos astare orantibus, offerre Deo preces et vota hominum.* Ad quod etiam facit visio Jacob, de qua in *Genesi* cap. 28. legimus: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens Cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, etc.* Quem locum explicans Origenes *lib.* 5. *Contra Celsum,* ait: * " *Fatemur quidem et Angelos esse ministratorios quosdam spiritus, crebro mittente Deo commeantes ad eos homines quos manet salutis hæreditas, hosque modo ascendere ad purissima loca cœlestia, et puriora etiam supra cœlestia, oblaturos preces hominum; modo rursum descendere ad homines, reportando illinc aliud in usum singulorum, ut quisque est dignus beneficio.* Similiter S. Augustinus lib. 2. *Medit.* cap. 3: *Dicuntur Angeli orationes et vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant, quia omnia antequam fiant, sicut et postea quam facta sunt, novit; sed quia ejus voluntatem super his consulunt, et quod Deo jubente completum esse cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter reportant. Unde hominibus ait:* « *Cum orastis orationem vestram obtuli Deo* ». *Similiter et nos oramus, non ut Deum doceamus, quasi nesciat quid velimus, et quo indigeamus, sed necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quod fiat.* — Similia habet Tertullianus, lib. *De oratione,* cap. 12. *scribit,* invehitur in eos qui absque debita religione, modestia et at-

tentione adorationem Deo faciendam accedunt. *Siquidem*, ait, *irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem quammaxime revereris ac veneraris: quanto magis sub conspectu Dei vivi Angelo adhuc orationis adstante factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo quod nos oratio fatigaverit.* Ubi vocat *Angelum orationis*, vel quod ipse nostris orationibus præsideat, vel quod ipsas excipiat atque Deo præpotenti eas offerat. Qua de re audiendus est S. Augustinus, serm. 7. de tempore, ubi sic scribit: *Putamus quam dulce est, quando vota nostra talia qualia dixi, Angeli qui custodes vitæ nostræ, ante conspectum divinæ Majestatis obtulerunt.* Luc. 1. *Omnis multitudo populi erat orans foris, hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi.* Act. x. Cornelius centurio *vidit in visu manifeste quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se et dicentem sibi etc: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et in Soliloq. c. 27: *Diligunt*, inquit, *concives suos per quos suæ ruinæ scissuras restaurari exspectant. Ideoque* " ✳ *magna cura, et vigilanti studio adsunt nobis, solliciti, discurrentes inter nos, et te, Domine: gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem.* — Hanc eamdem veritatem egregie declarat S. Hilarius in Matthæum c. 18. *Angeli*, inquit, *pusillorum, præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvandorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria, ac postulationes ad æternum, et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu, ac ministerio pervehuntur.* — ✳ " Hæc eadem veritas Philosophis ethnicis fuit comperta. Scribit enim Appuleius libro *De Deo Socratis: Cæterum sunt quædam divinæ mediæ potestates, inter summum æthera et infimas terras in isto intersiti aëris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad Deos commeant. Hos græco nomine* δαίμονες *nuncupant, inter mortales cœlicolasque rectores, hinc precum, inde donorum.* " ✳ — Tandem idipsum suadetur ex his verbis Apoc. 8. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo:* quibus significat quantam vim preces, et bona opera accipiant, dum ab Angelis offeruntur. Sicut enim incensa, et aromata nisi prunis imponantur, parum olent; igni vero imposita, longe lateque redolent, non aliter orationes nostræ, et opera, quæ per se forte parum valerent, dum tamen Angelorum precibus sunt intermixta, et illis commendationes suas adjungunt, et sic ab illis Deo offeruntur, multum valorem ex offerentibus accipiunt. Quod utique luculenter explicat S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 1. ubi ait, eorum precibus, et meritis orationes nostræ sortiuntur effectum, et nostra opera bona a sua divina majestate sunt accepta. — ✳ " Hinc Patriarcha Jacob in somno mystico vidit scalam a terra in cælum pertingentem atque in ea Angelos ascendentes et descendentes, ascendentes quidem ad Deum ut ipsi hominum orationes et vota ac bona opera offerant, descendentes vero a Deo ad homines ut eis divina beneficia largiantur; quod S. Augustinus egregie explicat in commentario ad psalm. 41: *Ascendunt*, inquit, *et descendunt Angeli Dei super filium hominis, quia sursum est ad quem ascendant corde, idest caput ejus, et deorsum filius homi-*

nis, idest corpus ejus. Ascenditur ad caput, et descenditur ad membra. " ✻ Qui autem durante hac mortali vita tanta charitate nobis opitulantur, etiam animabus nostris e corporibus solutis non desunt. Nam si omnino puræ, sine macula et ruga venialis culpæ, aut reatus alicujus pœnæ ab hac vita decedunt, a suis Angelis custodibus, et interdum simul ab aliis juxta varia earum merita, et divinæ Providentiæ dispositionem usque ad Cælum deducuntur. Si autem aliqua purgatione indigent, sancti Angeli eas deducunt usque ad Purgatorii locum, ibique eas visitant, et consolantur. Hoc imprimis colligitur ex Lucæ 16. ubi de Mendico ait Christus Dominus : *Factum est autem ut moreretur Mendicus, et portabatur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ubi Chrysost. in speciali Homilia: « *Portabatur*, inquit, in humeris Angelorum, ne « saltem ambulans laboraret: Num sufficeret ad portandum unus An« gelus ? sed propterea plures veniunt, ut eorum lætitiæ faciant. Gau« det unusquisque Angelorum tale onus tangere, libenter talibus one« ribus prægravantur, ut adducant homines ad regna Cælorum ».

Sextus tandem effectus est mœrentium consolatio. Sic leginus *Genes. 32.* quod *Angelus consolatus est Agar fugientem a facie Domini sui, dixitque ei: Revertere ad Dominam tuam, et humiliare sub manu ejus :* et sic ejus mœrorem, et tristitiam dum esset in solitudine fugitiva abstersit. Constat etiam de Gedeone, ad quem consolandum misit Deus Angelum, qui honorifice eum salutavit, dicens : *Dominus tecum, virorum fortissime*, ut exanimatum animaret, et de fuga cogitantem retineret. Sic Angelus Raphaël consolatus est Tobiam cum ei dixit, loquens de filio suo, quem ad peregrinandum suscipiebat ducendum, Tobiæ 5. *Ego sanum ducam filium tuum, et reducam.* Sic in reditu dum ipsum ejus filium sanum et incolumen ei repræsentavit, non minori consolatione eum recreavit. Sic Eliæ apparuit unus Angelus, amaritudine confectum animum cælesti consolationis rore perfundens, et oblato subcinericio pane deficientes præ itineris fatigatione, et famis inedia, corporis vires reparans.

Plurima alia angelicæ consolationis argumenta Scriptura sacra subministrat, quibus constat ingentia SS. Angelorum erga nos esse beneficia, quæ tanto majori affectu nobis impendunt, quod nedum hac in re divinis mandatis obsequantur, sed etiam flagrantissima erga nos charitate æstuent : *Neque enim*, inquit Blosius in dictis Patrum, *ulla unquam mater erga unice dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumque vigilavit, uti hi beatissimi Spiritus saluti invigilant, et præcipue Angelus proprius nostræ speciatim custodiæ a Domino deputatus : nam nocte, et die, omni loco, et tempore, in cunctis causis, et necessitatibus nostris summa cum fidelitate nobis adest, et ne ad momentum quidem unquam a nobis recedit.* Sane cum cælestes illi Spiritus videant, et cognoscant, quam admirabili, immenso, atque ardenti amore, et noster, et ipsorum Dominus nos prosequatur, ita etiam et ipsi tanta dilectione nos complectuntur, ut a nullo digne id queat exprimi. — Hæc omnia luculenter declarat sanctus Bernardus *sermone.* 1. *De sancto Michaële ;* « hic est, dilectissimi, funiculus triplex, « quo de excelso Cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, « ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, pro« pter Deum, propter nos, propter seipsos. *Propter Deum* utique, cujus

« tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque, ut dignum est, imi-
« tantur. *Propter nos*, in quibus nimirum propriam similitudinem mi-
« serantur. *Propter seipsos*, quorum ordines instauraudos ex nobis toto
« desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum, qui lacte modo ve-
« scuntur, et nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis
« divinæ, cujus habentes primitias Angelici Spiritus beata nimirum
« delectatione fruuntur : sed tanto avidius nos expectant, quanto con-
« summationis ejus expectatione, et expositione sollicitantur. »

Conclusio secunda. — Angeli custodes ob impensa nobis ab eorum obsequiis cælica beneficia, gaudii accidentalis incrementum a Deo recipiunt : ita communiter Doctores Scholastici, cum nostro Alensi 2. *part. quæst.* 11. *membro* 6. et Seraphico Doctore *dist.* 11. *q.* 2. ubi cum duplicem hac de re opinionem retulisset : quarum prima affirmabat in beatis Angelis ex hominum salute crescere gaudium essentiale simul et accidentale ; non solum extensive, sed etiam intensive, eo quod hujus sententiæ Sequaces censerent Angelos nondum esse perfecte beatos, licet sint in gratia confirmati : secunda vero contendebat neutrum gaudium, tam essentiale, quam accidentale crescere intensive, sed solum extensive, sicut eorum charitas non est nunc major, quam fuerit ab initio, quamvis plures nunc diligant, quam tunc : tandem concludit, tertiamque sententiam instituit, nempe quod in Angelis nullatenus præmium, et gaudium essentiale augeatur : « quia, inquit, quantum ad illud, per-
« fecte beati sunt : sed gaudium, in quo consistit præmium accidentale,
« non solum extensive, verum etiam intensive, et ratione boni proprii, et
« ratione conjuncti ; quia ministrando aliis, bona opera faciunt, in quibus
« præmium accidentale meréntur, et etiam conjuges suos ad beatitudi-
« nem perducunt, super quibus absque dubio gaudent, et gratulantur :
« et hæc positio tertia videtur esse probabilior, et secundum hanc patet
« resp nsio ad partes oppositas : nam rationes ostendentes, quod ex
« nostra beatificatione Angelis accresceat gaudium, concludunt solum
« de gaudio accidentali, quod est circa bonum creatum, in quo tamen
« non consistit essentialis præmii augmentatio. » Eamdem sententiam amplectitur, et docet Gabriel *art.* 3. *dubio* 2. affirmatque Angelos, quantum ad illud gaudium accidentale, non esse in termino, sed in via ; quia priusquam detur, carent illo, unde possint illud mereri, adeoque propter meritum ipsis a Deo conceditur. — *Verum* vix adduci possum ut credam, Angelos aliqua ex parte adhuc esse Viatores, et aliquatenus posse novum præmium promereri. Ut enim aliquis sit in statu merendi, non satis est quod careat re aliqua ; sed ultra necessum est quod sit in via ad merendum destinata ex divina ordinatione ; quæ via regulariter in Angelis, et hominibus, est status fidei, intuitivæ Dei visioni oppositus. *Adde, quod*, gaudium illud accidentale sufficienter intelligi possit Angelis a Deo concedi, absque eo quod illud promereantur ; illud enim gaudium de novo suscipiunt Angeli, vel ex nova præsentia objectorum, et absque peculiari revelatione vel illuminatione ex parte Dei aut Angelorum Superiorum, sicut gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, quia ejus pœnitentiam cognoscere possunt per scientiam propriam : unde cum summa charitate homines diligant, ita de illorum salute lætantur ; nam, inquit Augu-

stinus cap. 27. Soliloquiorum, *Quoties bene agimus, gaudent Angeli, et tristantur dæmones: Quoties a bono deviamus, diabolum lætificamus, et Angelos tuos suo gaudio defraudamus: Gaudium est enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente; sed diabolo super uno Justo pœnitentiam deserente.* Hoc modo autem gaudium consequuntur Angeli absque ullo suo merito. — Vel dici potest, quod augmentum illius gaudii proveniat ex eo quod aliquid de novo reveletur Angelis in ordine ad sua ministeria : ut quando Gabrieli Archangelo revelata fuit Incarnatio tali tempore et modo exequenda, ut illam Virgini nunciaret ; et tunc etiam opus non habuit aliquo novo merito ad illud gaudium recipiendum ; quippe proveniebat illud ex illa nova revelatione sibi facta. Vel denique concipi potest novum illud gaudium Angelo concedi propter novam revelationem sibi factam, quæ ad ejus ministerium spectet, ut quando ipsi revelatur, quod homo ipsius custodiæ traditus, tali tempore sit talem pœnitentiam acturus, aut talia, vel alia opera meritoria acturus. Sic autem gaudium illud etiam non advenit propter aliquod speciale Angeli meritum ; sed solum propter divinam revelationem, et peccatoris conversionem ; adeoque non videtur necessarium esse Angeli meritum ad illam accidentalem beatitudinem assequendam. *Verius itaque* dicendum censeo, quod augmentum illius gaudii beatifici, seu illa beatitudo accidentalis proveniat tum ex parte Dei liberaliter gaudium illud Angelo concedentis, tum etiam ex parte Angelorum, qui propter summam charitatem qua homines prosequuntur, eximia perfunduntur lætitia, ingensque concipiunt gaudium, quoties eos saluti studere, et invigilare conspiciunt.

Rogabis: qualiter se habeat Angelus erga hominem suæ Custodiæ deputatum, quem Deo revelante novit esse damnandum?

Respondet Alensis noster *membro* 6. *art.* 2. « Quod quamvis alicui « Angelo reveletur damnatio ejus, cui deputatus est : tamen non reve- « latur ei quantitas damnationis, scilicet quanta futura est ejus dam- « natio: hoc enim est de secretissimis Dei. Unde quamvis cum dam- « nandum esse sciat per revelationem ; et cognoscat se nihil profectu- « rum circa eum, quantum ad hoc ut salvetur : tamen quia nescit « quanta futura est ejus damnatio, ideo nescit an profecturus sit circa « eum quantum ad hoc, quod minor sit ejus pœna. sive damnatio. « Unde adhuc curam apponit circa eum, nec derelinquit eum ex toto; « nec dissonat hoc a voluntate divina. Unde quamvis non operetur « circa eum ad trahendum eum ad salutem ; tamen operatur ad re- « trahendum eum a majori damnatione, quam scilicet incurreret, nisi « Angelus custodiret eum ».

Conclusio tertia. — Tria maxime sanctissimis nostris Angelis tutelaribus in animi nostri gratitudinem rependere debemus ; nempe Venerationem, Dilectionem, et Invocationem. Ita S. Bernardus serm. 12. *Si ipse,* Deus, *mandavit ipsis qui et ei ex tanta charitate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet; Simus ergo devoti, simus grati tantis Custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus; totus tamen ei reddatur, et amor, et honor a quo tam ipsis quam nobis est totum, unde honorare possumus, vel amare, unde amari, honorarive meremur.*

Quantam autem sanctis Angelis reverentiam debeamus impendere, egregie explicat idem Doctor mellifluus *in Psalmum* 90. *serm.* 12. Ubi inter cætera, ita admonet: *In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe: tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes.* Et sermone primo de Sancto Michaële, nobis erga amantissimos illos Tutelares summam reverentiam habendam ita inculcat: *Pensate quanta nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando Angeli provocati peccatis, et negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentia, et visitatione sua, ut jam necesse habeamus, et nos cum Propheta plangere ac dicere:* amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et qui juxta me erant de longe steterunt, et vim faciebant, qui quærebant animam meam; *elongatis nimirum iis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, et quod in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, et orationes cum lacrymis, et cordis intentione: attamen super omnia hæc, unitatem, et pacem a nobis exigunt Angeli pacis.* — Quantam pariter beatissimis illis Custodibus gratitudinem debeamus, etiam declarat ipsemet Bernardus præfato *Serm.* 12. *in Psalmum* 90. ubi cum dixisset: *Adsunt igitur, et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te: adsunt ut protegant, adsunt ut prosint: quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit tibi?* subdit: *Simus ergo devoti, simus grati tantis Custodibus, reddamus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus:* et sequentia quæ habet supra citata. — Tandem invocationibus nostris, et precibus sunt interpellandi, quoties angustiæ spirituales, et corporeæ nos premunt, id namque fecerunt sanctissimi Patriarchæ: imprimis vero Jacob, qui filiis Joseph benedicens ajebat *Genes.* 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, quibus verbis constat Angelum sui protectorem invocare. Idipsum *cap.* 5. *Job* legimus ubi Eliphaz Jobum arguens ait: *Voca ergo, si est qui respondet, et ad aliquem Sanctorum convertere:* ubi nomine *Sanctorum* beatos Angelos intelligit, ut interpretatur S. Augustinus in annotationibus in Job, qui etiam illud: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, ad Angelos dici existimat, juxta quod dicitur apud eumdem Jobum capite 33. *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, miserebitur ei et dicet, Libera eum, ut non descendat in corruptionem.* Quod utique confirmatur ex illo Oseæ 12. ubi de Jacob Patriarcha legimus, quod *invaluit in Angelum, et confortatus est, flevit, et rogavit eum:* sic enim explicatur lucta illa, quam idem Patriarcha habuit tota nocte cum Angelo *Genes.* 32. Roganti autem Angelo ut eum dimitteret ad auroram, respondit; *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

Hanc eamdem veritatem edocent sancti Patres, imprimis vero sanctus Chrysostomus in sua *Liturgia* ita scribit: *Cœlestis militiæ Princeps Michaël, rogamus te nunc indigni, ut tuis intercessionibus munias nos.* Et clarius lib. *De Incomprehensibili Dei natura*, loquens de An-

gelis ait: *Rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares; pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus tuum immolasti, etc.* Idipsum præstat Ecclesia, quæ in sacro Missæ Canone post consecrationem hæc verba a Sacerdote proferenda præscripsit: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ.* Atque ita plane contigisse cuidam sui temporis Sacerdoti, refert Beatus Climacus, in *speculo exemplorum*, scribens, quod ubi prædicta verba quidam Sacerdos sui temporis inter celebrandum pronunciasset, illico magna cælestium Spirituum adfuit multitudo visibiliter, inter quos unus specie illustrior, et majestate sublimior visus est sacram Hostiam accipere, et illam divino conspectui præsentare, tum oblatam omnibus aliis Angelis summa reverentia congratulantibus, iterum super altare ad sacrificii consummationem deposuisse. Hinc sanctus Bernardus sermone de triplici genere bonorum, devote monet: *A sanctis Angelis*, inquit, *auxilium quærendum est, ut occultis suspiriis, et frequentia lacrymarum, et illi superemineuti majestati preces nostras offerant, referant gratiam; quia missi administratorii spiritus sunt propter nos, ut hæreditatem capiamus salutis.* Quod utique confirmat sermone 12. in Psalm. Qui habitat. *Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca Custodem Angelum tuum, Doctorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus, et tribulationibus, inclama eum, et dic, Domine salva nos: perimus.* Inde non mirum si Seraphicus Pater noster Franciscus, ut ait S. Bonaventura in ejus vita, *Tanto erat ipsis Angelicis spiritibus amoris vinculo copulatus, atque ita eos venerabatur, ut ab devotionem ipsorum ab assumptione Virginis gloriosæ, quadraginta diebus insistens jejunaret; Beato autem Michaëli Archangelo, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, spirituali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum.*

Dices: Sanctus Paulus *ad Coloss.* 2. religiosum omnem cultum Angelorum interdixit, ita scribens; *Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ.* Unde Theodoretus exponens hæc verba capitis sequentis, quibus Paulus hortatur: *Omnia in nomine Domini Jesu facite: Hanc legem*, inquit, *secuta Laodicena Synodus, ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit, non esse supplicandum Angelis, neque derelinquendum esse Dominum nostrum Jesum Christum:* ergo, inquiunt Calvinistæ, Angeli non sunt interpellandi. — **Nego consequentiam:** neque enim hunc sensum sancti Pauli, et Concilii Laodiceni verba præseferunt: quid enim voluerit Apostolus, explicat aperte sanctus Chrysost. Homil. 6. in idem cap. *Quid sibi*, inquit, *omnino volunt ista verba?* Respondet: *Erant nonnulli dicentes: Non oportet nos per Christum aditum habere ad Deum, sed per Angelos; illud enim captum nostrum superat.* Hinc Apostolus ubique ea quæ de Christo dixerat inculcare studet: *Per sanguinem crucis ipsius reconciliati sumus, et pro nobis passus est.* Quod idem habet Theophylactus, *Aiebant*, inquit, *indignum esse majestate Unigeniti nos ad Patrem adducere; majusque*

quam pro humana tenuitate: Unde, inquiunt, *rationi magis est consentaneum dicere Angelos conciliationi nostræ servisse.* In hunc vero cultum Angelorum invehebant, ac simplicioribus persuadebant, ut his intenderent animum, tamquam his qui nos servassent. Nec ab hac interpretatione abhorret Theodoretus, ait enim, *Pertinere hæc ad quorumdam hæresim; qui tamquam humilitate ducti, cum asserebant invisibilis universorum Deus, nec attingi, nec comprehendi possit, oportere per Angelos divinam sibi conciliare benevolentiam:* subdit autem illos Judaicis ritibus assuefactos fuisse, et illud jactasse, legem per Angelos traditam esse, ac propterea cultu ac veneratione dignos videri. Hinc subinfert. *Morbus hic,* inquit, *in Phrygia, et Pysidia longo tempore hæsit: cujus gratia, Synodus apud Laodiceam Phrygiæ oppidum habita lege voluit Angelos orare, hodieque oratoria sancti Michaëlis apud illos, et eorum finitimos videre licet.* Quibus patet non eam fuisse Theodoreti mentem, ut voluerit per Laodicenam Synodum, proscriptum fuisse cultum Angelorum, sed tantum damnatos illos hæreticos, qui Angelos, spreto Christo, velut primarios et unicos apud Deum intercessores adhibebant, ut ferunt ultima verba in objectione posita. Quod autem commemorat in illis regionibus crebra esse oratoria S. Michaëli sacra, non eo pertinet, ut ea damnet, qualia tunc populari cultu celebrabantur: sed ut indicio sit populos istos in Angelorum venerationem propensissimos fuisse, eo quod frequentia illis in locis sancti Michaëlis essent oratoria, quæ pridem instituta fuerant: non quidem ut ibi superstitiosus honor tribueretur Angelis, uti postmodum fecerunt illi hæretici, sed ut manifestum fieret sanctos Angelos a fidelibus ab ipsis etiam Ecclesiæ primordiis summa veneratione esse habitos. Quod autem ea fuerit etiam Laodiceni sententia, patet ex *Canone* 37. in quo constitutum legimus; *Non oportere Christianos Ecclesiam Dei relinquere, et ire, atque Angelos nominare, et Congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occulte idololatriæ serviens, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, et se idololatriæ tradidit.* Quibus verbis perspicuum est, non prohiberi quemcumque cultum et invocationem Angelorum; sed eum tantummodo, qui ad contemptum pertinet Domini nostri Jesu Christi, ut faciebant illi humiles Angelorum cultores. Porro Angelorum, ac præsertim sancti Michaëlis, Theodoreti ætate, venerationem percrebuisse, et in illius honorem frequentia per totum Orientem oratoria instituta fuisse, testatur Sozomenus æqualis Theodoreti *lib.* 2. *c.* 3. ubi *Michaëlia*, idest basilicas, et oratoria sancto Michaëli dicata, et ingentia in eis facta miracula refert, ex eoque Nicephorus *lib.* 7. *cap. ult.* Ilis itaque constat, quam levibus momentis ducantur Calvinistæ, ut Angelorum cultum nobis exprobrent.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ANGELORUM PECCATIS, ET PŒNIS.

Mirum certe qualiter obscuratum fuerit aurum cæleste, mutatus color optimus, dispersi sint illi lapides pretiosi, quibus instauranda, integrandaque erat cælestis Jerusalem: Angelos dico illos perduelles, et in Deum rebellantes, qui divinam æqualitatem æmulati cum suo

Principe Lucifero, omnibus quibus a suæ creationis primordio ditati fuerant charismatibus, spoliati, e Cælorum sublimi in inferni profundum æterno et irrevocabili lapsu ruerunt. Horum autem naturam superfluum esset speciatim hic discutere, cum alia non sit a sanctis Angelis, ut prima initio hujusce Tractatus disputatione aperte satis declaratum est. Insuper tamen hic e limine Lectorem monitum volo, nonnullos e sanctis Ecclesiæ Patribus docuisse dæmones aliam, quam sancti Angeli, sortitos fuisse naturam. Etenim *primo* plerique contendunt eos fuisse a primordio corpore, et carne vestitos. Ita imprimis opinatus est Justinus Martyr, qui cum dixisset Deum terrena hominibus subjecisse, hominum vero, rerumque cæterarum providentiam Angelis attribuisse, subdit: *Angeli porro hunc ordinem prætergressi, consuetudine mulierum capti sunt, ac filios genuerunt, quos Dæmones appellamus: atque insuper humanum deinde genus sibi subjecerunt, partim magicis scriptis, partim terroribus, ac suppliciis, quæ inferebant: partim sacrificiorum, ac suffituum, et libaminum institutione, quibus indigere caperant, postquam cupiditatum perturbationibus tamquam servus se subjecerant.* Quibus verbis quamquam significet omnes Angelos esse corpore vestitos, tamen aliam esse dæmonum ab aliis naturam aperte declarat. Idem habet ejus discipulus Tatianus *Lib. contra Græcos*, docens dæmones non carne præditos esse, sed tenuissimis corporibus: *Dæmones*, inquit, *omnes carne præditi non sunt, sed spiritualis illis inest concretio, ut ignis, et aëris: porro ab his solis, qui Dei spiritu juvantur, dæmonum corpora perspici possunt*, etc. — Eamdem sententiam approbat Origenes l. 3. contra Celsum, et insuper affirmat dæmones *liguritores esse, ac circum sacrificia et cruores, et vapores sacrificiorum volitare;* Angelos vero bonos *discrepantis esse tum naturæ, tum propositi ab his omnibus dæmonibus, qui in terris habitant.* Idem docet sanctus Basilius, vel quisquis est Auctor commentarii ad primum caput Isaiæ, ubi legimus quod *Dæmonibus propter naturam voluptatum appetentem, et perturbationibus obnoxiam, sacrificia voluptatem quamdam, et usum afferunt in nidorem abeuntia, quod ex ustione sanguis evaporatus, et ad hunc modum tenuatus, in illorum substantiam assumitur: toti enim per totum vaporibus aluntur, non mandendo, vel ventris officio, sed quemadmodum capilli omnium animalium, et ungues, ac cætera id genus in totam substantiam suam alimentum accipiunt. Ob id nidores affectant, thurisque fumos tamquam ad nutricatum suum vehementer expetunt.* Subscribit etiam Chrysost. Oratione 2. in sanctam Babylam, *Dæmones*, inquit, *cum nidore, ac fumo, et fuso cruore coluntur, accurrunt tamquam canes sanguinem vorantes, et gulosi ad lambendum; quando autem nemo est, qui hæc illis præbeat, velut fame quadam enecantur.* Non abnuit etiam Hieronymus Epistola 146. ad Damasum ita scribens: *Talis est dæmonum multitudo, quæ per idola manufacta cruore pecudum, et victimis pascitur.* — Ex hoc ipso argumento Tertul. *Cap.* 22. *Apologetici*, demonstrat dæmones esse spiritus immundos: *Quod*, inquit, *ex pabulis eorum sanguine, et fumo, et putidis rogis pecorum, et impurissimis linguis ipsorum natum intelligi debet.* Eusebius denique, *Lib.* 5. *De Præparatione Evangelica*, eamdem veritatem confirmat, affirmans idcirco dæmones homines ad sacrificia frequentanda, et simulacra veneranda traducere, ut ex oblatarum vi-

ctimarum nidore saginentur. *Isti igitur*, inquit, *circa terram, ac sub ea degentes, ac terrenum aërem crassum illum, caliginosumque perragantes, et in tenebricosum, ac terrenum domicilium relegati .... circa mortuorum sepulchra, et monumenta, ac sordidam omnem, impuramque materiam, oberrantes, sanguine, ac tabo, et omnigenum animantium corporibus, atque eorum, qui ex terra manant suffituum, vaporumque halitu gaudent.* — Nec alia videtur fuisse sancti Augustini sententia, quamvis dubius totus videatur in determinando num dæmones ex aërea, aut alia materia formati fuerint, nam 3. *De Genesi ad litteram* ita scribit: *Et hi*, inquit, *dæmones, aërea sunt animalia, quoniam corporum aëreorum natura vigent: et propterea morte non dissolvuntur, quia præradet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius, etc.* Ac paulo post: *In qua fortassis parte* (suprema scilicet aëris, ac purissima) *si fuerunt ante transgressionem suam transgressores cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo: nam nonnulli nostri non eos putant cœlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse: non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem*, etc. Mox: *Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aëream qualitatem, ut jam possint ab igne, idest, ab elemento naturæ superiori aliquid pati.* — Ea autem sententia de permutatione substantiali, quam in Angelis peccando factam supponunt præfati Patres, diu apud Græcos invaluit: nam in *Concil. Florentino* legimus eos dixisse, quod diabolus, et qui cum ipso exciderunt gloria Dei, carnem propemodum acceperunt, « et qui materiæ erant expertes, ex parte materiales facti sunt: ideireo et ad materialia currunt corpora, et in corporibus acquiescunt: cujusmodi erat ille, qui dixit Matth. 8. *Si ejicis nos, Domine, permitte nos intrare in gregem porcorum:* et permisit ipsis, et irruit grex in præcipitium, ac propterea et in humanis corporibus habitare cupiunt; in ipsis enim requiescunt. Ecce quomodo ex parte carnales sunt, et supplicio sunt afficiendi, et materia quam acceperunt, in igne concremabitur in æternum. Angeli autem omnino sunt experies materiæ, ut qui cadere amplius nequeant; nec ulla inest ipsis materia ».

Verum hæc sententia prorsus absona est, siquidem *prima disp. hujusce Tractatus* sufficienter demonstravimus Angelos omnes esse omnino materiæ ac corporis expertes, et dæmones initio sortitos esse cum sanctis Angelis eamdem naturam, nec ab ea peccando deciviss e; quocirca ne trita jam stadia remetiamur, abstinendum duxi ab iterata improbatione hujus sententiæ. Solum itaque hic inquirendum, et resolvendum auspicamur, quodnam fuerit, et quam grande Angelorum perduellium malum; cumque generatim duplex Angeli malum incurrerint peccando, et avertendo se a Deo incommutabili bono, ut ad bonum proprium se converterent, nempe malum culpæ, et pœnæ; de utroque disserendum erit in sequentibus Quæstionibus, quarum *Prima* aperiet, an et qualiter Angeli peccare potuerint: *Secunda*, quale primarium, et capitale fuerit Angelorum peccatum: *Tertia* an peccatum illud sit omnino inexpiabile, dæmonesque ita sint in malo obstinati, ut nullatenus resipiscere queant: *Quarta*, quænam eorum pœna, et qualiter a Deo criminum vindice torqueantur.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUALITER ANGELI PECCARE POTUERINT.

Tria maxime veniunt in præsenti Quæstione determinanda: *Primum*, an Angeli creati potuerint esse omnino impeccabiles: *Secundum*, an peccare potuerint primo suæ creationis instanti: *Tertium*, an aliqua ducti necessitate, vel plene libera voluntate peccaverint; quæ ut evidentius resolvantur,

Notandum 1. Nullam de facto existere, aut extitisse unquam puram creaturam ex natura sua, et intrinsece impeccabilem; nam omnis creatura intellectualis, angelica est vel humana; certum est autem utramque peccato fuisse fœdatam. Unde merito *Job.* 4. dicitur: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas?* Quasi diceret, ait ibidem S. Gregorius; *Si illi Spiritus incommutabiles esse nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa evehit, carnalis infirmitas aggravans præpedit, ut per corruptionis vitium in semetipsis habeant unde ab intima noritate veterascant?* Solum ergo difficultas est, an de potentia Dei absoluta formari possit aliqua rationalis creatura, quæ ex se, et ex natura sua sit omnino indefectibilis. Circa cujus difficultatis resolutionem, duæ maxime oppositæ sunt sententiæ; quarum *Prima* contendit non repugnare aliquam creaturam rationalem esse ab intrinseco impeccabilem. Ita sentit Ochamus *in* 1. *dist.* 44. *q. unica art.* 1. ubi supponit posse dari hominem longe essentialiter perfectiorem illo, qui creatus est, et consequenter illum potuisse produci natura sua impeccabilem. Sunt autem qui repetunt modum hujus impeccabilitatis, ex eo quod putant posse produci creaturam aliquam, cui esset connaturalis visio beatifica, quæ, inquiunt, hominem efficit natura sua impeccabilem. Sunt etiam qui volunt hujus impeccabilitatis modum deduci posse ex eo, quod non repugnet a Deo produci creaturam rationalem non liberam, sed ex necessitate determinatam ad unum, subindeque illam peccare non posse; quia cum naturaliter non possit ad malum determinari, consequens est, quod illa esset ex natura sua formaliter ad bonum determinata. *Secunda* vero sententia negat creaturam produci posse, quæ sit intrinsece impeccabilis, tam in materia naturali, quam in supernaturali, ita quod sive naturæ suæ relicta, sive ad ordinem supernaturalem evecta peccare posset.

Notandum 2. Revera Angelum non fuisse peccatorem in primo suæ creationis instanti, siquidem, ut supra docuimus, omnes Angeli creati fuerint in statu gratiæ sanctificantis, unde in Concilio Lateranensi sub Innocentio III determinatur, quod diabolus, et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Et in Concilio Carthaginensi 4. *cap.* 4. inter alia fidei dogmata interroganda ab eo, qui Episcopus creatur, unum est, an credat quod diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus est malus. Hinc Origenes homilia in Ezechielem: *Serpens*, inquit de diabolo, *non semper fuit serpens, primo quidem a Deo bonus creatus, sed propriæ*

voluntatis pravitate dæmon effectus. Cui concinit S. Chrysostomus *De patientia Job. Diabolus,* inquit, *non naturæ nomen, sed præsumptionis est... non enim diabolus factus est a principio, sed Angelus creatus est.* Quibus concinit sanctus August. pluribi, maxime *lib.* 1. *De nuptiis, et concupiscentiis cap.* 23. *Diabolus,* inquit, *spiritus immundus est, et utique quoniam spiritus est natura, immundus est de vitio. bonum quod spiritus, et malum quod immundus: quorum duorum illud a Deo est, hoc ab ipso.* Unde *lib. De Civit. c.* 13. ait: *Nec ipsius diaboli natura, in quantum natura est, malum est: sed perversitas eam malam facit.* — Hæc etiam veritas ratione firmari potest: si enim dæmones creati fuissent mali, non viderentur digni supplicio propter tale malum, in his enim, quæ a natura sunt, nec præmio, nec supplicio quis dignus est censendus: tum quia sequeretur talis malitiæ Deum esse principalem Auctorem; etenim qui dat formam, dat naturaliter consequentia ad formam: sed illa malitia formalis sequeretur talem naturam, ut supponitur: ergo principaliter ab Auctore talis naturæ proveniret: tum denique quia Deus ipse *Genes.* 1. omnia a se condita opera ut perfecta, et bona probavit; *Vidit,* enim, *Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Adde quod ad hujus veritatis assertionem sufficiant verba Judæ Apostoli dicentis: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in judicio magni diei, vinculis æternis sub caligine esse reservatos.* Non fuerunt ergo mali natura: sed tales propria voluntate facti sunt. Restat itaque determinandum, an Angeli in primo suæ creationis instanti revera peccare potuerint. Negant Thomistæ cum Angelico Doctore, *prima parte q.* 63. *art.* 5. Affirmat vero subtilis Doctor *in* 2. *dist.* 5. *q.* 2. *n.* 13.

* " Notandum 3. Quod cum Angeli non potuerint esse boni sine libero arbitrio et recto illius usu cum gratiæ subsidio, Deus non solum Angelos condidit libertate donatos, sed etiam ipsis gratiam indidit qua in bono perseverarent si vellent, ita ut juxta S. Augustinum lib. 12. *De Civitate Dei,* cap. 9. *simul in illis condiderit naturam et infuderit gratiam.* Neque enim, ut diximus, ratio erat cur differretur gratiæ collatio, quæ illis necessaria erat ad consequendum finem ad quem creati erant, et ad quem tendere debuerunt. Quæ tamen gratia, etsi magnam illis intellectus lucem attulit, non tamen voluntatem ita ad bonum determinavit, ut nonnisi id vellent et facerent, quod velle et facere illos justum erat. Datum ergo illis fuit *perseverare si vellent, sed non velle ut perseverarent:* quod plane consequens fuisset, si Deus in illis operatus fuisset *et velle perficere.* Explicat ista egregie S. Augustinus lib. *De correptione et gratia* cap. 10.: *Siduberrime,* inquit, *confitemur* " * *quod rectissime credimus, Deum, dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura esse præscivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Denique *Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti sunt: refugientes tamen ejus bonitatem, qui beati fuerunt, non potuerunt*

ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt. Quibus verbis aperte docet S. Augustinus omnes Angelos tam bonos, quam malos ab initio donatos fuisse plenissima libertate, et malos liberrime a Deo fuisse aversos: bonos autem proprio suo arbitrio actuali gratia roborato, et illustrato in veritate et observantia stetisse. An autem aliquo ad peccatum suadente, et moraliter impellente dæmones deviaverint, hic erit determinandum.

Conclusio prima. — Revera non potest aliqua produci rationalis creatura, quæ ex natura sua, et intrinsece sit impeccabilis. Ita Doctor *in* 2. *dist.* 23. *q. unica num.* 6. ubi ait: *Dico igitur, ad quæstionem, quod non potest fieri talis natura, sive voluntas, quæ sit impeccabilis per naturam: quia auctoritates Sanctorum sunt expresse de hoc.*

Probat itaque conclusionem, primo quidem auctoritate *S. Hieronymi Epistola* 148. circa finem, ubi expendens illa verba Ps. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait: *Non dicit* omnis homo, sed omnis vivens, *idest, non Evangelista, non Apostolus, non Propheta: ad majora conscendo, non Throni, non Dominationes, non Potestates, cæteræque Virtutes: Solus Deus est in quem peccatum non cadit: cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Eamdem sententiam edocet S. Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap.* 12. ubi ex illis verbis 1. *ad Timotheum* 6. quibus de Deo dicitur, *Qui solus habet immortalitatem:* concludit Deum etiam solum habere impeccabilitatem; nam homines, et Angeli peccando aliquo modo moriuntur: *Et omnes*, inquit, *qui non peccaverunt, peccare potuerunt, et cuicumque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ.* — Rem expresse declarat S. Gregorius lib. 5. *Moral.* cap. 27. *Natura Angelica*, inquit, *etsi contemplatione sui Auctoris inhærendo in statu suo immutabiliter permanet: eo tamen ipso, quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet.* At omnium evidentissime rem definit S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 10. ubi Discipulo ab eo quærenti cur non potuit Deus facere creaturam impeccabilem per naturam, respondet: *Quia non potuit ipsam facere Deum:* ergo (subinfert Doctor) nulla creatura potest esse impeccabilis, nisi sit Deus, vel assumpta a Verbo.

Eamdem veritatem duplici ratione probat Doctor; quarum primam sic formal: omnis voluntas, quæ potest appetere suum commodum, et illud non appetere recte, potest peccare: sed nulla est creata voluntas nec creabilis, quæ non possit appetere suum commodum, et illud non appetere recte: ergo nulla pariter est, quæ non sit defectibilis. *Major constat:* nam eo ipso quo voluntas proprium commodum appetendo potest omittere affectum justitiæ et rectitudinis, seu non appetere illud commodum ob finem honestum et a Deo præscriptum, potest peccare; peccatum quippe nihil aliud est quam carentia rectitudinis debitæ actui. *Minorem probat Doctor:* omnis voluntas in qua non necessario conjunguntur ista duo; nempe appetere commodum, et illud recte appetere: potest illud bonum commodum appetere recte,

et non recte: sed in nulla voluntate creata possunt conjungi illa necessario; nempe, quod appetendo suum bonum commodum, necessario illud appetat recte: nulla enim voluntas præter divinam recte appetit ex eo formaliter, quod appetit: ergo, etc. *Patet Major:* si enim illa duo non sint necessario connexa, nempe appetere commodum, et illud appetere recte, evidens est, quod voluntas poterit commodum sibi bonum appetere, et illud non appetere recte. *Minorem probat Doctor:* omnis voluntas creata sicut potest appetere sibi commodum, sic potest illud appetere modo sibi non convenienti secundum ordinationem divinam; quia posset illud commodum velle tali modo, quo appareret esse ipsi majus commodum: sic posset appetere, et velle summe beatitudinem summam, et omnium maximam; quia melius est habere beatitudinem summam quam eam habere in gradu remisso: ille autem appetitus non esset conformis divinæ ordinationi: quia ex Dei præscripto beatitudo commensurari debet meritis: ergo nulla est voluntas creata, quæ ex se non possit aliquid velle contra Dei voluntatem: adeoque nulla est, quæ non possit peccare. — *Confirmat:* omnis voluntas, quæ non est sua regula, nec necessario est conformis suæ regulæ, potest deficere a sua rectitudine: sed omnis voluntas creata, naturæ suæ relicta, nec est sua regula, nec conformis suæ regulæ: ergo, etc. *Major constat:* omnis namque voluntas, quæ nec est sua regula, nec est conformis suæ regulæ, haud dubie poterit ipsi esse difformis; adeoque non erit recta, nec proinde debitam rectitudinem in suis actibus habebit, subindeque peccabit: cum peccatum, ut mox diximus, nihil sit aliud quam carentia debitæ rectitudinis in actibus a voluntate libere elicitis. *Minor* etiam est evidens: nulla namque voluntas creata potest esse sua regula, cum necessario voluntatem superiorem nempe divinam habeat, a qua dependet, et per quam regulari debet: nec ipsi est necessario conformis; quippe cum supponatur libera, adeoque potest velle aliquid contra divinam voluntatem, aut saltem velle alio modo, et alterum ob finem: ergo, etc.

Probat 2. Omnis voluntas, quæ non est satiata per amorem alicujus objecti, et quæ non habet necessario, sed per propositum bonum infinitum, quo satiari potest; potest quando libuerit cessare a quocumque objecto, quod amat, et amare aliqua objecta, non in ordine ad bonum illud infinitum satiativum: sed nulla voluntas creata est ex se satiata amore ullius objecti; nec habet necessario sibi propositum bonum infinitum semper quo solo satiari potest: ergo omnis voluntas creata potest cum libuerit cessare ab amore cujuscumque objecti, quod amat, et amare aliqua objecta sine relatione eorum ad objectum infinitum satiativum: sed omnis voluntas, quæ potest hoc facere, potest peccare; quia potest cessare ab amore alicujus objecti, etiam quando præciperetur: ergo omnis voluntas creata potest peccare, et consequenter nulla est ex se impeccabilis. Advertit etiam hac ratione posse confirmari secundam, et tertiam probationem Alensis.

Probari posset ulterius hæc conclusio; quia eatenus posset dari voluntas rationalis non peccabilis; vel quia determinaretur ex natura sua ad prosequendum quodcumque bonum propositum, ita ut non esset ipsi liberum cessare a prosecutione: vel quia determinaretur ad bonum honestum, ut sic, ita ut non posset prosequi aliud bonum quam bonum

honestum, quamvis ex ipsismet bonis honestis posset pro sua libertate hoc præ illo eligere, sicut voluntas Beatorum est de facto determinata. Sed neutrum ex his dici potest. Non *primum*, quia sic voluntas non esset libera: et præterea, quia si esset determinata ad quodcumque bonum propositum, deberet etiam esse determinata eodem modo ad fugiendum quodcumque malum propositum: sed hoc est inconveniens: quia sequeretur, quod intellectus non deberet habere virtutem proponendi simul bonum, et malum, nec duo bona, in quæ non posset voluntas simul tendere, aut duo mala; quia, quandoquidem voluntas esset determinata ad unum, frustra simul proponeretur alterum, et frustra daretur talis facultas intellectus. Non etiam *secundum*; quia absurdum est, quod appetitus ullus sit, qui non possit tendere in quodcumque bonum suum: sed impossibile est, quod possit voluntas esse ulla creata, quæ non possit habere aliud bonum quam honestum: impossibile est enim, quod sit potentia ulla vitalis, quæ non habeat aliquod objectum delectabile: ergo impossibile est, quod solum determinetur ad bonum honestum ex sua natura intrinsece.

Dices 1: Deus potest facere corpus, quod non potest deordinari a suo motu, ut est cælum, quod naturaliter nequit aliter moveri, quam de facto movetur: ergo potest facere spiritum, qui non possit deordinari a motu suo, et consequenter erit impeccabilis. — **Respondet Doctor**, negando *antecedens*, si loquamur de corpore secundum naturam suam intrinsecam: nam sine dubio quodcumque corpus potest a quocumque motu impediri, saltem divinitus, et moveri motu omnino distincto, et opposito. Deinde, quamvis verum esset antecedens, negari potest consequentia: discrimen enim est, quod tale corpus cum libertatis sit expers, nec possit esse culpæ particeps sicut voluntas, non posset etiam deordinari in motu suo deordinatione culpabili: non sic autem voluntas, quæ cum sit libero arbitrio donata, et non solum possit habere motum circa unum objectum, sed etiam circa aliud, non debet necessario habere unum præ alio, et consequenter si solus motus in unum ex illis, ut in bonum honestum, sit motus rectus, et ordinatus ipsius, poterit deordinari ab illo motu habendo alium motum in bonum commodum non honestum, qui motus est inordinatus.

Dices 2: Deus facere potest voluntatem aliquam, quæ necessario tendat in aliquod bonum, puta in finem; ergo poterit facere, quod talis voluntas tendat in omne ordinatum ad illum: ergo, etc. Antecedens patet per Aug. 13. *De Trinit. cap.* 3. dicentem, *Quod omnes volunt necessario beatitudinem.* Consequentia probatur, quia eadem necessitate, qua aliquid tendit in finem, tendit in ea quæ sunt ad finem. — **Respondet Doctor**, *primo* juxta sua principia, quod voluntas creata non necessario tendit in finem sibi ostensum; nec in particulari, nec in universali: ideirco negat antecedens cum sua probatione. — *Respondet secundo* juxta communem sententiam, concesso antecedente, negando consequentiam: nam alia est ratio de fine ultimo, atque de mediis ad ipsum ordinatis; nam in fine ultimo, cum sit infinitum bonum, est perfectissima bonitas alliciens voluntatem ad amorem ejus, non vero est talis ratio boni in mediis ad ipsum ordinatis. Addit Doctor, quod quamvis necessario talis voluntas tenderet in finem, non inde seque-

retur, quod in media tendere deberet modo debito, et consequenter inde non sequitur, quod non possit peccare.

Dices 3: Posse peccare juxta S. Anselmum, non est libertas nec pars ipsius: ergo potest esse vera libertas absque peccandi potentia: proindeque Deus poterit producere aliquam voluntatem omnino impeccabilem. — Respondet primo Doctor, explicando S. Anselmum, et distinguendo antecedens: Posse peccare, idest, posse producere ipsum peccatum formaliter, seu privationem, in qua communiter supponitur consistere ratio formalis ipsius peccati, concedit antecedens: posse peccare, idest, posse producere actum illum qui est peccaminosus pro instanti, quo est peccaminosus, negat antecedens: et similiter distinguit primum consequens, et negat secundam consequentiam. — *Respondet secundo* distinguendo aliter antecedens: posse peccare non est ita essentia libertatis etiam creatæ, quin possit haberi conceptus libertatis absque conceptu talis potentiæ, concedit; quia potest quis considerare potentiam, ut potentem unum bonum præ alio eligere ad libitum suum, et hic conceptus est ipsius, ut est libera, et sufficienter distinctivus ipsius a potentia naturali: posse peccare non est de essentia libertatis creatæ ex se, sic ut non conveniat ex natura sua intrinseca cuicumque potentiæ liberæ creatæ; negat antecedens.

Dices 4: Deus potest facere voluntatem impeccabilem per gratiam, et gloriam, ut patet in Beatis, et confirmatis in gratia: ergo et per naturam; quia Deus potest communicare creaturæ alicui omnem omnino perfectionem finitam ipsam ei identificando realiter: at perfectio illa quam habet status beatitudinis, confirmationis in gratia, ratione cujus voluntas fit impeccabilis, est perfectio finita: ergo potest illam identificare voluntati: sed voluntas, cui identificaretur, esset sine dubio tam impeccabilis, quam est voluntas Beati, et confirmati in gratia. — *Confirmatur:* quod non repugnat alicui creaturæ, potest illi concreari, et consequenter potest esse ipsi connaturale: sed gratia, et charitas non opponuntur creaturæ rationali: ergo possunt esse ipsi connaturales. — Respondeo *primo*, negando *majorem:* nam, ut diximus in Disputatione de Visione beatifica, nulla est creabilis substantia spiritualis, cui Visio beatifica sit connaturalis. Idem dicendum de gratia, et charitate, subindeque etiam neganda est confirmatio. — *Respondet secundo* Doctor negando consequentiam cum *majori* probationis suæ, neque enim potest efficere Deus, ut ulla substantia v. g. habeat sibi identificatum calorem formalem, aut ullus intellectus creatus intellectionem aut Visionem beatificam; unde quantumvis posset facere perfectiorem intellectum in infinitum, nunquam tamen posset facere, ut ullus finitus esset realiter gratia, aut intellectus intellectio.

Dices 5: Voluntas creata est impeccabilis in primo instanti suæ creationis; quia pro illo instanti habet rectitudinem naturalem sibi datam a Deo, et motum naturalem, et per consequens rectum naturaliter, et necessario: sed Deus potest conservare creaturam pro quolibet altero instanti eodem in statu, quo primo formata fuit: ergo semper poterit esse ex se impeccabilis. — Respondet Doctor *primo* negando antecedens, cujus falsitas patebit ex Conclusione sequenti. *Respondet secundo* juxta S. Thomæ doctrinam, negando, quod illa creatura conservari deberet in sequentibus instantibus eodem in statu, quo erat in primo,

quia pro aliis instantibus exigit connaturaliter habere operationes ex se sibi ipsi imputabiles, et non necessario imputabiles Deo: in primo autem instanti necessario imputantur Deo omnes operationes ejus; consequenter non potest habere pro primo instanti operationem malam, juxta illam sententiam.

Dices denique: Non implicat contradictionem, quod creata voluntas necessario determinetur ad sequendum dictamen rationis, adeoque Deus talem voluntatem potest producere: quidquid enim contradictionem non implicat a Deo fieri potest: sed voluntas necessario sequens dictamen rationis est ex se impeccabilis: ergo, etc. *Minor* constat: probatur *Major:* tam appetitus voluntarius potest determinari ad dictamen rationis sive rectum sive erroneum, quam appetitus sensitivus determinatus est ad dictamen sensus, formale, vel virtuale: ergo potest esse appetitus determinatus ad dictamen rationis, ita quod non posset ire contra dictamen rationis, et posset nihilominus in diversa objecta libere tendere secundum dictamen rationis; quando scilicet ratio dictaret plura bona, nec unum alteri præferret, tunc voluntas libere posset ex his unum eligere, aliud dimittere, nec in hoc peccaret; quippe non ageret contra dictamen rationis. — **Nego majorem**, et ad ejus probationem dico, quod in eo casu nec voluntas, nec dictamen rationis haberent perfectam rationem voluntatis, et dictaminis; sicut verbi gratia, si Deus tantum concurreret cum intellectu alicujus ad intelligendum bona, et non ad intelligendum mala; tunc voluntas necessario vellet bona, et non mala: illa tamen determinatio voluntatis non esset ab intrinseco, sed ab extrinseco; quæstio autem præsens movetur de determinatione voluntatis ab intrinseco.

Conclusio secunda. — Angelus potuit peccare in primo instanti. Ita Doctor in 2. dist. 5. q. 2. num. 13. *Teneo igitur*, inquit, *quod potuit in primo instanti habere potentiam volitivam perfectam, et non limitabatur ad rectam operationem: non enim habuit in secundo instanti magis determinans quam in primo:* ergo, etc.

Quæ ratio Doctoris sic elucidari potest: potentia, quæ potest habere operationem perfectam, et non limitatur nec determinatur necessario ad operationem rectam, potest habere operationem non rectam: sed Angelus in primo suæ creationis instanti habuit potentiam volitivam perfectam; et ideo potuit habere volitionem perfectam; et non limitabatur, nec determinabatur ad operationem rectam: ergo in illo instanti potuit non recte operari, et per consequens peccare. Consequentia est optima, cum *majori* evidenti. *Minorem probo:* quia voluntas Angeli in primo instanti non habuit majorem determinationem, quam in secundo; cum nihil reale intrinsecum habeat in primo, quod non habeat in secundo: ergo, etc.

Secundo: Voluntas in primo instanti creationis prius natura quam peccaret, potuit habere omnes conditiones requisitas ad agendum, et eliciendum actum peccaminosum: ergo revera potuit pro illo instanti peccare. *Probatur antecedens:* non aliæ desiderantur conditiones ad peccandum, quam cognitio objecti sub ratione boni aut utilis, aut delectabilis, et prohibiti, et negatio omnis impedimenti: sed illa omnia possunt esse in primo instanti. *Probatur:* illa quæ sunt in secundo instanti possunt esse in primo præter respectum ad esse præexistens,

sed ille respectus nihil prorsus facit ad rem: ergo quæ requiruntur ad peccandum in secundo instanti possunt esse in primo.

Probatur 3. Angelus in primo instanti potuit mereri, et habere omnia requisita ad merendum: imo, ut fatentur Thomistæ, de facto meruerunt: ergo et peccare, et habere omnia prærequisita ad peccandum: tum quia prorsus est eadem ratio: tum quia si non posset peccare, non posset mereri, quia quidquid impedit quominus posset peccare, impedit quominus posset mereri; imo plus requiritur ad merendum, quam ad demerendum; nam mereri est bonum quoddam perfectum, demereri autem est malum: bonum vero ex integra causa, et malum ex quolibet defectu. — *Confirmatur:* idcirco Angelus non habuisset in primo instanti necessaria ad peccandum, quia non fuisset perfecte, et complete liber: sed sufficienter liber extitit, ut peccare posset. *Probatur:* ad hoc, ut Angelus in instanti suæ creationis peccare potuerit, sufficit quod fuerit liber libertate contradictionis et exercitii: sed hanc saltem libertatem in primo instanti creationis habuit: ergo in illo peccare potuit. *Probatur major:* Angelus in primo instanti suæ creationis tenebatur ex præcepto divino elicere actum dilectionis Dei super omnia: sed cum fuerit liber quoad exercitium respectu prædicti amoris, potuit tunc non amare, seu amorem illum omittere, maxime quia tunc Deus potuit illi denegare auxilium efficax ad illum eliciendum: hujus enim auxilii collatio illi non erat debita, sed omnino liberalis, et gratuita: ergo tunc potuit Angelus peccato saltem omissionis peccare: nam posse peccare peccato omissionis, est posse non elicere actum ad quem aliquis ex præcepto tenetur, seu posse illum actum omittere.

Reponunt Thomistæ cum Cajetano, Angelum in primo instanti non potuisse omittere actum; quia stante præcepto ex parte Dei de eliciendo tali actu ab Angelo, v. g. de conversione facienda in Deum, erat judicium ipsi inditum ab Auctore naturæ; quod quidem non poterat esse nisi verum practicum de faciendo quod a Deo præcipitur: ac proinde voluntas non poterat contrarium operari, nec ab actu cessare; nec minus tamen propterea erat libera. Quod utique explicant exemplo Christi Domini, qui respectu actus cadentis sub præcepto, fuit liber quoad exercitium; et tamen peccare non potuit: unde licet illum actum potuerit elicere potentia antecedenti, et in sensu diviso, non tamen potentia consequenti, et in sensu composito. *Addunt*, quod Angeli in primo instanti potuerint incurrere omissionem actus, non tamen omissionis peccatum; quia licet potuerint omittere talem actum, prout omissio est pura negatio actus oppositi, non tamen ut est privatio prædicti actus, ut debiti, et a Deo præcepti. — Contra *primo* hæc responsio supponit tamquam certum, non esse dabilem puram omissionem culpabilem, quod tamen controvertitur inter Theologos; quorum plurimi affirmant simplicem omissionem illius præcepti, quod quis tenetur implere, esse peccaminosam; siquidem eo tempore præceptum obligat ad diligendum Deum, v. g. vel ad audiendum sacrum die Dominica, potest quis ratione alicujus negligentiæ culpabilis, se mere negative habere circa illum actum, ita ut nullum voluntatis actum eliciat, quo positive velit Deum non diligere, vel adesse Sacro; quæ negligentia erit omnino culpabilis, quia, ut omissio sit peccatum, satis est, quod negligentia sit voluntaria; indirecte ut autem negligentia sit hoc modo

voluntaria, sufficit quod voluntas possit, et teneatur illam vitare, excitando intellectum ad actum sollicitudinis ei oppositum, et tamen non vitat: ad hoc autem non est necessarius actus voluntatis, quo ipsa negligentia sit volita: nam S. Thomas 2. *quæst.* 54. dicit, *Quod negligentia provenit ex quadam remissione voluntatis, per quam contingit quod ratio non sollicitetur, ut percipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet.* Et consequenter ad negligentiam culpabilem non requiritur actus voluntatis, quo sit volita. — *Deinde*, si voluntas Angeli non poterat suspendere talem actum conversionis ad Deum, consequens est, quod necessitabatur ad illum ponendum: ergo in eo ponendo actu Angelica voluntas non erat libera, nec ille actus erat voluntarius, proindeque non potuit esse meritorius: sed hoc consequens ut falsum negant etiam ipsimet Adversarii; proindeque fateri debent illum actum fuisse liberum, ac subinde potuisse fieri peccaminosum per omissionem suæ productionis. — Ad exemplum autem de Christo Domino, quod in suæ responsionis confirmationem adducunt, dico illud non esse ad rem, quippe cum Christus Dominus nec in primo, nec in quovis alio instanti suæ vitæ potuerit peccare: tum quia primus, et princeps erat confirmatorum in gratia: tum quia intuitiva Dei visione donabatur: tum denique quia habebat unitam hypostatice suæ humanitatem Verbo: Angelus autem in primo instanti suæ creationis nullo horum gaudebat privilegio: ergo ex privilegiis Christi, et ex ejus impeccabilitate, non recte infertur impeccabilitas Angeli in primo instanti.

Dices 1: Si Angelus in primo suæ creationis instanti peccaret, tale peccatum Deo ut Auctori, ac Motori specialiter tribueretur; sed implicat peccatum Deo attribui: ergo et Angelum in primo instanti creationis peccare. *Minor* constat. Probatur *Major:* prima operatio, quæ incipit cum ipso esse rei, tribuitur causæ productivæ ipsius rei; nam idcirco motus gravium, et levium ad suum locum naturalem, sive centrum, dicitur inesse eis a generante, quia motus ille cum eorum esse incipit; statim enim moventur, et existunt, maxime si producantur extra locum suum naturalem. *Secundo*, idem suadetur exemplo tibiæ, quæ si nascatur curva, et statim incipiat claudicare, illa claudicatio reducitur in debilitatem principii generantis. *Tertio*, idcirco motus cordis in animalibus generanti tribuitur, quia incipit una cum ipsis animalibus. Ratio autem eorum omnium est, quia operatio, quæ incipit cum esse rei productæ, est veluti corollarium quoddam sequens ad naturam illius, sicque procedere debet ab Agente, et Auctore illius esse; unde vulgare illud: qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse. — *Confirmant* ex eo quod operatio procedens a natura secundum inclinationem ab Auctore naturæ acceptam, ipsi naturæ Auctori debet attribui; nam moveri sursum inest igni a generante, quia est secundum inclinationem, quam habet a generante ad locum sursum: sed operatio, quæ incipit simul cum esse rei, procedit a natura secundum inclinationem ab Auctore naturæ acceptam: ergo ipsi naturæ Auctori debet attribui. Probant *minorem:* quando res incipit esse, non habet aliam inclinationem, et dispositionem, præter illam quam accipit ab Auctore naturæ: ergo si in eo instanti operatur, necessum est, quod operetur secundum inclinationem sibi ab Auctore naturæ inditam. — **Negat majorem Doctor** *loco supra laudato n.* 4. Primo quia se-

cundum S. Augustinum 11. *De Civitate Dei* c. 3. *Qui dicunt Angelos a principio fuisse malos, non sentiunt cum Manichæis, qui ponebant unum Deum malum immediate esse causam mali, et alterum esse immediate causam boni:* sed hoc sentire deberent si Angeli in primo suæ formationis instanti non possent esse mali, et peccatores, quin eorum peccatum in Deum refunderetur: ergo ex S. Aug. licet Angeli peccassent in primo instanti suæ creationis, eorum propterea peccatum Deo non esset tribuendum. *Secundo,* defectus causæ secundæ in agendo, pro quocumque instanti quo agit, non est Deo tribuendus, sed ipsimet causæ secundæ, quamvis agere nequeat nisi cum concursu ipsius Dei; sed defectus qui inesset actui peccaminoso Angeli peccantis in primo instanti, esset ipsiusmet Angeli defectus: ergo non Deo, sed ipsis Angelis esset adscribendus. *Tertio,* eatenus peccatum angelicum in primo instanti refunderetur in Deum tamquam in causam illius peccati, quatenus Deus pro illo instanti voluntatem produceret, ipsique infunderet principia omnia, quibus mediantibus posset peccare, necnon et conditiones sine quibus non peccaret: puta objectorum applicationem, et motionem: sed si hac ratione Deus dicendus esset auctor peccati, pari jure omnia peccata, quæ fierent in secundis instantibus in ipsum essent refundenda: quippe ille ipse est, qui formavit voluntatem, quæ peccat, et cum ea ad actum peccaminosum physice concurrit, necnon et cum objecto ipsam movente, et aliis causis ad actum peccaminosum inducentibus: ergo multo magis dicendus esset auctor peccati, quod fit in illis sequentibus instantibus: quod tamen cum asserere sit execranda blasphemia, pari jure non esset dicendus auctor peccati, qui fieret in primo instanti. *Denique,* hoc argumentum in ipsosmet Adversarios retorquet Doctor *n.* 8. nempe quod si Angeli non potuerint peccare in primo instanti, quin eorum peccatum totum in Deum unicum auctorem refunderetur; nec etiam potuerunt in illo instanti mereri; quia ideireo, inquiunt, non potuit Angelus demereri in primo instanti, quia omnis operatio, quam habet in primo instanti, est Dei producentis, et consequenter non sua: operatio autem peccaminosa debet esse sua propria: sed operatio meritoria tam debet esse sua propria, quam peccaminosa: ergo si operatio, quam habet in primo instanti, sit Dei, et consequenter non propria; sequitur quod non possit esse meritoria; quod cum non admittant Adversarii, nec etiam alterum admittere debent. — Ex iis itaque constat falsam esse *majorem* illius argumenti, quo maxime nititur sententia Adversariorum. Unde in forma: nego antecedens illius probationis, et ad primam ejus confirmationem dico, motum gravium, et levium non aliter tribui generanti, quam quia tribuit illis esse; non enim alius esset descensus lapidis producti in medio aëre, v. g. qui in primo suæ formationis instanti in terram laberetur, quam sit descensus illius pro instantibus sequentibus: unde sicut descensus in sequentibus instantibus non aliter tribuitur generanti, quam quia producendo lapidem ipsi indidit gravitatem illam, quæ est principium immediatum istius descensus; sic non esset inconveniens, quod pari ratione operatio mala voluntatis tam in primo, quam in sequentibus instantibus tribueretur Deo, solum ex eo quod voluntatem liberam creaturæ rationali indidit, quæ voluntas est principium immediatum, et per se

actus peccaminosi. *Confirmatur:* quia secundum adversarios, sicut descensus lapidis in primo instanti tribuitur causæ generanti, etiam eidem attribuitur in aliis instantibus: ergo si sit eadem ratio de descensu lapidis, ac de operatione mala voluntatis, sicut illa operatio adscribetur Deo in primo instanti, ita et in aliis instantibus; maxime si non essent aliæ causæ præter voluntatem, a quibus in aliis instantibus proveniret: quod cum sit absurdum, ut etiam fatentur Adversarii, necessum est fateantur illud exemplum non esse ad propositum. — Nec magis juvat exemplum tibiæ: concedo namque, quod curvitas ipsius debeat adscribi causæ generanti, non vero ipsi tibiæ; sed nego idem esse dicendum de omnibus perfectionibus, vel imperfectionibus quas creaturæ propria sua operatione sibi comparare possent in primo instanti productionis; disparitas enim est maxima: quia ipsa tibia non habet virtutem producendi in se curvitatem, et propterea illa curvitas in aliam causam est refundenda; voluntas autem habet virtutem producendi in se operationem malam; ideirco non est recurrendum ad aliam causam. Adde quod rectitudo alterius tibiæ non provenit effective ab ipsa tibia, sed a causa generante, et aliis circumstantiis: ergo si debeat esse paritas inter tibiam claudicantem, et voluntatem peccantem in primo instanti; etiam debet esse aliqua paritas inter tibiam recte ambulantem, et voluntatem bene operantem in primo instanti: adeoque sicut rectitudo tibiæ non provenit ab ipsa, nec etiam in primo instanti operationes bonæ possent a voluntate procedere, quod Theologorum nullus admittet. Idem a pari dicendum ad cætera, quæ protulerunt.

Dices 2: Angelus non habet primum velle a se, sed ab alio: at Angelus non potest peccare per velle habitum ab alio, et non a se: ergo prima volitio ipsius nequit esse peccaminosa. Probatur *major* ex S. Anselmo *De casu diaboli* cap. 13. ubi ait: *Si primum velle a se habet, aut hoc est volens, aut nolens: Si volens, igitur illud non est primum velle; Si nolens, idem sequitur, quia ante illud velle noluit illud: Igitur voluit illud non esse: igitur aliquid voluit.* Ergo peccatum quod esset in primo instanti, non posset esse a voluntate; et consequenter deberet esse a Deo: quod cum fieri nequeat, consequens est, quod voluntas Angeli non possit esse peccaminosa in primo instanti. — **Negat majorem Doctor** *n.* 5. Sicut enim Angelus potest habere a se velle secundum, ita et potuit habere a se primum velle: alioquin sequeretur processus in infinitum: nam, inquit Doctor, *Quæro a quo primum habet velle. Aut a se, per aliam volitionem, aut sine alia volitione. Si sine alia volitione, ergo voluntas potest a se habere primam volitionem absque alia: Si per aliam, ergo illam aliam debet habere per aliam, et illam rursus per alteram, et sic necessario erit processus in infinitum.* — Unde ad auctoritatem S. Anselmi, dicit Doctor, quod per volitionem, quæ debet præcedere primum velle Angeli, intelligit S. Anselmus ipsam voluntatem in actu, quam Angelus debet habere a Deo, ex suppositione, quod ipsemet eam in se producere non possit: quam suppositionem forte facit Anselmus discurrendi causa. Certum est autem quod produci non possit volitio, nisi a voluntate prævia, adeoque volitio debet voluntatem præsupponere. Quod si aliud voluerit S. Anselmus, hac in re esset negandus, quippe cum illa sententia principiis philoso-

phicis, et theologicis non quadret. — Ad discursum autem ejus, respondeo Angelum habere primum velle, non per aliud velle, aut nolle sed per ipsum primum velle : sicut a pari, causa effectiva habet primam actionem, non per aliam actionem, aut negationem actionis, sed per ipsammet actionem primam, quæcumque illa sit. Adde quod, si Angelus non posset peccare in primo instanti, quia non posset habere primum velle a se ; sequeretur etiam quod non posset peccare in sequentibus instantibus. Quæro namque a quo in aliis instantibus haberet illud primum velle peccaminosum. Si a se, ergo idem dici potest de primo instanti : si ab alio : ergo cum, inquiunt adversarii, prima volitio, quam habet in primo instanti, nequeat esse peccaminosa, quia est ab alio, idem sequitur in quocumque alio instanti.

Dices 3 : Si Angelus peccaret in primo instanti, necessario peccaret; sicque peccaret, et non peccaret : sed hoc est absurdum : ergo, etc. Patet sequela *majoris;* quia si in primo instanti peccavit, non potuit non peccare : ergo necessario peccavit, adeoque cum peccatum debeat esse liberum, sequitur quod peccavit, ut supponitur, et quod non peccavit, quia non libere, sed necessario peccavit. Probatur autem hæc consequentia, nempe quod si peccaverit, necessario peccavit : quia si potuit non peccare, aut potentia ante actum, aut potentia cum actu. *Non primum,* quia Angelus non fuit ante illud instans, quod supponitur primum suæ formationis. *Non etiam secundum,* quia in ipso instanti primo quo peccavit, non potuit non peccare ; et ideo per illam potentiam non potuit non peccare : ergo necessario peccavit.— Negat primam sequelam Doctor *n. 6.* Ad cujus probationem dicit, quod voluntas Angeli peccans in primo instanti, revera potuit non peccare potentia ante actum ; non quidem prioritate temporis, sed naturæ ; quia ipsamet voluntas ex se, ut concipitur prior actu peccaminoso, quem producit, est indifferens, et potens ad illum actum producendum, vel non producendum ; quod autem non sit necesse, ut causa, vel facultas prioritate temporis effectum, vel operationem præcedat, sed quod ad utrumque sufficiat prioritas naturæ, demonstrat Doctor; quia alias sequeretur primo, quod Deus ipse nihil posset libere velle ab æterno; similiter quod creatura rationalis non posset velle libere in primo instanti, adeoque sequeretur quod Angeli non potuissent mereri in primo instanti suæ formationis ; quod tamen adversarii non admittunt.

Dices 4 : Angelus in primo instanti non potuit habere deliberationem sufficientem ad peccandum : ergo nec in illo peccare potuit. Probatur antecedens : ad deliberandum plures cognitiones desiderantur : oportet namque varia objecta percipere, et variam in eis deprehendere rationem amabilitatis, vel aversionis, ut nempe unum præ alio voluntas prosequatur : sed in primo instanti non potuit Angelus varias habere cognitiones : ergo nec deliberare. — Negat antecedens Doctor *n. 7.* necnon et *minorem* ejus probationis ; quia ad peccandum non requiritur alia cognitio, quam ea qua objectum cognoscitur esse bonum bonitate utili, vel delectabili ; aut illud esse prohibitum : certum est autem, quod talem cognitionem habere potuit Angelus pro primo instanti tam facile, quam pro quocumque alio sequenti. Adde non quod major requiritur deliberatio ad peccandum, quam ad merendum : ergo cum

in primo instanti Angelus habere potuit sufficientem deliberationem ad merendum, etiam et sufficientem ad peccandum habere potuit.

Dices 5: Nullus peccare potest, nisi sit debitor justitiæ: sed in primo instanti Angelus non fuit debitor justitiæ; quia secundum S. Anselmum supra laudatum c. 12. et 14. Angelus in primo instanti justitiam non accepit: ergo non potuit peccare. *Major* constat, quia justitia, et peccatum opponuntur, sicut habitus, et dispositio: ergo peccatum privat justitia: sed non potest privare justitia, nisi justitia sit debita, et consequenter nisi peccans debeat habere justitiam.—**Negat majorem Doctor** *n. 11.* et ad ejus probationem dicit, quod si Angelus in illo primo instanti non fuit debitor justitiæ, quia eam non accepit, sequeretur, inquit, quod semper existens in peccato mortali, nunquam esset debitor justitiæ, quia nunquam accepit eam: ideo de ista justitia non valet argumentum: similiter nec de justitia acquisita, nam ista potest admitti in justitiæ elicitis: nec ille qui nunquam fuit justus moraliter teneretur ad juste operari, si non esset debitor justitiæ; quia nunquam istam accepit. ✻ " Tametsi vero dæmones initio suæ creationis peccare potuerint, certum est nihilominus eos revera non peccasse in illo priori instanti. Steterunt enim aliquamdiu in gratia, sed in ea diu non perstiterunt, nam inquit Christus Dominus, Joan. VIII. 44: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Unde S. Judas dicit dæmones *non servavisse suum principatum*. Habuerunt ergo principatum, hoc est gratiam qua perseverare in acceptis dotibus et charismatibus divinis poterant si voluissent. At propria eorum perversitas fuit quod et sanctitate simul ac felicitate ad quas ordinabantur cito caruerint. " ✻

Conclusio tertia. — Lucifer alios Angelos ad peccandum induxit, illorumque perditionis, et lapsus causa extitit. Hæc est communior sententia Theologorum, quam tradit Seraphicus Doctor in 2. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *et* 2. In prima namque Quæstione ita loquitur, « Notandum quod superbia dæmonum conformis fuit capiti, « totius militiæ principi, scilicet tenebrarum: ipse autem diabolus attendens suorum naturalium strenuitatem, et excellentiam, et præ« cellentiam, voluit præesse, et requiescere sua auctoritate, hoc est, « sine meritis, et sine ministerio. Dæmones vero ei subjecti non sunt « ausi tantum appetere, sed considerantes naturalium strenuitatem, « voluerunt sub manibus illius requiescere, ita quod non ministrarent, « sed quadam sub illo potirentur voluntaria libertate, quam videbant « se non posse habere sub divino dominio. Cognoverunt autem An« geli se esse factos ad percipiendam quietis beatitudinem, et acqui« rendam per merita, et ministeria: in hoc ergo superbierunt, quia « sine meritis voluerunt beati esse, et sine ministerio quiescere, et « sine limite propriam voluntatem implere; et hoc totum est super« bire; quamvis non sit tantæ superbiæ, quantæ fuit appetere omnibus « præcellere, et nulli subesse ». — Secunda autem Quæstione explicat qualiter primi Angeli peccatum quamdam supra peccata cæterorum Angelorum præeminentiam habuerit. « Fuit enim ibi ordo, inquit, et « quantum ad gradum, et quantum ad occasionem, et quantum ad « durationem. Quantum ad gradum, quia illud Luciferi fuit majus:

« quantum ad occasionem, quia aliis præbuit exemplum : quantum « ad durationem, quia sicut Lucifero necesse fuit tempore ante esse « cognitionem, quam peccare, quia non potuit in eodem instanti ha- « bere cognitionem, quæ exigitur ad peccatum cum deordinata affe- « ctione ; sic in minoribus Angelis dicunt fuisse in peccando, et cum « peccaverunt aspiciendo, quod Angelus volebat, et exinde aspiciendo « commodum suum ».

Probatur autem Conclusio variis Scripturæ locis ; primo quidem S. Hieronymus damnatorum Angelorum congregationem per Luciferi suggestionem corruisse colligit ex illo *Ezechielis* 37. *Emulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiso.* Nam *æmulari* nihil aliud est quam imitari ; et ita si per metaphoram applicentur illa verba ad Angelos, optime significant interiores peccando. Luciferum fuisse imitatos. S. Aug. ex illo *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, sed diabolus, inquit, dicitur qui fuit aliis causa, vel incentivum peccandi : ergo aliquis Angelorum illorum fuit inter Angelos peccantes diabolus : et per consequens ille qui dixit, *Super astra Dei exaltabo solium meum*, fuit inter Angelos diabolus. — Sed maxime probatur ex illo *Apocalyp.* 12. ubi dicitur : *Factum est prælium magnum in Cœlo : Michaël, et Angeli ejus prœliabantur cum Dracone ; et Draco pugnabat, et Angeli ejus, et non prævaluerunt, nec locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est Draco iste magnus, serpens antiquus, diabolus, Satanas, et seducens universum orbem :* ergo fuit aliquis primus peccans inter omnes peccantes, et inducens alios ad peccandum, et seducens illos. *Probatur antecedens :* fuit aliquis antiquus Draco inter peccantes : ergo fuit aliquis primus peccans. Patet sequela, quia si omnes simul peccarent, nullus esset altero antiquior. ✻ " His accedit quod seducens debeat esse prior seductis, priusque lethali viru inescatus quam illud in alios transfundat. — *Confirmantur* ista illis omnibus Scripturæ textibus in quibus varia dæmonum principi tribuuntur nomina, ex quibus facile est colligere ipsum alios in perduellione antecessisse eisque perfidiæ ac rebellionis in Deum fuisse auctorem. Nam ille quisquis fuit, per antonomasiam dicitur diabolus et Satanas, et forte proprio nomine appellatur *Beelzebub* dæmoniorum princeps. Hinc *Matth.* 25. qui sinistram in judicio extremo obtinebunt relegabuntur *in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Idem Joan. 12. v. 31. dicitur *princeps mundi.* Et 1. *Corinth.* 2. v. 7. *princeps hujus sæculi.* Quapropter Christus Dominus *Joan.* 8. v. 44. de diabolo agens, tamquam de uno singulari loquitur : *Ille fuit homicida et mendax ab initio.* Unde colligere licet inter dæmones idem quod in illis ante ruinam, ordinis ac dignitatis perseverare discrimen, sive illud ex naturæ dissimili et inæquali præstantia, sive ex ordinatione Dei, sive ex voluntaria submissione qua se deficientes a Deo, Angelo illi apostatæ primario subdiderunt, atque in ordinem cogi passi sunt, ortum habere statuatur. — Ista confirmat Origenes in procœmio librorum periarchum seu de principiis, ubi scribit : *de diabolo et angelis ejus, contrariisque virtutibus ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem, sed quid sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus,*

et apostata effectus quum plurimos Angelorum secum declinare persuaserit, qui et nunc angeli ipsius nuncupantur. " *

Hanc ipsam veritatem docent sancti Patres tam Græci, quam Latini; Græci quidem; imprimis vero Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater Dialogo 1. *Ad malum*, inquit, *versus Auctor ille mali diabolus secum ad defectionem multos Angelorum trahens, non natura, sed voluntate mutatos perduxit suggestione, qui convenientem suo facto suscepit appellationem.* Item sanctus Chrysostomus in Psalm. 14. *Unus*, inquit, *illic civis tamquam inquilinus movit seditionem, et ejectus est tamquam externus, et a Deo alienus, et cum eo qui eum secuti sunt dæmones.* Similia habet Damascenus lib. 2. cap. 4. *Principem malorum Angelorum*, inquit, *adversus opificem suum Deum, se extulisse, et rebellare contra eum in animum induxisse.* Et subdit inferius: *Una cum ea avulsa est, eique comitem se adjunxit, simulque corruit innumerabilis subjectorum sibi Angelorum multitudo.* — Eadem est concors sanctorum Patrum Latinorum sententia; imprimis namque S. Ambrosius Epist. 55. ad Demetriam aperte dicit, *Diabolum, qui quoniam sua quam a Creatore suo acceperat potentia, dignitate sibi placuit, cum his Angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, a cœlesti sublimitate dejectum esse.* Idem significat Arnobius Junior lib. 2. *De Deo trino, et uno*, dicens: *Primas omnium Angelorum in suo corde peccavit, ex quo pullulare omnium præsumptionum genera tunc cœperunt, cum nullius exemplum secutus, a se dedit peccandi exordium.* Denique idem indicat S. Bernard. Tractatu *De grad. humilitatis de Lucifero:* dicens: *Tu solus sedere affectans, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius quantum in te est, quietem Trinitatis infestas. Quo te tua, miser, curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites civibus scandalum, injuriam facere Regi?* Dum ait enim solum Luciferum scandalum aliis tribuisse, et pacem turbasse, indicat profecto ipsum seditionem contra Deum movisse. Unde inferius ait: *Voluisse Luciferum dominari omnibus filiis superbiæ, quos suæ malitiæ æstibus studuit inflammare.*

Dices 1: Omnes Angeli boni simul conversi sunt in Deum, nullo altero Angelo suggerente, nec illius conversionis motivum, et exemplum præbente: ergo pariter omnes mali aversi sunt a Deo, nullo suggerente. — **Respondeo** posse negari antecedens, qua ratione enim Lucifer aliis Angelis perduellibus inobedientiæ causam præbuit, quocirca dicitur, quod *Draco pugnabat, et Angeli ejus*, eadem ratione S. Michaël fidelis in Deum observantiæ, cæteris Angelis subditis exemplar, et incentivum fuit, siquidem legitur *Apoc.* 20. quod *Michael pugnabat, et Angeli ejus.* — *Respondeo secundo* negando paritatem: boni namque Angeli per gratiam sanctificantem, perque evidentem suæ ad Deum dependentiæ cognitionem, sufficiens habebant motivum, et incentivum quo in Deum fideli observantia tenderent: mali vero nullum in se tale motivum ad rebellandum habuerunt; adeoque verisimile est ipsos ad perduellionem fuisse per Luciferum excitatos.

Dices 2, cum Guillelmo Parisiensi 2. *par. De Universo:* omnes Angeli per superbiam peccarunt: ergo omnes non ab alio inducti, sed per se, ac propria excellentia, et amore abstracti, et illecti, aliquid superbe appetierunt. *Secundo:* non poterat Lucifer vel rationibus eos

suadere, vel per errorem, vel deceptionem eos inducere; quia sciebat eos non posse decipi in cognitione, et debita existimatione Creatoris: nec etiam per promissiones, vel alia objecta concupiscentiæ poterat eos allicere; quia nulla re indigebant, quam ab illo expectare possent; nec in hoc etiam falli potuissent. *Tertio* addit, quia si peccatum Angelorum inferiorum fuisset perduellionis contra Deum, ad quam a Lucifero fuissent inducti, non fuisset ausus solus Lucifer contra Deum rebellare, nisi præcognovisset voluntates inferiorum propensas ad rebellionem contra Deum fuisse; sicut in regnis humanis nullus vassallus, quantumcumque potens, audet contra Regem insurgere, nisi multorum consensus accedat, et inter eos contractus ad rebellionem præcedat: ergo similiter in Angelis necessarium fuisset, ut Lucifer aliorum voluntates agnoscens, ab eis invitaretur ad perduellionem, vel saltem inter se convenirent, et de rebellione tractarent. *Quarto*, quia omnes Angeli simul cum Lucifero peccaverunt: ergo non sunt ab illo inducti ad peccandum. — **Nego omnes consequentias**, et ad primam rationem dico, quod licet omnes Angeli superbia peccaverint, inde tamen non sequitur, quod ad illam non fuerint inducti: nam Lucifer prius superbiit propter suam excellentiam: deinde singulis Angelis propriam excellentiam exponens, eos pariter ad complacendum in eo, et superbiendum stimulavit. — *Ad secundam rationem*, dico peccatum Angelorum habuisse aliquam annexam inconsiderationem; nam nimium complacentes circa propriam beatitudinem naturalem, non retinuerunt Deo gratias, propter dotes, et excellentias quas in primo instanti suæ creationis acceperant: forsan enim tenebantur aliquo præcepto ad continuandum actum illum supernaturalem, et meritorium, quem in primo instanti incœperunt; et Lucifer nimis complacens in sua beatitudine naturali, non solum non continuavit actum inceptum, sed ostendens illam Angelis inferioribus, et quasi animadvertens illos de propria beatitudine naturali complacere, non solum ille, sed et alii a tali actu cessaverunt; et sic peccaverunt peccato elationis, et superbiæ. Quare quando Lucifer alios sollicitavit ad malum superbiæ, non proposuit illis aliquod malum ex parte objecti, sed tantum ex modo operandi. Nam proposuit illis excellentiam propriæ naturæ, extollendo felicitatem, et beatitudinem naturalem, nulla facta mentione de beatitudine, et felicitate supernaturali: et tunc nimis complacentes in tali beatitudine naturali, nec se, nec sua in supernaturalem retulerunt, in quo fuit modus quidam elationis, et superbiæ. — *Ad tertiam rationem*, nego pariter consequentiam, nam Lucifer, et Angeli ejus non rebellabant contra Deum, quasi vim illi inferre volentes, aut per virium fortitudinem illum vincere ac superare tentantes, ad quem modum rebellionis solet inter homines præcedere secreta consiliorum communicatio, aut seditiosus contractus, ac negotiatio: eo vel maxime quod contra Deum hic modus perduellionis possibilis non erat, cum nulla cogitatio eum latere possit, quod Angeli non ignorabant. Rebellarunt ergo contra Deum solo affectu quem Lucifer ex propriis, et sine aliorum consilio, tractatu, vel communicatione habere potuit: et inde potuit ad similem seu proportionatum affectum proprio judicio, et deliberatione alios inducere, sine prævia cognitione voluntatis, vel determinationis, aut consilii eorum, cum sola spe illos in propriam

sententiam, et spiritualem perduellionem trahendi. — *Ad quartum denique rationem,* dico omnes Angelos simul cum Lucifero peccasse; quia nempe modica fuit mora inter peccatum Luciferi, et aliorum Angelorum : de repente enim, et quasi non perceptibili tempore simul ac voluntatem primi Angeli perceperunt, ei statim consenserunt, et adhæserunt; si enim prius aliqua diuturna temporis prioritate peccasset Lucifer, quam reliqui Angeli, cum ex illo peccato suborta fuisset deformitas per expoliationem, et carentiam omnium supernaturalium donorum, quibus ipse Lucifer in primo suæ creationis exordio fuerat illustratus, cumque divina justitia in ipsum animadvertisset; illud advertentes cæteri Angeli, haud dubium est, quod ipsi non consensissent, nec a partibus ipsius stetissent. — *Ex his infert Alensis quæst.* 98. *n.* 6. longe gravius fuisse peccatum Luciferi quam aliorum, ex duplici capite; primo, quia libido appetitus ejus major extitit. Secundo, quia ante se non habuit aliquod exemplar, cum ad nullius peccantis imitationem peccaverit, sed fuit ipse totius peccati inventor, et principium.

✻ « Petes primo. — *Quot, sollicitante Lucifero, ceciderint Angeli?*

Respondet Guillelmus Parisiensis episcopus, *libro De Universo, parte* 3. *cap.* 8. sententiam Theologorum suæ ætatis esse quod tertia pars ceciderit. « Tertiam Angelorum partem corruisse Theologi chri-« stianorum, *inquit*, ponunt decimum ordinem cecidisse, sic intelli-« gentes non secundum planum litteræ, quia decimus ordo numquam « fuit, sed secundum æqualitatem, quod est dicere, quia tot cecide-« runt quot unus ordo continet. Ceciderunt, inquam, secundum eos, « ita quod ex unoquoque ordinum aliqui, ex quibus omnibus simul « aggregatis, summa unius complectitur, quare manifestum est quod « non ea intentione ordinis possunt esse duodecim ordines malignorum « spirituum, cum secundum hanc positionem sapientum christianorum « non nisi decima pars cælestium spirituum ceciderit, et a bonitate « naturali depravata in malignitatem degeneravit. » *Hæc ille.* Quæ verba ponderans Antonius Rusca *lib.* 5. *De inferno et statu damnatorum*, inde hæc infert: « Cum ergo, ait, juxta hujusce auctoris mentem « tot legiones sunt in unoquoque ordine substantiarum abstractarum, « quot sunt in una legione Angeli, legionis autem numerus sit sex « millium, sexcentorum sexaginta sex, apparet evidenter si dicamus « ad numeri integri ordinis Angelorum, ascendere multitudinem dæ-« monum peccantium, cecidisse sex mille et sexcentas sexaginta sex « legiones malorum angelorum, quæ constituunt numerum 14435556 ». — Verum ut ista gratis et absque ullo fundamento proferuntur, sic verosimilius censent aliqui tertiam dumtaxat Angelorum partem a gratia sanctificante seu innocentia et statu felicitatis excidisse, hac nixi conjectura, quod Apocalypsis xii. 3 *draco magnus*, idest diabolus, *cauda sua traxerit tertiam partem stellarum cæli, et miserit eas in terram.* Verum tametsi concedatur per draconem illum magnum intelligendum esse diabolum, non tamen ideo consequeretur ibi sermonem esse de primo ejus sociorumque peccato. Probabile enim est eis verbis significari perniciosam dæmonum potentiam, quia notabilem Ecclesiæ doctorum et antistitum numerum quos Deus in Ecclesia sua constituit ad aliorum institutionem et illustrationem, a veritatis professione

et sincera pietate dejiciens, in erroris et nequitiæ partes pertraxit. Neque enim verba ista, si juxta sensum litteralem accipiantur, intelligi possunt de ipsis Angelis lapsis ; alioqui non infernus, sed terra diabolorum habitaculum et recessus erit habenda; dicitur enim expresse draconem tertiam stellarum cæli partem non in infernum, sed in terram projecisse. — Itaque certum quidem est plurimos Angelos esse prævaricatos, siquidem princeps eorum dæmonum qui miserum illum hominem vocabant, cujus mentio est *Marc.* 5. v. 9 ; *Luc.* 8. v. 30., interrogatus a Christo quod ipsi nomen esset, respondit : *legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Quot vero præcise sint, nullus certo statuere potest, cum id nec ex Scriptura sacra, nec ex traditione constituatur. Probabile tamen est plures stetisse in veritate seu fideli obsequio Angelos, quam qui desciverint, nam, inquit S. Thomas 1. part. quæst. 63. art. 3, peccatum est contra naturalem inclinationem ; ea vero quæ contra naturam fiunt in paucioribus accidunt ; natura enim consequitur suum effectum, vel semper vel in pluribus.

Petes secundo: *Utrum dæmones eumdem servent invicem ordinem quem ante suum lapsum obtinebant?*

Respondeo dæmones inter se nullum ordinem proprie servare, nam teste S. Jobo, *in inferno nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Nihilominus cum angelorum istorum prævaricatio nullum eis in naturalibus præjudicium intulerit, etiam naturalem quamdam, ut antea, servant invicem præeminentiam ; adeo ut qui fuerant præstantioris naturæ conditi, in alios etiam superioritatem quamdam obtineant, servant ordinibus sanctorum spirituum veluti correspondentem, tametsi eis e diametro opponantur. Unde inquit Guillelmus Parisiensis loco supra laudato, contrariis nominandi sunt nominibus, nimirum antiseraphim, anticherubim etc. « Antiseraphim dicuntur qui majori « Creatoris odio exardescunt; anticherubim qui majori cæteris præcel- « lunt astutia; antithroni qui pervertendis judiciorum semitis, et cor- « ruptioni judicum seu tribunalium summo opere intendunt, et taliter « malignandi pestilentissimum officium vel sibi ipsis assumpserunt, « vel a principe malitiæ susceperunt; et antidominationes, antiprinci- « patus, antipotestates, e contrario sanctorum ordinum officio acci- « pies. Et juxta hos modos antivirtutes eos qui monstra vitiorum et « imbecillitates stupendas gerunt, vel suadent, sic antiarchangelos qui « majora mala, quæ proprie scelera dicuntur, suggerunt hominibus. « Hæc est igitur ordinatio Ecclesiæ malignantium et synagogæ Satanæ « juxta sermones prophetieos tam hebraïcæ quam christianæ legis. « Hæc est ridiculosissima simia, et horrifica deformitate ignominio- « sissima, de cujus similitudine ad gloriosam Dei Ecclesiam principes « malignorum spirituum gloriantur, ac si ista similitudo esset veri « nominis similitudo, et non potius dissimilitudo distantiæ et discre- « pantiæ manifestæ, qua si præcise tali catervæ damnatorum et æternis « suppliciis adjudicatorum aliquid esset laudis et gloriæ, cum revera « non aliter aliquid laudis habeat, aut gloriæ, nisi cum præest eis « aliquis ad eos torquendos, hoc autem ibi non est, cum ipse princeps « eorum non solum in eadem damnatione sit, sed tanto etiam in ma- « jori quanto constat plus esse sceleratum omnibus aliis. » *Hæc Guil-*

Ielmus. — Nihilominus addit cap. 15. dæmones justo Dei judicio subjectos esse alicui inter eos principi, tamquam sævissimo tyranno in vindictam suæ erga Creatorem perduellionis, cujus suavissimum jugum excusserunt. Nulla enim, *inquit*, pœna justior est tam iniquæ excellentiæ, quam vilissima conculcatio qua a vilissimo principe suo nequissime opprimuntur. Obtemperant autem suo principi non ex humiliate aut obedientia, quæ nulla est inter eos, sed ex odio et iracundia in Creatorem et homines; quibus fit ut se invicem coadjuvent ad homines tentandos et impugnandos, quemadmodum contingit nonnumquam inter homines qui licet invicem odio inardescant, consentiunt tamen in alterius perditionem. — Tanta vero inimicitia dæmones invicem dissentiunt, tantoque odio desæviunt, ut ne minimum etiam amoris naturalis igniculum sentiant, « quemadmodum enim, ait Guil-« lelmus, videtur in hominibus, iram et odium, superbiam, invidiam « et alias hujusmodi pestilentissimas passiones, naturalem dilectionem « adeo impedire, et quasi suffocare naturalem dilectionem, ut vix ex « ea modicus igniculus aut scintilla tenuissima boni desiderii, ex illa « immittat actum, sic non est tibi mirandum, si vehementia malignitatis hujusmodi spirituum non permittit eos bonum velle, vel desiderare in alterutrum, sed nec etiam cogitare, præsertim cum adeo « illos occupet possideatque malignitas, ut pene nihil, si tamen eis « aliquid bonæ affectionis reliquerit. Et hoc ipsum tibi manifestum « est in hominibus quos ira vehementer exagitat, qui dum in eos, « quibus irati sunt, sæviunt, nec de se ipsis, nec de illis, quod homines sint, prævalent cogitare, nec de Creatoris justitia, vel judiciis. « Verissime tamen de his sermone prophetico dictum est, quia non est « timor Dei ante oculos eorum. similiter neque amor. Nec mirum si « omnes bonæ affectiones et sopitæ, vel etiam in eis exstinctæ sunt, « quia tanta perversitate a naturali bonitate sua alienati sunt, ut « ipsum fontem bonitatis, Creatorem scilicet benedictum, et odire potuerint, et adhuc possint, quemadmodum sermone prophetico dictum « est: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Quod si quis « quærat, utrum pietate vel compassione aliqua moveantur inter alterutrum, cum alteri aliorum miserias, tormentaque cognoscant, et « quibus in præsenti torquentur, et quibus in futuro judicio cruciandi « sunt, non aliud videtur mihi respondendum in hoc, nisi quod unus « eorum in quadam apparitione respondisse dicitur de seipso, videlicet, quia pietatem numquam habuit. Tu jam nosti multiplici experientia, quod passiones, quas nominavi tibi, vel sopiunt, vel extinguunt funditus bonas affectiones in eis quos arripuerunt, sicut « manifestum est tibi de invidia : videlicet, quod amorem invidentis « in eum cui invidet nullum esse patitur, nisi quis dicat amorem « ipsum potentiam amandi naturalem, quæ etsi radicaliter in illis « remanet, adeo læsa, adeoque impedita est ut fructus debitus ex ea « nasci vel exire non possit. Habet insuper hujusmodi potentia fortissima impedimenta cruciatum quos patiuntur ».

QUÆSTIO SECUNDA.

QUODNAM ET QUALE FUERIT PRIMARIUM ET CAPITALE DIABOLI PECCATUM.

Notandum 1. Quod etsi nihil de priori dæmonum peccato Scriptura sacra distincte pronunciet, ex ea tamen Theologiæ Principes sumpserunt ansam varias hac de re statuendi sententias. Plura namque " * cogitari posse peccata quæ perduelles Angeli a suæ rebellionis initio committere potuerunt; puta peccatum præsumptionis de propriis viribus ac præcellentiis; invidiæ erga homines; odii in Deum: similiter inordinati cujusdam desiderii beatitudinis, in quantum præcise est bonum quoddam delectabile; et tandem complacentiæ nimiæ in propriis perfectionibus, quam peccatum luxuriæ Subtilis Doctor appellat; *Sicut*, inquit ipse, *peccatum quo inordinate delectatur aliquis in speculatione conclusionis Geometricæ ad luxuriam reducitur*. Quodnam autem horum omnium primarium ac capitale fuerit, invicem dissentiunt Auctores; maxime vero duas in partes scinduntur, quorum *Aliqui volunt* cum nostro Alensi 2. *parte q.* 98. *membr.* 2. S. Bonaventura in 2. *dist.* 5. *art.* 1. *q.* 1. et S. Thomas 1. *p. q.* 63. *art.* 1. primum Angelorum peccatum non esse aliud, quam superbiam proprie dictam. *Contendunt vero Alii* cum Subtili Doctore, primum peccatum Angeli fuisse inordinatum sui ipsius amorem, et quamdam superbiam luxuriam improprie dictam, seu potius spiritualem, qua Angeli in suis dotibus nimium complacentes, inordinate concupiverunt bonum spirituale delectabile, nempe suam beatitudinem naturalem. Sicut enim cupiditas inordinata boni delectabilis corporalis constituit speciem luxuriæ; ita appetitus inordinatus boni spiritualis summe delectabilis speciem luxuriæ spiritualis efficit. Quæ autem earum sententiarum sit verior, hic est resolvendum.

Notandum 2. Sanctos Patres varie de primo diaboli peccato sensisse: quadruplex enim diversa distingui potest eorum hac de re sententia. *Primo* namque illi omnes qui Angelos corpore præditos putarunt, tale peccatum eorum fuisse censent, ut cum orbi huic administrando præpositi essent a Deo, mulierum capti specie, stupri cum eis consuetudinem habuerunt, ac propter impuritatem, et flagitium, Cælo ac Dei consortio sunt ejecti: ita enim interpretandum putaverunt illud *Genesis* 6. *Videntes Filii Dei*, vel ut ferunt alii codices, *Angeli Dei, filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Ita in primis censuit Justinus in Apologetico a nobis laudatus initio præsentis Articuli. Subscripsit Clemens Alexandrinus *lib. quinto Stromatum*, ubi ait Angelos mulierum specie captos eis arcana quædam ac recondita patefeceisse; *Angeli*, inquit, *illi quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enunciarunt arcana mulieribus, et quæcumque ad eorum venerunt cognitionem, etc.* Idem docuit Tertull. *lib. De idololatria cap.* 9. affirmans dæmones Dei desertores, amatores fœminarum, homines vanam astrologiæ curiositatem docuisse. Et *lib. de habitu muliebri*, asserit dæmones fuisse Doctores, et inventores eorum omnium quæ mulieres ad sui ornatum superbe assumunt: *Proprie*, inquit, *et quasi peculiariter instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum quibus monilia variantur, et*

circulos ex auro quibus brachia arctantur: et medicamenta ex fuco, quibus lanæ coromantur: et illum ipsum nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur. Hinc *lib. De Virginibus velandis,* monet velanda mulierum capita, ut docet Apostolus 1. ad Corinth. 11. propter Angelos; *Quos,* ait, *legimus a Deo e Cœlo excidisse ob concupiscentiam fœminarum... Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad Cœlum scandalum jaculata est.* Quod autem mirum est, eamdem in sententiam ivit sanctus Ambrosius qui in lib. 7. *De Virginibus* ait; *Quam præclarum,* inquit, *Angelos propter intemperantiam suam in sæculum decidisse de Cœlo, Virginem vero propter castimoniam in Cœlum transiisse de sæculo!* — *Non desunt* qui putent Angelos invidia primum lapsos fuisse; quod utique trifariam explicant, nam *Aliqui volunt* eum homini invidisse, eo quod ad imaginem Dei factus et expressus esset. Ita Gregorius Nyssen. in *Catechesi* cap. 6. *Hoc autem,* inquit, *homo animal erat in quo divina intelligibilis naturæ pulchritudo inexplicabili quadam virtute temperata erat, quod indigne tulit* dæmon, *nec tolerabile ratus est ille qui terrenarum rerum curationem sortitus fuerat, quod ex subjecta sibi natura substantia quædam esset condita, quæ ad excellentis illius dignitatis similitudinem expressa foret.* Idem habet Cyprianus *lib. De zelo, et livore,* necnon et August. *lib. De Genesi ad litteram,* cap. 11. Lactantius vero putavit dæmonem invidisse Filio Dei, quem Pater produxerat similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris præditus. Bernardus denique *Sermone* 17. *in Cantica,* putat eum invidisse incarnationi Verbi, ac homini Deo, uti jam ex ipso semel, et iterum declaravimus. — *Sunt etiam plurimi* qui putant primum ac capitale dæmonis peccatum fuisse superbiam; quos utique referemus ac refellemus in objectionibus; *Cæteri vero* edocent illud peccatum non aliud fuisse, quam nimium sui ipsius amorem, et inordinatam in propriis dotibus complacentiam. His itaque constat hac de re non esse concordem SS. Patrum sententiam; adeoque nobis fas esse alterutram partem amplecti.

Notandum 3. Cum Doctore Subtili in 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. omnes actus voluntatis adæquate dividi in nolitionem et volitionem; ita ut nullus sit actus, nec bonus, nec malus voluntatis, nisi actus quo prosequitur conveniens seu bonum, qui actus vocatur volitio, vel velle: seu actus quo fugit disconveniens, seu malum, qui actus vocatur nolitio, seu nolle. Advertit præterea Doctor inter utrumque actum hunc esse ordinem, ut prius non possit haberi nolitio quam volitio, *A nullo enim,* inquit, *refugio, nisi quia non potest stare cum aliquo quod accepto tamquam conveniens;* quæ verba non ita usurpanda sunt, quasi non possit haberi, absolute ulla nolitio, sine priori actu volitionis; non enim apparet, cur non possit aliquis nolle molestiam aut cruciatum sibi propositum absque ulla prorsus formali volitione delectationis, aut boni convenientis oppositi: sed tantum vult Doctor, quod non possit aliquis nolle disconveniens sub ratione formali disconvenientis, et quatenus est oppositum bono convenienti, impeditque illius consecutionem, nisi quia prius vult bonum illud conveniens. — *Monet insuper* actum volitionis distingui in amorem amicitiæ, quo aliquem amamus propter se; et concupiscentiæ, quo aliquid alicui volumus, seu

ut ipse loquitur; *Duplex est velle, quod potest nominari amicitiæ, et concupiscentiæ: et dicatur velle amicitiæ esse istius objecti cui volo bonum: et velle concupiscentiæ istius objecti, quod volo alicui amato.* Quod utique non sic accipiendum est, quasi amor amicitiæ esset præcise volitio, qua quis personam diligit non volendo illi bonum, alter vero nempe concupiscentiæ, sit volitio qua solum vult bonum personæ amatæ; etenim amor amicitiæ est etiam actus quo volo bonum personæ quam diligo; ipsam namque vere non diligerem, si ipsi bonum non optarem; sed per amorem amicitiæ, cum intelligit Doctor, quo quis vult bonum alicui propter solum ipsius amorem, dilectionem, absque eo, quod ad id moveatur amore alterius: amor vero concupiscentiæ sit volitio qua quis vult bonum alicui propter amorem quem habet erga alterum: sic v. g. dum quis amat proximum propterea quod Deum diligit, qui amorem proximi imperat, et ipsi benefaciendum esse præcipit, illa volitio qua vult bonum proximo, dici poterit amor concupiscentiæ: siquidem non vult ipsi bonum præcise quia ipsum diligit, sed tantum propter amorem quem habet erga Deum, qui imperat bonum esse proximo procurandum.

Observat denique Doctor ibidem, istorum duorum amorem concupiscentiæ præsupponere amorem amicitiæ: *Cum enim*, inquit, *amatum sit respectu concupiti quasi finis cui volo bonum: nam propter amatum concupisco sibi bonum quod sibi volo; et cum finis voluntatis habeat primam rationem objecti voliti; patet, quod velle amicitiæ præcedit velle concupiscentiæ.*

His ita prænotatis, tria supersunt hac in Quæstione determinanda: *Primum*, an primarium ac capitale Angeli peccatum fuerit inordinatus amor amicitiæ sui: *Secundum*, quid per amorem inordinatum concupiscentiæ desideraverit: *Tertium*, an ille uterque amor amicitiæ, et concupiscentiæ fuerit superbia proprie dicta, vel potius luxuria spiritualis.

Conclusio prima. — Primum Angeli peccatum fuit inordinatus amor amicitiæ sui ipsius. Ita Subtilis Doctor loco supra laudato, *num.* 1. ubi ait, quod simpliciter actus primus inordinatus voluntatis Angeli fuit primum velle amicitiæ voluntatis ejus, qui voluit bonum: « hoc autem objectum non fuit Deus, quia non potuit « Deum inordinate ex intentione amare amore amicitiæ: nam Deus « est tale amabile, quod ex sola ratione sui, ut objectum est, dat « completam rationem bonitatis actui perfecte intenso: nec est veri « simile, quod aliquid aliud a se nimis intense dilexerit actu amicitiæ: tum quia inclinatio naturalis magis inclinavit ad se, quam « ad aliquid aliud creatum sic amandum: tum quia non videtur quod « aliquid aliud creatum a se sic intellexerit sicut se: ergo primus « actus inordinatus fuit actus amicitiæ respectu sui ipsius. » *Hæc Doctor*, quibus aperte indicat primum peccatum Angeli fuisse inordinatum amorem amicitiæ sui ipsius; quod utique sic

Probat: Primum Angeli peccatum fuit amor inordinatus sui: sed non fuit amor concupiscentiæ, quatenus ille ab amore amicitiæ distinguitur: ergo revera fuit Amor inordinatus amicitiæ. *Minor* constat; amor enim, quo Angelus amavit seipsum, is non erat quo se diligebat ob

amorem alterius, siquidem non est verisimile, quod ullam aliam creaturam aut prius, aut magis amaverit, quam se. Nec etiam se amavit propter Deum; amor enim ille non fuisset inordinatus: sed ille amor quo seipsum amavit, et non propter amorem alterius, est revera amor amicitiæ: et consequenter ille amor quo inordinate se Angelus amavit non erat amor concupiscentiæ, quatenus ille ab amore amicitiæ distinguitur. *Minorem* vero probat Doctor: *Primo* quidem auctoritate S. Augustini *lib.* 12. *De Civit. c.* 6. ubi cum dixisset causam beatitudinis sanctorum Angelorum esse, *quia ei adhærent, qui summe est:* subdit: *Cum vero causa miseriæ malorum Angelorum quæritur, ea inverito occurrit, quod ab illo, qui summe est, aversi, ad seipsos conversi sunt.* Hæc autem adhæsio, vel conversio per amorem primario fit: adeoque censet S. Augustinus primum Angeli peccatum fuisse inordinatum sui amorem. Idipsum repetit, et evidentius explicat *lib.* 14. *cap. ult.* ubi asserit quod duo amores fecerunt duas civitates: *Civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui. Civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei.* Prima igitur radix Civitatis diaboli, inquit Doctor, fuit inordinatus amor amicitiæ sui, quæ radix germinavit usque ad contemptum Dei, in quo est consummata ista malitia. Idipsum insuper docet *lib.* 11. *De Genesi ad litteram cap.* 15. ubi ait: *Angelum peccasse amando, non pecuniam, sed propriam potestatem, et proinde perversus sui amor privat sancta societate turgidam spiritum.* — Eamdem *majorem* ratione confirmat Doctor: primum peccatum Angeli aut fuit volitio, aut nolitio: si volitio, maxime vel qua inordinato modo complacebat in se, vel qua volebat aliquod bonum sibi indebitum: si primum, aperte constat, quod illa volitio erat amor sui inordinatus. Si secundum vel illa volitio præsupponebat aliam, qua inordinate complacebat in se, nullus namque vult alteri bonum, nisi prius ipsum diligat, et sic illa prima volitio complacentiæ in se necessario fuit primum peccatum: vel non præsupponebat, et sic ipsamet volitio erat amor inordinatus sui: siquidem volitio qua quis vult sibi bonum, et non propter amorem alterius personæ, vel est amor proprius, vel præsupponit amorem proprium. Si dicatur, quod fuerit nolitio, quod tamen nullus hactenus affirmavit, siquidem docent omnes, primum Angeli peccatum fuisse commissionis, et non solius omissionis: nihilominus etiamsi fuisset aliqua nolitio, illa necessario præsupponere debuisset volitionem, vel non debuisset præsupponere: si præsupposuit, illa præsupposita volitio fuisset amor proprius inordinatus; si non præsupposuit, illa nolitio fuit amor proprius vel formaliter, vel æquivalenter: quia quando quis non vult sibi malum, idque non ob amorem alterius personæ, sine dubio censendus est illud malum sibi nolle ob amorem sui ipsius. — ✻ " Itaque dæmones ex propriæ suæ excellentiæ contemplatione elati et inflati, inordinato sui amore turgere cœpit eorum voluntas, et perversa celsitudinis affectatione deserere cœperunt et aversari Deum, cui subjici et inhærere debuerant, imo et adversus eum reluctari ac supremam illius æmulari divinitatem et majestatem. Si enim est tanta vis adulationis, ut etiam manifestissime falsa et incredibilia persuadeat qui se illi fallendum præbet; cujus virtutis esse putanda est quæ ex ipso corde seu intellectu unicuique confingit inopinabilia falsa persuasio,

cum idem sibi est orator et judex, et decipiens et deceptus? Ex hoc autem inordinato amore prodiit superbia: hæc vero invidiam in ipsis parturivit. Nam, ut recte adnotat S. Augustinus lib. 2. *De Gen. ad litt., invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ: invidia vero odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei cœquantur: vel inferioribus, ne ei cœquentur: vel superioribus, quod eis non cœquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.* Cujus progressum idem egregie describit *commentario in Ps.* 121: *Qui voluit habere ex se idipsum, ut quasi sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus et factus est diabolus. Propinavit homini superbiam: dejecit secum invidentia eum qui stabat. Isti sibi voluerunt id ipsum esse: sibi principari, sibi dominari voluerunt. Ab illo ergo qui summe est aversi, ad se conversi sunt et sibi voluerunt fieri principium.* Itaque ex inopinata, ex inordinata in propriis dotibus et prærogativis complacentia deviare cœpit voluntas, et in superbiam effervescere; unde divinam æqualitatem ambiens illius in homines dominatum æmulatus est, quem ut obtineret eos ab accepta sanctitate et innocentia deturbare aggressus est." ✻

Dices: Amor amicitiæ ille est, quo Angelus non concupiscit aliquod bonum a se distinctum: sed complacet tantum in suis perfectionibus intrinsecis: sed ille amor non potest habere aliquam malitiam sibi adjunctam: ergo non potuit esse primum Angeli peccatum. *Major* constat: *minor* probatur: amor ille non potest esse malus, cujus objectum non est malum; nec ullam habet circumstantiam, qua deordinetur aut inficiatur: sed amor ille, quo Angelus seipsum diligebat, habebat objectum bonum, nempe Angeli dotes tam naturales, quam supernaturales; nec videtur habuisse ullam circumstantiam inficientem, aut deordinantem. Si enim aliqua posset assignari, maxime major aliqua intensio ipsius amoris, quam oporteat: sed quoties actus secundum substantiam suam est bonus, et habet bonum objectum, non videtur quod possit esse mala ipsius intensio: ergo talis amor non potuit esse malus, nec consequenter potuit esse primum Angeli peccatum. — **Respondeo** 1. negando *majorem:* nam amor amicitiæ secundum Doctorem Subtilem, ut *in tertio Notabili* declaravimus, non solum ille est quo quis vult sibi bonum aliquod intrinsecum, sed etiam quo quis potest velle bonum aliquod extrinsecum a se distinctum, non propter amorem alterius, sed propter amorem sui. Unde quamvis Angelus non posset peccare nimium complacendo in suis perfectionibus intrinsecis, et eas intensissime diligendo; inde non sequeretur, quod ejus amor amicitiæ non posset esse inordinatus; siquidem hoc amore posset velle sibi bona aliqua extrinseca, quæ velle non deberet: hic autem amor cum alterum amorem non præsupponeret, inde non sequeretur, quod ille non esset amor amicitiæ; siquidem juxta Doctorem Subtilem, amor amicitiæ in hoc ab amore concupiscentiæ non distinguitur, quod per illum Angelus velit tantum bonum sibi intrinsecum, per hunc vero bonum extrinsecum sibi cupiat, ut non ita recte ipsum interpretatus est Suarez *lib.* 7. *num.* 9. *cap.* 14. Siquidem secundum

sententiam Doctoris, amore amicitiæ potuit etiam Angelus bonum velle sibi aliquod externum, et a se distinctum. — *Respondeo* 2. negando *minorem:* falsum enim est, quod amor perfectionum intrinsecarum non possit esse malus, et inordinatus, ratione majoris intensionis quam deberet habere; etenim unusquisque tenetur Deum supra se, et plusquam omnia diligere; et consequenter toties peccare potest, quoties potest majorem erga se, quam erga Deum amorem elicere: sed aliquis etiam non concupiscendo sibi bona externa et distincta, potest majorem erga se amorem elicere, quam erga Deum; adeoque ille amor sui ipsius potest esse malus.

Est autem verisimilius, quod primum Angeli peccatum fuerit ipsemet amor inordinatus sui ipsius, non quo bona quædam extrinseca sibi volebat; etenim Doctor *num.* 15. videtur supponere, quod peccaverit Angelus amore concupiscentiæ, desiderando bona illa extrinseca; subindeque indicat, quod amor amicitiæ, quo primum peccavit, fuerit aliquis amor inordinatus, quo in seipso nimium complacuit: idque rationi apparet consentaneum; tum quia Angelus non minus perfectam sui cognitionem habuit, quam aliarum rerum; adeoque verisimile est, quod ipsa cognitio suarum perfectionum ejus voluntatem induxerit ad nimiam sui complacentiam: tum quia exinde facile concipitur qualiter ille inordinatus sui ipsius amor eum ad cætera committenda peccata stimulaverit: tum denique quia hoc ipsum aperte videtur sentire S. Augustinus a nobis supra laudatus, affirmans Angelum ideirco a societate Sanctorum fuisse segregatum, quod propriam potestatem amando, perverso amore sibi complacuerit.

✻ " Ut autem objectionum sylvæ quam ex præmissa eliciunt ac progerminant Thomistæ securis injiciatur, hunc syllogismum conficio: qui in creatura suam beatitudinem, ea volendo finaliter frui, constituit, graviter peccat; sed Angelus ita seipso frui voluit: visa enim sua naturali excellentia illam sic amavit, ut ea frui omnino vellet, ac in ea finaliter delectari, quasi ipse sibi satis esset ad beatitudinem. Igitur graviter peccavit; hic enim actus complacentiæ perversus est ac pravus, et contrarius rectæ rationi, et offensivus Dei qui est omnium finis ultimus et in cujus solius fruitione beatitudo consistit. " ✻

Conclusio secunda. —Amore concupiscentiæ peccavit Angelus, maxime inordinate appetendo beatitudinem supernaturalem. Ita Doctor eadem qu. 2. num. 5. *Videtur*, inquit, *dicendum, quod primo concupierant sibi immoderate beatitudinem.* Quamquam autem aperte non explicet de qua beatitudine, naturali an supernaturali loquatur, verius tamen dicendum arbitror ipsum de supernaturali esse intelligendum: tum quia illa est, quæ absolute, simpliciter beatitudo appellari solet a Scholasticis: tum quia ibi loquitur Doctor de beatitudine quam Angelus non habebat: non carebat autem beatitudine naturali, subindeque eam inordinate appetendo præcipue non peccavit, quamquam tamen in ea inordinate appetenda peccare potuisset, nimirum illam appetendo cum independentia a Deo, vel eam tanti faciendo, ut ad beatitudinem supernaturalem non tenderet, licet novisset se ad eam procurandam creatum, et ordinatum fuisse a Deo.

Probat autem Conclusionem Doctor: primo quidem ratione deducta ex S. Anselmo *De casu diaboli cap.* 4. Primus actus concupiscentiæ inordinatus Angeli, vel processit ex affectu justitiæ, vel ex affectu commodi, hoc est, processit a voluntate, vel secundum quod habet inclinationem ad bonum honestum, quod juste, et juxta dictamen rectæ rationis appeti et comparari potest: vel secundum quod habet inclinationem ad bonum commodum. *Non primum:* quod enim juste et secundum rationem diligitur ac concupiscitur, non inordinate amatur: Ergo *secundum.* Sed verisimile est, quod voluntas agens, et aliquid appetens ex affectu commodi contra justitiæ præscriptum, primo versetur circa maximum bonum commodum ex omnibus, quæ ipsi manifestantur: hoc autem maximum commodum bonum est ipsa beatitudo supernaturalis: ergo prima concupiscentia inordinata voluntatis angelicæ circa bona commoda non habita, maxime versabatur circa beatitudinem supernaturalem. *Major* constat, *minor* probatur: quoties voluntas in appetendo bonum commodum nullam aliam regulam sequitur, quam impetum appetitus inordinati ejusdem boni commodi; cum ille appetitus sit naturalis: agens autem naturale toto nisu, totisque viribus in suum actum erumpat: consequens est, quod appetitus ille immoderatus voluntatis angelicæ ipsam ad volendum, et appetendum bonum commodum totis viribus stimulabat; subindeque impellebat illam ad maximum commodum inter ea, quæ ipsi proponebantur, et manifestabantur: tale autem commodum, et bonum maximum, erat beatitudo supernaturalis: ergo, etc.

Reponunt aliqui Thomistæ hanc rationem nihil probare; quia, inquiunt, primus appetitus commodi in Angelo potuit esse circa aliquod particulare delectabile; non autem necessum est, quod versetur circa summe delectabile, vel commodum. — **Contra:** voluntas Angeli non regulabatur, nisi ab appetitu commodi inordinato et immoderato: sed, ut sic totis viribus, summoque affectu tendebat ad id quod sibi maxime commodum videbatur: appetitus enim totis viribus impellit ad bonum commodum, adeoque impellit ad maximum commodum; agentia namque naturalia, qualis erat ille appetitus commodi, toto impetu erumpunt in actus, nisi præpediantur: ibi autem nihil erat impediens: si quid enim illum impetum reprimere potuisset, maxime affectus justitiæ, et dictamen rectæ rationis: neutrum autem ibi aderat, adeoque nihil erat, quo refrænaretur ille impetus: et consequenter toto nisu ferebatur in commodum sibi propositum, subinde appetebat maximum commodum, qualis est beatitudo supernaturalis.

Probat secundo: Prima inordinata Angeli concupiscentia fuit aliquis actus volitionis: ergo versabatur circa bonum honestum, utile, aut delectabile. Non circa honestum, alias esset honesta ac ordinata: non etiam circa utile, quia concupiscentia, et amor boni utilis, præsupponit concupiscentiam, et amorem boni, ad quod consequendum illud esse utile videtur: ergo illa volitio versabatur circa bonum delectabile: sed verisimilius est, quod versabatur circa maximum delectabile, qualis est beatitudo; quamvis enim illa sit etiam bonum honestum, possitque honeste appeti, tamen quia etiam est bonum valde

delectabile, potuit inordinate appeti; nimirum, vel eam tanto ardore appetendo, ut dolor esset, quod non ita cito a Deo conferretur, et propterea optaret eam possidere aliter quam Deus ordinasset: vel etiam vellet eam independenter a Deo possidere.

Probat tertio: Omnis appetitus maxime id desiderat, quod sibi proponitur maxime conveniens et delectabile: sic enim appetitus, qui fertur in visibile, summe appetit id quod ab oculo tanquam visibile magis oblectans percipitur: ergo cum voluntas Angeli non habeat appetitum sensitivum, quo moveatur ad appetenda sensibilia, maxime appetit id quod proponitur ab intellectu, ut summum delectabile: sed talis est beatitudo supernaturalis: ergo maxime in eam tendit appetitus angelicus: sed verisimile est, quod appetitus inordinatus Angeli ferebatur circa illud, quod maxime appetebat: ergo ferebatur circa beatitudinem supernaturalem.

Probat quarto: Illud primo appetitur a voluntate non regulata per affectum justitiæ, sed commodi, quod ea appeteretur quamvis alia appetibilia non essent, et quod si cætera abessent, non minus appeteretur: sed tale est objectum delectabile: ergo primo appetitu fertur in objectum delectabile: sed si feratur in objectum delectabile primo suo appetitu, verisimile est, quod feratur in maximum delectabile: ergo, etc. *Major* videtur manifesta, quia voluntas destituta affectu, et regula justitiæ, sequitur omnino commodum suum, et nullum vult incommodum: siquidem incommodum solum volumus, et appetimus affectu justitiæ, ut patet in martyribus, et pœnitentibus. *Minor* etiam apparet vera: bonum enim quantumvis excellens, si esset tristabile, et non delectabile, certum est quod non appeteretur appetitu commodi.

Denique probatur Conclusio: Certissimum est, quod Angelus aliquem actum circa beatitudinem supernaturalem habuerit: illam enim cognovit, ut sibi possibilem, novitque media quibus illam consequi posset; alioquin perfectus viator non extitisset: ergo vel actus ille fuit ordinatus, et sic non peccavit, sed meruit; vel fuit actus neuter, idest, nec bonus, nec malus, nec ordinatus, nec inordinatus, quod nullus Theologorum admittit; vel fuit inordinatus: sed non fuit ordinatus, nec neuter; ergo necessum est, quo fuerit inordinatus; et per consequens, quod fuerit peccatum. Quod autem fuerit primum peccatum, ex eo constat, quia cum objectum illud fuerit maxime delectabile, et potentia ab appetitu naturali duceretur et impelleretur ad bonum, necessario sequi videtur primum actum concupiscentiæ illius voluntatis fuisse circa beatitudinem supernaturalem.

Confirmantur et explicantur supradictæ rationes ab eodem Doctore *num.* 6. ubi observandum monet, quod quælibet potentia cognoscitiva habet appetitum sibi correspondentem: unde cum anima habeat potentiam cognoscitivam, nempe intellectum, habet etiam sibi correspondentem appetitum, qui in voluntate residet; quæ licet sit libera, tamen maxime conformatur appetitui naturali in agendo: et ideo, inquit Doctor, in hominibus secundum diversitatem complexionum, est dominium appetituum sensitivorum, et siquidem quælibet potentia cognoscitiva habet proprium appetitum, tunc secundum diversitatem complexionum est diversitas dominii in cognitivis diversis, et in eorum appetitivis: in quolibet, inquam, voluntas secundum prædominium ap-

petitus sensitivi maxime inclinatur ad actum ejus. Et ideo quidam sequentes inclinationem primam sine regula justitiæ, primo inclinantur ad luxuriam, quidam primo ad superbiam: voluntas ergo agendo sequitur appetitum naturalem, ut plurimum. Licet autem voluntas separata ab omni sensu, et appetitu sensitivo, non possit inclinari in aliquod objectum sensibile; cum tamen sit potentia naturalis, habet inclinationem naturalem ad objectum maxime sibi conveniens, in quantum est potentia naturalis; illud autem est beatitudo: quia idem est objectum appetitivæ, et facultatis cognoscitivæ. Cum ergo beatitudo sit maximum objectum intellectivæ virtutis, etiam erit summum, et maxime motivum appetitus intellectivi, qui est voluntas: et consequenter licet voluntas sit potentia libera, tamen cum in agendo sequatur appetitum naturalem, nisi reguletur, et refrenetur per affectum justitiæ, et dictamen rationis, consequens est, quod toto conatu primo concupiscit primum objectum delectabile, non ordinate; ergo inordinate; subindeque primus illius angelicæ voluntatis concupiscentis affectus inordinatus fuit circa beatitudinem. Ita Doctor.

Dices 1: Ex S. Augustino *lib.* 13. *De Trinit. cap.* 5. beatitudo ab omnibus appetitur: quod autem ab omnibus appetitur uniformiter est naturale; igitur beatitudo naturaliter appetitur: sed appetitus naturalis semper est rectus, quia est a Deo: ergo voluntas conformis appetitui naturali semper est recta; quod enim est conforme recto, rectum est: ergo in appetendo beatitudinem nullus peccare potest; adeoque primum amoris concupiscentiæ Angeli peccatum non fuit appetitus inordinatus beatitudinis. — **Negat minorem Doctor** *num.* 10. Cum enim volitio sit libera, et possit habere rationem mali, quamvis esset consona inclinationi naturali, seu volitioni talis objecti ad quod haberetur inclinatio naturalis, inde sequitur, quod licet feratur in objectum ad quod inclinatur naturaliter, non minus potest ejus affectus esse inordinatus: inclinatio enim ad quodcumque delectabile, v. g. naturalis est, et tamen certum est, quod desideria plurium delectabilium sunt inordinata, et mala: non est ergo verum, quod volitio elicita conformiter ad inclinationem naturalem rectam sit semper recta, et ordinata: quia voluntas, ut est libera, et elicitiva actus circa objectum, tenetur se conformare justitiæ, et regulæ superiori, quæ præcipit et ordinat ut illum appetitum naturalem regulet, et moderetur juxta dictamen rectæ rationis, et præscripta regulæ justitiæ.

Dices 2: Nullus intellectus errat circa prima principia: ergo nec voluntas errare potest circa ultimum finem qualis est beatitudo. Antecedens est *Aristotelis* 2. *Metaph. textu.* 1. Consequentia probatur ex eodem 2. *Physic. textu* 8. ubi ait: *Quod sicut se habet principium in speculabilibus, ita se habet finis in agibilibus, seu operabilibus.* — **Respondet Doctor** *num.* 11. negando consequentiam: et rationem disparitatis profert, quod principia prima determinant intellectum ad actum rectum; finis vero non determinat voluntatem semper ad actum rectum: sed ipsa ex se potest habere vel actum malum, vel bonum circa finem, pro suo arbitrio; cum enim intellectus sit potentia naturalis, et naturaliter sit operans, ideireo non potest non assentiri principiis sibi propositis, sed in tantum eis assentitur, in quantum eorum veritas magis ac magis ei manifestatur: secus est autem de voluntate, cum enim

hæc sit libera, ideo moderari potest appetitum proprium ne illi dominetur, et prævaleat in eliciendis suis actibus, imo ne actus absolute eliciatur; potest enim avertere intellectum a cogitatione illius objecti delectabilis circa quod ipse occupatur.

Dices 3: Si Angeli perduelles ex appetitu et affectu commodi peccaverint, concupiscendo nempe beatitudinem quatenus erat bonum commodum; sequitur etiam quod Angeli obsequentes pari modo peccaverint; sed illud consequens est absurdum; ergo et id unde sequitur. Patet sequela *majoris*, siquidem juxta S. Anselmum lib. *De Concordia* cap. 26. et 43. *Voluntas quod commodum est non velle nequit:* ergo cum omnes tam boni, quam mali habuerint affectum commodi, et maxime summi commodi, qualis est beatitudo; consequens est, quod si sit in hoc affectu peccatum, etiam Angeli boni peccaverint. — **Respondet Doctor** *n.* 12. negando sequelam; quia quamvis boni habuerint tantam inclinationem naturalem ad beatitudinem, quatenus est bonum commodum, quantam habuerunt mali, imo forte majorem, nempe præstantiorem habebant naturam; quia ista inclinatio, inquit Doctor, est secundum perfectionem naturalem: tamen quia boni operabantur ex affectu justitiæ concupiscendo beatitudinem, etiam temperabant affectum suum circa illam, ipsumque regulabant juxta dictamen rationis, et regulas Superioris, unde illam honesto et debito modo concupiscebant: *Non enim*, inquit Doctor, *utebantur voluntate secundum rationem ejus imperfectam, in quantum scilicet est tantum appetitus intellectivus, agendo scilicet tali modo quo competeret appetitui intellectivo agere; sed utebantur voluntate secundum perfectam ejus rationem, quæ est libertas, agendo scilicet secundum voluntatem eo modo quo congruit agere libere in quantum liberum agit: hoc autem erat secundum regulam superioris voluntatis determinantis, et hoc juste.* — *Ad probationem* autem sequelæ, nego, quod voluntas non possit non velle bonum commodum; quotidie enim contingit, ut non velimus bona commoda, propterea quod noverimus illa nobis esse prohibita. *Vel dico*, quod licet forte voluntas non posset non velle bonum commodum, maxime summum, qualis est beatitudo, tamen voluntas Angeli poterat ipsam velle inordinate, aut ordinate; ordinate quidem, nempe si vellet ipsam tantum obtinere quando, et quomodo Deus ordinaverat, aut si illam habere concupisceret tantum, ut Deum amore præstantiori diligeret. — Posset autem illam inordinate appetere: « idque tripliciter, inquit « Doctor n. 9. vel *quantum ad intensionem,* puta volendo eam ma« jori conatu, quam sibi conveniat; vel *quantum ad accelerationem*, « puta volendo eam sibi citius, quam sibi conveniat; vel *quantum ad « causam*, puta volendo sibi eam aliter, quam sibi congruat; v. gr. « sine meritis, vel forte modis aliis, de quibus omnibus non oportet « hic curare.

« Aliquo istorum modorum est probabile, quod excesserit voluntas « ejus, scilicet *vel plus appetendo* sibi beatitudinem in quantum est « bonum sibi, quam amando illud bonum in se: vel plus appetendo « illud bonum, ut objectum beatificum esse bonum suum tamquam « sibi bonum, quam appetendo illud inesse alii, ut Deo suo: et in « hoc est summa perversitas voluntatis, quæ est *uti fruendis, et frui « utendis*, secundum S. Augustinum *lib.* 83. qq. *q.* 30. *Vel secundo*

« *modo* potuit appetere habere illam statim, cum tamen Deus velit « eum illam habere post mortalem vitam. *Vel tertio modo* appetendo eam « ex naturalibus habere, non habendo eam gratiose, cum tamen Deus « velit eam haberi ex meritis. Debuit ergo libera voluntas moderari « affectionem quantum ad istas circumstantias quas recta ratio habuit « ostendere: quia beatitudo debuit minus appeti sibi quam Deo, et « debuit appeti pro tempore, pro quo Deus voluit: et ex meritis, pro « quibus Deus voluit eam debere appeti: ergo si aliquis istorum mo- « dorum sequebatur affectionem convenientem, non moderando eam per « justitiam, hoc est per infusam, si habuit, vel acquisitam, vel innatam « tam sive naturalem, quæ est ipsamet libertas, peccavit. » Qualia autem fuerint objecta appetitus angelici, res lvetur ad calcem istius Quæstionis. An autem uterque ille amor inordinatus Angeli, tam amicitiæ, quam concupiscentiæ, sit superbia proprie dicta, vel potius ad luxuriam spiritualem sit reducendus, aperiet

Conclusio tertia. — Amor inordinatus Angeli, tam Amicitiæ, quam Concupiscentiæ, fuit superbia: non formaliter, et proprie, sed radicaliter, et improprie dicta. Hæc videtur esse genuina Subtilis Doctoris sententia in præfata qu. 2. una. 14. ubi cum præmisisset sententiam S. Thomæ, et aliorum dicentium, quod amor ille inordinatus Angeli fuerit proprie dicta superbia, concludit: Ideo dico, *quod primum peccatum ejus non fuit superbia propria dicta; sed propter delectationem, quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam; sicut peccatum, quo inordinate delectatur quis in speculatione conclusionis geometricæ, ad luxuriam reducitur*: in quibus verbis duo maxime advertenda sunt: *Primum* quod Doctor absolute non neget amorem illum esse superbiam, juxta aliquam superbiæ usurpationem, sed tantum, quod non sit superbia proprie dicta. *Secundum* est, quod non dixerit illum amorem esse formaliter luxuriam, sed quod si ad aliquod ex septem capitalibus criminibus sit revocandus, magis congrue ad luxuriam, quam ad superbiam revocetur. Quod autem amor ille angelicus inordinatus non fuerit proprie dicta superbia

Probatur 1. Primum peccatum Angeli fuit immoderata complacentia in suis perfectionibus: sed superbia proprie dicta non est talis immoderata complacentia, inquit S. August. lib. 14. c. 15. *Quid est enim superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* Appetitus autem celsitudinis non est formaliter amor sui, sed ex eo sequitur: quia nemo potest appetere immoderate suam excellentiam et beatitudinem, nisi quia seipsum inordinate diligit: ergo primum Angeli peccatum non fuit formaliter superbia. *Deinde*, amor inordinatus amicitiæ erga alterum non est formaliter superbia: ergo nec amor inordinatus sui; eadem enim videtur esse ratio. *Denique*, proprie dicta superbia est inordinatus appetitus excellentiæ respectu aliorum: unde S. August. lib. 19. *De Civit.* cap. 12. ait: *Superbia perverse imitatur Deum; odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo:* quibus verbis significat, quod ratio formalis superbiæ consistit in appetitu excellentiæ, ut dicit relationem dominationis super alios; sed ille affectus dominationis non potest

esse primarium Angeli peccatum: idcirco namque voluit supra ceteros dominari, quia seipsum inordinate diligebat; qui inordinatus amor fuit equidem radix et origo superbiæ, non autem ipsa superbia formaliter: ergo, etc.

Obiciunt primo Thomistæ varios Scripturæ contextus, quibus significari contendant primum Angeli peccatum fuisse superbiam formaliter dictam. Imprimis vero illud Isaiæ 14. ubi in persona Regis Assyriorum allegoricę describitur peccatum principis dæmonum his verbis: *Detracta est ad inferos superbia tua: quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui dicebas in corde tuo:* in Cælum conscendam? etc. quæ verba manifestæ superbiæ sunt indicia. Secundo illud *Ezechielis* 28. ubi sub persona Regis Tyri describitur diaboli peccatum, et inter alia de eo dicitur: *Inventa est iniquitas in te.* Quæ autem fuerit iniquitas illa, declarat dicens: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, etc.* Elevatio autem cordis superbia est, vel effectus superbiæ proprie dictæ. Addunt illud Ecclesiastis 10. *Initium omnis peccati superbia.* Unde *S. Aug. lib.* 14. *De Civit. Dei c.* 13. addit: *Malæ voluntatis initium quid potuit esse aliud nisi superbia? — Confirmant* ex illo Tobiæ, ubi Tobias pater filio dicit: *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio:* atqui omnis perditio hominum imo et Angelorum sumpsit initium a peccato principis dæmonum: ergo peccatum illius fuit superbia. — *Hoc ipsum* probare nituntur variis sanctorum Patrum oraculis: imprimis vero S. Ambros. vel alius Auctor Epistolæ ad Demetriadem Epist. 33. *Hæc superbia*, inquit, *a diabolo sumpsit exordium; qui quoniam sua quam a Creatore acceperat, potentia, et dignitate sibi placuit, idque Auctoris sui gloriæ comparavit, cum Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat, a cœlesti sublimitate dejectus est.... Subinde itaque in lapsu diaboli sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est, quæ congruenter et avaritia nominatur, quia utraque appellatio cum significat appetitum, qui et suam mensuram concupiscat excedere; et non dignetur dives esse, nisi propriis. Tamquam habeat hoc simile Deo, ut bonorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia.* — Consentit S. Athanasius in Oratione de Virginitate; *Satanas*, inquit, *non propter fornicationem aut adulterium aut furtum de cœlo dejectus est: sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes præcipitavit.* Subscribit Hieronymus *in caput* 16. *Ezechielis*, ubi superbiam proprium diaboli, primumque peccatum vocat. Hoc ipsum pluribi docet S. August. maxime *lib.* 14. *De Civit. Dei c.* 13. ubi ait: *Malæ voluntatis, quid potuit esse nisi superbia? initium omnis peccati superbia est: quid est autem superbia nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit cum nimis sibi placet; sibi vero ita placet cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi.* Subscribit Fulgentius lib. ad Monimum c. 17. *Si initium peccati requiritur*, inquit, *nihil aliud nisi superbia invenitur: dicit enim Scriptura, Initium omnis peccati superbia; quæ itaque tunc initium sumpsit, cum Angelus adversus Deum elatus, et ipsa elatione prostratus per concupiscentiam, quæ radix est omnium malorum, volens usurpare, quod illi datum a Deo non fuit, a Deo decessit, et cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset.*

Tandem Bernardus lib. *De modo bene vivendi* serm. 37. *Superbia*, inquit, *radix omnium malorum, Angelos deposuit, potentes stravit, superbos dejecit.* Hinc superbia communiter peccatum dæmonum appellatur, *et Job* 12. Luciter vocatur *Rex super omnes filios superbiæ.* Constat igitur tum ex Scripturæ, tum ex sanctorum Patrum oraculis, superbiam fuisse primum, ac capitale dæmonum peccatum. — **Negat consequentiam Doctor** n. 17. et ad Scripturæ, et sanctorum Patrum auctoritates reponit, præsumptionem fuisse simpliciter primum peccatum Angeli, *Non quatenus,* inquit, *est prima species superbiæ propriæ sumptæ; sed quatenus significat nimiam complacentiam, et amorem inordinatum sui ipsius, quæ complacentia, et præsumptio, causa fuit, et radix superbiæ,* ut explicat S. Augustinus, et evidentius aperit lib. *De Genesi ad litteram,* cap. 25. ubi ait, *Diabolum amasse propriam potestatem, et perverso sui amore privatum sancta societate turgidum Spiritum.* Et cap. 23. *actu continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriæ potestatis delectatione corruptus.* Itaque prædictæ tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum auctoritates sic possunt explicari: *Primo* quod significent primum peccatum diaboli fuisse superbiam, non formaliter et proprie dictam, sed radicaliter et effective, quatenus nempe inordinatus ille amor sui ipsius, Angelum induxit, ut de se præsumeret, divinam præeminentiam et dominationem affectaret, ac tandem Deo subjici renueret. Vel quod superbia diaboli causa fuerit totius peccati, quod a primo Parente in universum humanum genus diabolus derivavit, ut explicat S. Augustinus in Psalmum 121. *Cecidit,* inquit, *Angelus, et factus est diabolus. Propinavit hominem superbiam: dejecit secum invidentia eum qui stabat; isti sibi noluerant idipsum esse, sibi dominari voluerunt.* Denique dico cum Seraphico Doct. *art.* 7. *qu.* 7. quod diaboli peccatum considerari debet quantum ad triplicem statum: scilicet, quantum ad inchoationem, consummationem, et confirmationem: initiatum est in complacentia et præsumptione; statim enim ut vidit suam pulchritudinem, præsumpsit: consummatum est in ambitione, quia præsumens de se, appetiit quod omnino supra se fuit, et ad quod pervenire non potuit; sed confirmatum est invidiæ, et odii aversione; quia ex quo obtinere non potuit quod appetiit, ideo invidere cœpit, et affectu odii contra ire, et in hoc firmatum est, quia hæc omnino ipsum a Deo separavit, et perfectum obstaculum posuit, sicut charitas perfecte Deo jungit.

Dices 2: Secundum S. Joannem, *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ:* sed primum Angeli peccatum non fuit concupiscentia carnis, aut oculorum: ergo fuit superbia vitæ. — **Negat consequentiam Doctor,** quia illa divisio comprehendit tantum peccata ordinaria hominum, non vero Angelorum. Quod si Angelorum peccatum ad aliquod ex illis tribus membris reduci debeat, potius revocandum est ad concupiscentiam oculorum, quam ad alia duo membra: *Sicut enim,* inquit Doctor, *in nobis ad concupiscentiam oculorum spectant immoderati appetitus alicujus visibilis pulchri: ita et in Angelis ad concupiscentiam oculorum debet spectare immoderatus appetitus delectabilis.*

Dices 3: Peccatum Angelorum reduci debet ad aliquod ex septem vitiis capitalibus: sed ad nullum commode revocari potest, quam ad

superbiam: ergo debet esse superbia proprie dicta. — **Respondet primo Doctor** n. 17. negando *majorem:* illa namque divisio peccatorum in septem genera, nec est adæquata, nec est etiam congrua: quod optime probat; quia si divisio peccatorum fiat juxta numerum habituum malorum oppositorum septem virtutibus, nimirum tribus Theologicis, et quatuor Moralibus, certum est, quod non sit bona, quia deberent assignari septem peccata distincta et separata ab illis septem; nam infidelitas, et præsumptio deberent numerari inter illa, et aliqua alia ex illis septem omitti. Quod si divisio peccatorum non sumatur sic, sed prout opponuntur actibus bonis, quibus observantur decem præcepta decalogi, deberent esse decem peccata. Unde concludit, quod illa divisio non debet admitti tamquam adæquata, nec ut comprehendens omnia peccatorum genera, nec etiam forte omnes radices peccatorum; *siquidem*, inquit, *infidelitas, et desperatio sunt opposita spei, suntque graviora peccata, quam peccatum gulæ, aut accidiæ, nec tamen sub illis membris comprehenduntur proprie, et directe;* hinc infert, quod hæc divisio sit peccatorum quæ fiunt ordinarie, et quæ sunt radices, et occasiones plurium peccatorum. *Respondet secundo* negando consequentiam, quia illa divisio non est adæquata; nec quodlibet peccatum debet esse aliquod ex illis formaliter, et proprie: plura enim sunt peccata, quæ nonnisi reductive ad illa septem spectant. *Respondet tertio* negando *minorem*, si enim reductive Angelorum peccatum ad unum ex illis septem revocetur, potius ad luxuriam, quam ad superbiam spectabit; *Sicut*, inquit Doctor, *omnis inordinatus appetitus delectabilis ad concupiscentiam oculorum revocatur.*

Instabis: Inordinatus delectationis affectus non solum in luxuria, sed etiam in gula, aliisque similibus intemperantiæ vitiis invenitur: ergo dato quod primum Angeli peccatum consisteret in deordinato delectationis affectu circa propriam excellentiam, non magis luxuria, quam gula spiritualis dici deberet. — **Respondet** 1. Quod etsi consequentia foret vera, tamen non pugnaret contra sententiam Doctoris: non enim contendit Doctor illam complacentiam inordinatam Angeli esse potius ad luxuriam, quam ad gulam revocandam; sed quod potius ad luxuriam, quam ad superbiam revocari possit. *Respondeo* 2. congruentius tamen ad luxuriam, quam ad quodlibet aliud peccatum esse revocandam; cum enim luxuria versetur circa objectum magis delectabile, quam gula; delectatio autem illa ab Angelo inordinate concepta de propria sua excellentia et perfectione fuerit summa; quia alias non movisset Angelum ad tot gravia patranda peccata; consequens est, quod ad luxuriam magis, quam ad alia peccata reduci debeat; quippe cum majorem in delectationis excessu proportionem habuerit cum luxuria, quam cum alio quovis peccato. ✻ " Hinc Subtilis Doctor hanc Angeli prævaricatoris in suis dotibus et præcellentiis nimium complacentiam jure optimo ad speciem luxuriæ spiritualis revocat, eamque explicat exemplo delectationis geometricæ demonstrationis quam aliquis mathematicus excogitavit; cum hoc tamen discrimine quod delectatio ex inventione novæ demonstrationis geometricæ nec immunda sit, nec mentem obtenebret, nec rationem obtundat, ut efficit luxuria spiritualis aut sensualis dum in ea complacentia aliquis suam beatitudinem collocat.

Quæres: *Utrum revera dæmones appetierint æqualitatem cum Deo, seu Deos esse?* " ✻

Respondeo, revera ipsos appetiisse æqualitatem cum Deo secundum se spectatam. Ita Doctor in 2. *dist.* 6. *q.* 1. *n.* 2. ubi cum impugnasset sententiam et rationes sancti Thomæ doc entis objectum excellens, cujus appetitione Angelus primo peccavit amore concupiscentiæ, non fuisse omnimodam æqualitatem cum Deo in natura: concludit Doctor: *potest aliter ad quæstionem responderi; scilicet, quod Angelus potuit appetere æqualitatem Dei:* idque probat ratione quadruplici: sed prius firmanda est hæc nostra responsio auctoritate tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum.

Primo namque ex Scriptura deducitur, quod de facto Lucifer appetiit hanc æqualitatem: ergo revera potuit eam appetere. Probatur antecedens ex illo *Isaiæ* 14. ubi Lucifer ait: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo:* quamvis enim de similitudine quæ potest esse minor quam æqualitas, ibi fiat sermo: nihilominus similitudo sine æqualitate perfecta non est. Adde quod si antecedentia verba considerentur, videntur perfectam similitudinem denotare, et exigere. ✻ " Ipsi concinit Ezechiel. cap. 28. v. 2. ubi sub typo et epigrapho regis Tyri, Luciferi ejusque sociorum perduellium angelorum superbiam et lapsum repræsentat: *Elevatum est cor tuum et dixisti: Deus ego sum;* et v. 12: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore etc.* Et v. 17: *Elevatum est cor tuum in decore tuo*, scilicet usque ad divinitatis appetentiam. Hinc Angelorum fidelium primus qui superbienti Lucifero restitit dicitur *Michaël*, hoc est, *quis ut Deus?* quia nempe Luciferi audaciam exprobrans verba ista veluti fulmina in ipsum vibravit. Huc etiam spectat quod de Christo Domino dixit S. Paulus ad Philipp. 2: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quasi diceret divinitatem et eamdem cum æterno Patre æqualitatem et majestatem non furto aut arrogantia sibi comparare voluit, ut tentavit Lucifer ejusque superbientes socii, sed eam jure suæ æternæ nativitatis et processionis a Patre sibi vindicavit. Hujus etiam divinitatis appetentiæ indicium non leve apparet ex illius tentationis genio quam illaqueandæ primævæ mulieri adhibuit Satanas cum ait: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum. Gen.* 3. v. 5. Si enim, ut recte infert S. Jacobus. cap. 1. v. 13. *Deus quia intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, signum est cum qui ad peccatum aliquod allicere alium velit, vel quod illi peccato succubuerit, vel quod ipsi sit obnoxius; colligere licet Satanam jam ante peccati illius, in cujus consortium trahere primos homines annisus est, scilicet ad affectationem similitudinis Dei fuisse reum. Hinc Sententiarum Magister dist. 6. citans Isidorum: *Lucifer*, inquit, *postquam creatus est, eminentiam naturæ et profunditatem scientiæ suæ perpendens, in suum Creatorem superbivit in tantum quod etiam Deo se æquare voluit, ut in Isaïa dicitur: Super astra Dei exaltabo solium meum, et similis ero Altissimo. Similis quidem Deo esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitatem potentiæ.* " ✻

Idem docent sancti Patres: imprimis vero S. Ambros. *epist.* 33. ubi ait: *Quoniam sua quam acceperat potentia, et dignitate sibi pla-*

cuit, seque Auctoris suæ gloriæ comparavit, a cœlesti sublimitate dejectus est. Clarius id indicat octon. 3. in Psal. 118. *Ille*, ait, *sic se exaltavit, ut vellet æquari Altissimo.* Subscribit S. Chrysost. homil. 3. *De Verbis Isaiæ: Dei*, inquit, *speravit æqualitatem, quæ res cum cœlo expulit.* Concedit S. Augustinus 14. *De Civit. cap.* 11. ubi ait, *Luciferum quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis magis, quam esse subditum dejisse.* Quasi diceret, quod Lucifer cum Deo æqualitatem in auctoritate, et potestate concupivit, quippe omnibus aliis præesse, nulli vero subesse optabat. Rem clare indicat Nazianz. *orat.* 17. ubi Luciferi elationem exponit, his verbis: *Indignum*, inquit, *atque intolerandum dicebat se cum divinus esset, non Deum quoque existimari.* quod eleganter expressit carmine, quod est de substantiis mente præditis ubi inter alia scribit:

Quocirca primus sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quod frueretur honore
Sperabat regale Dei solumque decusque)
Corruit amisso vilis splendore, miserque:
Dum Deum esse cupit, terræ caligine totus
Obrutus est.

Probat autem hanc responsionem Doctor. Primo quidem: voluntas secundum actum amoris amicitiæ, et actum amoris concupiscentiæ habet totum ens pro objecto, ita quod sicut quodcumque ens potest ipsa amare amore amicitiæ, sic et potest illud amore concupiscentiæ prosequi: sed æqualitas Dei secundum essentiam est aliquod bonum concupiscibile secundum se: ergo cum Angelus potuerit se amare amore concupiscentiæ, potuit sibi appetere omne bonum concupiscibile, subindeque potuit appetere æqualitatem Dei.

Probat secundo, et priorem rationem confirmat: si aliquid impediret quominus Angelus posset illam æqualitatem affectare, maxime quia non solum in se est impossibilis, sed etiam ut impossibilis apprehenditur ab Angelo: absurdum est enim asserere eum fuisse ita malitia excœcatum, ut eam æqualitatem divinam creaturæ omnino impossibilem esse non agnoverit: sed illa impossibilitas non impedit, quin potuerit Angelus ipsam Divinitatem appetere: ergo, etc. *Majorem* concedunt Adversarii; *minorem* vero probat Doctor, Primo quidem auctoritate Aristotelis *lib. 3. Ethic. cap.* 2. dicentis: *Electio quidem non est impossibilium. Voluntas autem est impossibilium, puta immortalitatis.* Insuper damnati Deum odio habent, juxta illud Psalmi 73: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper;* odiens autem vult objectum sui odii non esse: ergo damnati Deum non esse cupiunt: sed hoc est impossibile: ergo potest aliquid impossibile appeti. — ✻ " Confirmat ista Doctor ibidem num. 2; quia, inquit, voluntas peccans potest velle Deum non esse; quin etiam potest velle divinitatis eminentiam esse in aliquo. Igitur potest velle eam esse in se sicut in alio, et ita potest velle sibi eminentiam Dei seu divinitatem. — His accedit ferventissimus dilectionis Dei et charitatis æstus quo interdum flagrant homines sanctissimi, et quem S. Augustinus ipsemet his verbis exprimebat: " ✻ *Domine, si esses Augustinus, et ego possem esse Deus, mallem te quam me esse Deum.* Insuper sæpe sæ-

pius Justi optant Deum diligere amore infinito, et pœnitentes desiderant, quod numquam peccassent: sed hæc, ut apparet, sunt impossibilia: ergo potest voluntas velle id quod intellectus impossibile judicat.

THOMISTÆ DUPLEX DISTINGUNT IMPOSSIBILE: unum quidem per se, et absolute; aliud per accidens, et ex suppositione. *Primum* est illud, quod ex ipsis terminis involvit contradictionem, ut hominem esse lapidem; hoc enim merito dicitur esse impossibile absolute, et simpliciter, quia non est tale respectu hujus aut illius loci, temporis, vel causæ, sed respectu omnium absolute. *Secundum* vero est illud, quod non ex ipsis terminis, aut ex natura rei, sed ex aliqua tantum hypothesi involvit contradictionem: sicut v. g. Petrum non peccasse, hoc enim absolute non repugnat, quia poterat Petrus non peccare: sed jam repugnat ex hypothesi, quod peccavit, quia ratione temporis impossibile est ipsum non peccasse postquam peccavit. Inter utrumque autem impossibile hoc statuunt discrimen, quod impossibile per se quacumque facta suppositione, et addita conditione, nihil habet entitatis, aut bonitatis, ex quo provenit, ut non possit appeti, nedum per electionem efficacem tendentem ad executionem, sed neque etiam per simplicem voluntatem, sive per inefficacem voluntatis actum, etiam sub conditione: si esset possibile. At vero impossibile per accidens, licet, ut stat sub illa positione impossibilitatis, et in sensu composito illius, non sit possibile, nec consequenter habeat aliquam rationem boni, et convenientis; tamen secundum se sumptum, et ut per abstractionem pure præcisivam, abstrahit a tali suppositione, et impossibilitate, sive in sensu diviso illius, habet per se aliquam possibilitatem, et bonitatem: et ita consideratum, licet non possit esse formaliter volitum per actum electionis, quia electio tendit ad executionem, potest tamen esse volitum per simplicem actum voluntatis, qui dicitur voluntas; quia cum hic actus non tendat ad executionem, potest terminari ad objectum secundum se, abstrahendo a particularibus circumstantiis: unde propterea peccator vult inefficaciter non peccasse, quamvis ex suppositione quod peccaverit, sit impossibile. Ita Gonetus post Cajetanum. Quibus præmissis, respondent impossibile per se, et absolute nullatenus posse appeti, bene vero impossibile per accidens: ergo, inquiunt, cum divina æqualitas sit impossibilis creaturæ, ab Angelo nullatenus potest appeti. — Contra, impossibile per accidens, ex eis, potest appeti: ergo etiam impossibile per se. Patet consequentia, ad concupiscendum enim bonum apprehensum, ut impossibile, perinde est, quod sit impossibile aut per se, aut per accidens; quippe cum apprehendens noverit utrumque a se nusquam posse obtineri: ergo si ideirco impossibile per se sit inappetibile, quia scilicet nulla ratione potest obtineri ab appetente; pari ratione impossibile per accidens erit inappetibile, quippe cum appetens illud noverit se tale bonum non esse assecuturum. Sic pœnitens, qui optaret se non peccasse, cognoscit hoc esse impossibile, etiam per divinam potentiam, quia hoc solo privatur Deus, ut quæ facta sunt, infecta esse nequeant. Deinde damnati, ut dictum est, appetunt Deum non esse, et tamen illum non esse est impossibile simpliciter. Denique hæc ipsa eorum replica non subsistit cum doctrina sancti Thomæ: ille siquidem docet *q.* 16. *De*

malo, art. 3. *ad nonum*, et 1. 2. *qu.* 13. *art.* 5. *ad primum*, duplicem esse actum voluntatis: unum quidem efficacem, et completum: alium vero inefficacem, et incompletum. Unde subdit posteriori loco: *Voluntas completa non est nisi de possibili, quod est bonum volenti: sed voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundum quosdam velleitas dicitur, quia scilicet aliquis vellet illud si esset possibile: electio autem nominat actum voluntatis jam determinatum ad id, quod est hoc agendum, et ideo nullo modo est nisi possibilium:* ergo S. Thomas admittit voluntatem etiam posse esse impossibilium. — *Confirmatur* hæc impugnatio, et priores Doctoris rationes iterum firmantur a Doctore, ex S. Augustino *lib.* 83. qq. *qu.* 30. ubi docet quod voluntas potest uti fruendis, et frui utendis: ergo voluntas creata potest frui seipsa: sed non potest frui nisi summo bono: ergo potest concupiscere sibi summum bonum, quo una cum seipsa fruatur: hoc autem summum bonum est æqualitas cum Deo: ergo creata voluntas potest appetere æqualitatem cum Deo, non quidem appetitu efficaci, sed saltem inefficaci. Nam, ut observat Doctor ibidem *n.* 8. duplex est actus volendi, seu volitio: alia enim, inquit, est volitio *efficax*, alia volitio *complacentiæ*: v. g. duo infirmi quorum unus sperat sanitatem restituendam, alter vero desperat, ambo sanitatem exoptant, et volunt: sed diversimode; primus enim vult sanitatem quia sperat eam restituendam, et ideo inquirit et applicat media conducentia ad ejus restitutionem: secundus vero, quia non sperat sanitatem se posse consequi, talia media nec inquirit, nec applicat. Prima volitio dicitur efficax, secunda vero dicitur inefficax, aut complacentia tantum. Prima versatur tantum circa possibile; secunda vero etiam circa impossibile occupatur. *Hæc autem*, inquit, *sufficit ad meritum, et demeritum, quia etsi sit impossibile, tamen potest consentire illi pleno consensu: et ista volitione potuit Angelus appetere æqualitatem divinam. Sed de prima volitione, quæ efficax est, dico quod Angelus non potuit appetere: simplici tamen volitione potuit sibi concupiscere tantum bonum, et tanto desiderio quanto concupisceret, si esset possibile.*

OBJICIUNT PRIMO THOMISTÆ, primum Angeli peccatum non fuit ex passione, neque ex ignorantia, quia passio, et ignorantia est pœna peccati; proindeque peccavit tantum ex electione: sed electio non est impossibilium: ergo non peccavit desiderando æqualitatem divinam sibi impossibilem. — **Distinguit minorem Doctor**: electio quæ est volitio efficax, qua applicantur media ad consecutionem finis, concedit: electio prout dicit solum complacentiam, et appetitum voluntatis, quo velit libere aliquid sibi propositum sub ratione boni, sive impossibilis, non potest esse erga bonum impossibile appetenti, negat. Supra namque probatum est, quod revera voluntas inefficax possit versari circa impossibilia.

INSTABIS: electio qua peccavit Angelus debuit esse demeritoria: sed illa volitio inefficax, seu velleitas, non potest esse meritum, vel demeritum: ergo per hanc non potuit peccare Angelus. — **Nego minorem**; quis enim neget actum esse meritorium, et perfectissimæ charitatis, quo S. Augustinus cum Deo loquens dicebat: si possem esse Deus, mallem te quam me esse Deum? hic tamen actus est simplicis

complacentiæ, et velleitatis, et est etiam circa impossibile: potest ergo aliqua velleitas esse meritoria. Insuper, actus meritorius est, cum quis, postquam peccavit, cogitat se, ac si non peccasset, et in hoc delectatur, velletque se nullatenus peccasse, et in priori innocentiæ statu existere, ut majori affectione et acceptione Deo inserviret: hic tamen actus est simplicis affectus, quem velleitatem appellant. Similiter, in hoc affectu simplici potest esse gravissimum peccatum: ut si quis odio Deum habens non solum exoptaret Deum non esse, sed etiam desideraret, ut aliquod malum ipsi accideret, in quo genere peccati dæmones ac damnatos versari non dubito.

Dices 2: Angelum esse æqualem Deo est impossibile, adeoque est non ens: sed non ens non est appetibile, in tantum enim aliquid est appetibile in quantum bonum, non ens autem bonum esse nequit: nec consequenter appetibile: ergo Angelus non potuit appetere æqualitatem cum Deo. — **Respondeo primo**, quod si quisquam probaret hoc argumentum, etiam evinceret impossibile per accidens non posse appeti, quod tamen Thomistæ negant, utrumque enim impossibile tam per se, quam per accidens, est non ens. — *Respondeo secundo* distinguendo *majorem:* non est ens aliquod unum, et habens in se bonitatem possibilem, concedo: non est ens aliquod multiplex includens duo, quorum unum est in bonum absolute, et esset etiam bonum respective ad alterum, si posset cum ipso conjungi, nego: itaque quamvis voluntas angelica non possit appetere æqualitatem Dei volitione absoluta, qua ferretur in ipsam per modum unius objecti possibilis, quia ipsi non proponitur ab intellectu: tamen potest volitione comparativa ferri in ipsam æqualitatem divinam appetendam, quatenus ipsa esset ipsi bona, si illam consequi posset.

Dices 3: Voluntas angelica nequit appetere æqualitatem Dei, nisi ipsi proponatur ab intellectu: sed non potest proponi ab intellectu: vel enim proponeretur ab intellectu errante, vel ab intellectu non errante: *Non primum*, quia cum nondum peccasset, nullam habebat errorem in intellectu, alioquin pœna fuisset prior culpa: ille namque error non potuit esse in Angelo, nisi per modum pœnæ inflictæ: *Non etiam secundum*, quia intellectus non erraus nequit proponere voluntati aliquid falsum; falsum autem est Angelum posse esse æqualem Deo: ergo, etc. — **Negat minorem Doctor**, ad cujus probationem dicit, quod proponi possit illa æqualitas ab intellectu non errante: *Æqualitas enim Dei*, inquit, *potest apprehendi sine errore, quia est in aliquo sine errore, quia Filius Dei est æqualis Patri, et ill potest apprehendi.* Deinde potuit Angelus apprehendere illam æqualitatem esse sibi bonam, si esset possibilis; et supposita tali apprehensione, et judicio, voluntas potuit illam æqualitatem appetere: sane Dei apprehendimus æqualitatem sine errore, necnon et judicamus quod si illa æqualitas esset possibilis Angelo, sicut est possibilis et de facto convenit Filio Dei, quod revera Angelus longe perfectior esset quam modo sit, quantam perfectionem nunc habeat; ergo multo magis Angelus potest apprehendere illam æqualitatem, et tale judicium efformare.

Objiciunt 4. Nullus potest appetere suum non esse, ex S. Augustino 3. *De libero arbitrio:* sed si Angelus appeteret æqualitatem Dei,

consequenter appeteret se non esse Angelum, quia Angelum esse Deum, est ipsum non esse Angelum; nam Angelum esse, est creaturam Deo esse subditam: ergo Angelus non potest appetere se esse æqualem Deo. *Confirmatur* ex illo S. Anselmi *lib. De similitudinibus* c. 6. ubi ait: *Quod si quis vellet esse similis alteri in propria persona, vellet se non esse, quod velle nequit.* — Respondet Doctor primo, quod quamvis forte aliquis non possit directe velle suum non esse, tamen indirecte id velle potest, volendo nempe aliquid ex quo posito sequeretur ipsum non esse: *Sic*, inquit, *quilibet peccans mortaliter vult aliquid in quo non vult subesse Deo, et in hoc ex consequenti vult se non esse, quia non potest esse, nisi subsit Deo.* — *Respondet secundo* negando *minorem*: quia quamvis sequeretur destructio sui ex æqualitate cum Deo, tamen non est necesse, quod volens æqualitatem velit formaliter, et expresse non esse suum, seu suam destructionem: non enim *sequitur*, inquit, *quod si aliquis velit antecedens, velit etiam consequens, quando consequens potest intelligi absque antecedente*: sicut v. g. aliquis potest appetere Episcopatum, non volendo Sacerdotium: in proposito autem consequens non est necessario connexum cum antecedente: non enim absolute sequitur, quod si Angelus velit æqualitatem cum Deo, etiam velit sui destructionem; posset enim appetere æqualitatem cum Deo ex suppositione impossibili, quod ipsa æqualitas non inferret destructionem Angeli. Ad S. Anselmum respondet Doctor, ipsum loqui de voluntate ordinata: non potest autem quis ordinate velle se non esse, inquit, *quia ordinata voluntas non est volendi aliquid, et non volendo illud, quod necessario sequitur ad ipsum, sive illud sit ipsi intrinsecum, sive non: hæc autem vera non sunt de voluntate inordinata.*

Instans: Angelus cognoscebat se ens creatum, et per participationem; sciebat pariter nullum ens per participationem posse esse ejusdem naturæ cum ente per essentiam, adeoque perfecte noverat, quod non posset optare æqualitatem divinam, quin optaret se non esse. — Nego consequentiam, quamvis enim Angelus seipsum cognosceret esse ens per participationem, tamen potuit apprehendere illam æqualitatem divinam ut bonum aliquod appetibile; subindeque potuit eam sibi appetere; non quidem appetitu efficaci, sed inefficaci: unde potuit sibi displicere, quod esset Deo subjectus et inferior, potuitque optare independentiam respectu Dei, et superioritatem respectu aliorum Angelorum; quod, ut apparet, est velle æqualitatem cum Deo secundum naturam.

** Urgebis: Quod omnino rationi naturali repugnat et contradicit, et a quo illa prorsus abhorret, id nullo modo potest appeti: sed creaturam esse æqualem Deo rationi naturali omnino repugnat: igitur etc. — Respondeo, ea in hypothesi duo esse distinguenda, nimirum id quod in eo objecto videtur ingratum et horrore dignum, et id quod in eo deprehenditur amabile; amatur enim bonum et excellentia illius; horretur vero improportio cum fruente illo seu concupiscente illud. Hic autem horror temperatur et tollitur per æstum appetentis, nam amore ardentes ac æstuantes erga rem amatam et concupitam non patiuntur ab ea ulla ratione avelli; et contra quodcumque rationis dictamen luctantur multaque machinantur et moliuntur, etiam appetendo

turpia et obscæna, quantumvis ratio naturalis reclamet: quo fit ut amore effervescens vix sapiat. Potuit ergo dæmonis voluntas jam ex inordinato sui amore et complacentia exorbitans et velut insaniens divinitatem appetere, quantumvis naturalis ratio hanc sibi repugnare suggereret.

INSTABIS ITERUM: Quod manifestam implicat contradictionem repræsentari non potest ut amabile nec desiderabile a quacumque ratione etiam exorbitante et deviante: at æqualitas creaturæ cum suo Creatore contradictionem involvit; est enim conjunctio creaturæ cum non creatura, nimirum cum Deo: igitur etc. — **Respondeo** primo, non repugnare conjunctionem creaturæ cum Creatore per unionem hypostaticam, ut apparet in mysterio Incarnationis. Deinde dico quod Angelus in illo simplici desiderio divinitatis non attendit ad illius impossibilitatem vel contradictionem, sed tantum ad boni concupiti excellentiam quod repræsentabatur desiderabile, prævscindendo ab eo quod esset acquisitu possibile vel impossibile. Creatura namque spiritualis aliter fertur in bonum per appetentiam, et aliter per fruitionem. Illa namque spectat ad effectum voluntatis, hæc vero tendit in effectum et in applicationem mediorum conducentium ad assecutionem illius boni. Prior est simplex complacentia et inefficax respectu fruitionis et consecutionis boni, quamvis in se sit vehemens et æstuans: posterior vero est efficax applicatio voluntatis circa finem obtinendum. Illa stare potest cum contradictione et impossibilitate consecutionis objecti; hæc vero non, quippe cum efficaciter tendat in objecti assecutionem applicando media convenientia.

DICES TANDEM: ✻ " Potest aliquis absque ullo peccato desiderare esse Deum: ergo licet Angelus æqualitatem divinam fuerit æmulatus, exinde non censetur peccavisse. Probatur antecedens: posset aliquis appetere se fieri Deum, ut nempe sicut Deus, foret immunis a peccato, et ut Deum diligeret quantum in se diligibilis est: sed appetitus ille non esset peccaminosus; imo revera pius, et innocens: ergo appetitus æqualitatis Dei non est culpabilis; nec proinde fuit primum Angeli amoris concupiscentiæ peccatum. — **Nego antecedens**, et ejus probationis *minorem* distinguo: appetitus ille non est culpabilis, si sit hypotheticus et conditionatus, concedo: si absolutus, nego. Posset itaque hunc habere affectum vir pius conditionate, nempe si hoc foret possibile, et absque ullo Divinitatis præjudicio: parem autem affectum non habuit Angelus Divinitatem æmulatus; imo eum absolute affectavit, ut colligere est ex verbis tum Isaiæ, tum Ezechielis a nobis supra laudatis.

QUÆRES 2: *An etiam Angeli æmulati fuerint unionem Hypostaticam, et revera homini ad eam assumendo inviderint?*

RESPONDEO 1. Revera Angelos invidia peccasse, ut egregie docet S. Augustinus lib. 11. *De Gen.* ad litteram cap. 14. *Nonnulli*, inquit, *dicunt ipsum fuisse lapsum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc invidentia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ; quid inde nascatur satis in*

promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei cœquantur, vel inferioribus ne sibi cœquentur, vel superioribus, quod eis non cœquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Subscribit S. Bernardus sermone 17. *Ergo in Cælo concepit dolorem, et in Paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ matrem mortis, et ærumnarum omnium parens superbia.* — *Respondeo* 2. De facto diabolum inordinate appetiisse beatitudinem, et ideirco naturæ humanæ invidisse; ut docet S. Bernardus variis in locis, præcipue sermone 17. in *Cantica*: *potuit autem contingere,* inquit, *(si tamen incredibile non putetur) plenum sapientia, et perfectum decore homines præscire potuisse futuros, etiam et profecturos in parem gloriam; sed si præscivit, in Dei Verbo absque dubio vidit, et in livore suo invidit, et molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura: non decet esse concives, nec æquales in gloria.* Et infra ipsum diabolum interpellans ait: *Tu tibi miser sedem collocas in aquilone, plaga nebulosa, et frigida, et ecce suscitantur de pulvere inopes, et de stercore pauperes, ut sedeant cum Principibus, et solium gloriæ teneant, doleasque impleri illud: Pauper, et inops laudabunt nomen tuum.* Quamquam autem ibi S. Bernardus nullam expressam invidiæ diaboli erga Christi incarnationem mentionem faciat, potest tamen ex illo non leve fundamentum *a fortiori* sumi. Nam si ex eo, quod Lucifer præsciverit homines in parem gloriam fuisse profecturos, colligit S. Bernardus credibile esse Luciferum doluisse, et ex invidia erga homines peccasse; multo profecto magis credi potest, si Lucifer præscivit hominem aliquem futurum esse multo excellentiorem ipso, non solum in gloria, sed etiam in gratia unionis, et in Personæ divinæ majestate; indignatum propterea fuisse, vehementerque doluisse, et invidia contabuisse. — *Respondeo* 3. Etiam probabile videri, quod inordinate unionem hypostaticam affectaverit, neque enim solemus invidere aliis bona, nisi quæ optamus nobis, quando ea non habemus: et deinde non est magis credendum de malitia diaboli, quod inviderit illam dignitatem hominibus, quam inordinate eam sibi concupierit. Unde quotquot Patrum, aut Doctorum dicunt diabolum invidisse homini dignitatem suam, pro hac assertione citari possunt; quia vel directe volunt dignitatem unionis hypostaticæ, vel si de alia loquantur expresse, certe ex hoc, quod aliam quamcumque dignitatem inviderit, colligitur valde verisimiliter, quod hanc etiam invidit, quæ omnium maxima est.

QUÆSTIO TERTIA.

AN VOLUNTAS DÆMONUM ITA SIT IN MALO OBFIRMATA, UT NEC POSSIT ALIQUATENUS RESIPISCERE, NEC BONUM ALIQUOD OPERARI.

Sciendum est e limine, maxime duplicem esse circa primæ partis Quæstionis resolutionem Auctorum sententiam. *Prima* fuit Origenis, quam refert S. Thomas 1. *par. qu.* 64. *art.* 2, asserentis omnem voluntatem creatam, tam beatorum, quam damnatorum esse flexibilem in bonum, sive in malum; dempta tamen voluntate animæ Christi.

Secunda est omnium Doctorum Catholicorum affirmantium, quod dæmonum, et damnatorum voluntates ita sint in malum obfirmatæ, ut nullatenus resipiscant. Causam autem hujus obstinationis, non eamdem omnes proferunt, imo in illa assignanda varias scinduntur in sententias. *Primo* namque S. Thomas ✻ " 1. p. quæst. 64. art. 2. inquirens causam obstinationis dæmonum, cum dixisset quod vis apprehensiva proportionatur appetitivæ, cum hoc discrimine quod appetitus sensitivus est boni particularis, voluntas vero universalis: sicut etiam sensus apprehensivus est singularium, intellectus vero universalium, addit: *Differt autem apprehensio Angeli ab apprehensione hominis, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixe et immobiliter. Ut ideo consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere, et huic et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult. Sed postquam jam adhæret immobiliter adhæret, et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, et ante electionem, et post: liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, et non post. Sic igitur et boni Angeli semper adhærentes justitiæ sunt in illa confirmati: mali vero peccantes sunt in peccato obstinati.* — Idem habet in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 2. ubi rejectis quinque rationibus istius obstinationis Angelorum malorum, *dicendum est ergo*, inquit, *quod sicut impossibile est, voluntate adhærente recto fini procedere opus peccati, ita e contrario impossibile est a voluntate adhærente inconvertibiliter perverso fini aliquod rectum opus provenire... Unde sicut homines post mortem in bono confirmantur, vel in malo, ita et Angeli post conversionem vel aversionem.* — Censet ergo Doctor Angelicus causam obstinationis dæmonum in eo statuendam esse quod eorum voluntas immobiliter adhæreat perverso fini, nimirum complacentiæ in suis dotibus et præcellentiis naturalibus in præjudicium divinæ Majestatis, cui unice adhærere debuerant, immobiliter adhærescant. — Ab hac sententia " ✻ non longe abest Henricus Gandavensis *quodlibeto* 8. *qu.* 11. docens, quod idcirco Angelus est immutabilis ab actu, quem semel elicuit, quia voluntas separata ita profunde immergit se objecto, ut ab eo resilire nequeat. — *Secundo*, Aureolus asserit hanc obstinationem provenire ab habitu quodam vitioso, quem Deus producit in voluntate damnatorum in pœnam suorum delictorum, et ita per eum ad malum inclinantur, ut nullatenus bonum aliquod valeant operari. — *Tertio*, sunt qui docent cum Marsilio in 2. *qu.* 5. *art.* 3. causam damnatorum obstinationis in malo ex eo repeti, quod Deus nolit cum eis concurrere ad ullum bonum opus eliciendum. — *Quarto*, Ochamus *in* 2. *dist.* 29. contendit illam obstinationem oriri ex eo, quod aliquis actus in Angelo damnato admittatur, qui non est in ejus potestate: unde infert, quod Deus totaliter, et immediate causat aliquem actum in voluntate Angeli mali. — *Ultima* tamdem sententia est Doctoris Subtilis, docentis causam obstinationis dæmonum, et aliorum damnatorum non aliunde repetendam esse, quam ex denega-

tione divini auxilii ad resipiscendum, et ex perversa damnatorum voluntate, ex qua sequitur prava quædam affectio voluntatis, qua unusquisque damnatorum immobiliter adhæret fini perverso, in quem in ultimo statu viæ deciderunt. Quæ sententia, ut clarius innotescat

Notandum 1. Quod longe diversus est status Viatorum, Comprehensorum, et Damnatorum: status Viatorum, est ipsa generalis, ac universalis Dei lex, qua decrevit cum voluntate concurrere ad actum pœnitentiæ, et dispositionis ad gratiam sanctificantem, necnon et ad augmentum ejus, quoties homo pœnitere voluerit, et bonum aliquod opus elicere, juxta illud Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris, etc.* Status Comprehensorum est lex divina, qua Deus statuit ipsos Comprehensores ita servare, ut nec ab eo possint declinare, nec ab opere bono cessare unquam, juxta illud Christi Domini Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Denique status Damnatorum est lex ipsa universalis Dei, qua statuit se nullatenus concursurum cum damnatis ad ullum actum meritorium, nec ad dispositionem ad gratiam justificantem, propter eorum demerita finalia, juxta illud *Eccl.* 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Hoc est, ut explicat Doctor, in cujuscumque creaturæ rationalis amore perverso steterit in fine viæ, permanebit in æternum.

Notandum 2. Ex eodem Doctore *dist.* 7. *n.* 11. quod in voluntate creata præter ejus entitatem, et bonitatem naturalem, quæ competit ipsi in quantum est ens positivum secundum gradum suæ entitatis magis aut minus perfectæ, triplex est alia bonitas moralis, scilicet objectiva, circumstantialis, et gratuita; prima ex objecto; secunda ex circumstantia; tertia ex gratia provenit. *Prima* dicitur bonitas ex genere, et convenit actui, ex eo quod versetur circa objectum juxta dictamen rectæ rationis; ita quod objectum appareat per rationem probabilem aut certam, quod taliter sit conveniens et congruum, ut in illud creatura rationalis tendere possit absque peccato. *Bonitas* circumstantialis ea est, quæ convenit actui elicito cum omnibus circumstantiis, quas recta ratio dictat ipsum debere sortiri. Dico autem cum omnibus, quod si deficeret aliqua circumstantia requisita, aut adesset alia, quæ non deberet adesse, actus non haberet hanc bonitatem; nam juxta S. Dionysium *lib. De Divinibus c.* 4. bonum est ex integra causa, malum autem ex quovis defectu. *Tertia* denique bonitas ea est, a qua actus habet esse meritorius respectu alicujus præmii, quam bonitatem habet, tum a gratia sanctificante, tum ab acceptatione divina; nullus enim actus præcise potest esse meritorius, nisi mediante ordinatione, pacto, aut acceptatione divina: hæc autem bonitas necessario duas priores supponit; ut enim actus sit meritorius, debet occupari circa objectum congruum, et habere omnes circumstantias sibi debitas. — Harum autem bonitatum proponit exemplum Doctor; nam cum quis dat eleemosynam, habet bonitatem ex objecto; siquidem recta ratio dictat bonum esse proximi necessitatem sublevare: habet pariter bonitatem ex circumstantiis, si eleemosynam illam cum debitis circumstantiis largiatur: puta si de suo, non vero de

alieno, si tempore opportuno, si propter bonum finem, puta Dei amorem, etc. Habebit vero bonitatem meritoriam, si præter duas prætatas bonitates, fiat ex gratia sanctificante, et charitate supernaturali.

Notandum 3. ex eodem Doctore. Quod huic triplici bonitati triplex opponitur malitia. *Prima* quidem malitia ex genere; quando scilicet actus, qui tantum habet bonitatem naturalem fertur in objectum, quod secundum rationem rectam est disconveniens creaturæ rationali: puta si odium ejus tendat in Deum. *Secunda* est malitia ex aliqua circumstantia deordinante actum, puta si largiatur eleemosynam propter vanam gloriam. *Tertia* denique est malitia demeritoria, quæ advenit actui, quando non solum non est meritorius vitæ æternæ, sed potius pœnæ. Advertit insuper Doctor, quod quælibet ex illis tribus malitiis possit considerari ut opposita bonitati sibi correspondenti, vel privative, vel contrarie. Si primo modo consideretur, nihil aliud dicit, quam privationem aut negationem bonitatis in actu humano libero, pro eo instanti quo posset elici a voluntate actus bonus: et actum esse malum nihil aliud est, quam eum carere aliqua tali bonitate: unde si quis eliceret actum absque ullis circumstantiis bonis, actus sic elicitus esset malus malitia privative opposita bonitati circumstantiali; quia non haberet bonitatem circumstantialem: et si quis eliceret actum non secundum inclinationem charitatis, eo ipso actus esset malus privative malitia opposita privative bonitati meritoriæ: et eodem modo si quis eliceret actum absque bonitate objectiva, esset malus privative malitia opposita privative bonitati objectivæ. Si vero actus non solum habeat objectum conveniens, sed objectum disconveniens, tum actus habebit non solum malitiam objectivam privative, sed malitiam objectivam contrariam. Similiter si actus non habeat circumstantias bonas, quas posset habere; sed etiam habeat aliquam circumstantiam, quam non deberet habere, tunc habebit malitiam circumstantialem, non solum privativam, sed contrariam; et denique si non solum non habeat bonitatem meritoriam, sed habeat malitiam demeritoriam, tunc erit malus malitia contraria bonitati meritoriæ. — *Denique* addit Doctor malitiam demeritoriam objectivam, privativam et contrariam, invicem converti, non sic autem circumstantialis ac demeritoria; actus enim, qui est malus per carentiam bonitatis objectivæ, necessario debet esse malus malitia contraria illi bonitati. Secus est autem de malitia circumstantiali, ac demeritoria; potest enim fieri ut aliquis actus sit malus per carentiam bonitatis circumstantialis, et meritoriæ, quin habeat malitiam contrariam ipsis; nam potest bene fieri, quod actus non sit meritorius, quia non elicitur ex inclinatione charitatis, et tamen non sit demeritorius: actus enim bonus moraliter elicitus a peccatore, aut homine constituto in puris naturalibus, non esset meritorius, nec demeritorius. *Deinde* actus elicitus circa objectum bonum absque additione alicujus circumstantiæ bonæ, vel ex inconsideratione, vel ex eo quod non teneretur quis adjungere ullam ulteriorem bonam circumstantiam, esset malus malitia circumstantiali privative, non vero positive, seu contrarie, quia non haberet ullam circumstantiam ratione cujus deberet simpliciter dici malus, et sufficiens ad fundandam rationem demeriti. — His ita præmissis, tria restant determinanda: *Primum*, an dæmonum voluntas ita fuerit in malo

obstinata, ut nullatenus resipiscere possint: *Secundum*, unde proveniat hæc obduratio: *Tertium*, an ratione istius obdurationis in malo dæmones nullum bonum opus elicere possint.

Conclusio prima. — DÆMONUM ET ALIORUM DAMNATORUM VOLUNTAS ITA EST IN MALO OBFIRMATA, UT NUSQUAM REVERA AD JUSTITLE STATUM SIT REVOCANDA. Hæc est communis apud omnes Doctores Catholicos, et

Probatur primo illis omnibus Scripturæ textibus, quibus significatur damnatos perpetuis, et nusquam finiendis pœnis addici; subindeque eos nusquam admissi peccati veniam assecuturos, nec delictorum salutarem pœnitentiam acturos: ita Matth. 25 *De Reprobis* dicitur; *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus:* et infra: *Ibunt hi in supplicium æternum:* et Marci 9. *De iisdem Reprobis Christus* ait: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Hinc Apocalyp. 20. *De Diabolo* dicitur: *Missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et Pseudo-Propheta cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.*

Secundo hæc veritas definita fuit *in* 5. *Synodo*, necnon et in 6. *actione* 16. ubi approbatur Epistola Sophronii damnantis Origenem, quod docuerit damnatorum pœnas aliquando finiendas, et ipsos in statum innocentiæ restituendos. Idipsum determinatum est in *Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. Firmiter*, ubi decernitur *De Reprobis*, quod *cum diabolo pœnam æternam recipient.* Eamdem veritatem docet sanctus Athanasius *in suo Symbolo*, ubi ait: *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.*

Probatur eadem veritas a SS. Patribus, qui constanter ajunt dæmones esse salutaris pœnitentiæ et gratiæ recuperandæ prorsus incapaces. Ita S. Gregorius Nyssenus lib 1. *Philosoph.* cap. 3. *Solus homo*, inquit, *inter intellectuales creaturas principium habuit pœnitentiam agendo venia dignus effici; nec enim dæmones, aut Angeli pœnitentiam agendo venia digni effici possunt:* et inferius ait: *Quod hominibus est mors, Angelis est casus.* — *Confirmat* S. Damascenus *lib.* 2. *De Fide c.* 3. ubi absolute dicit Angelum capacem non esse pœnitentiæ, quia corpore vacat, quam rationem sic explicat: *Nam quod homo e vitiorum cæno emergere, atque ad meliorem frugem se convertere queat, id ob corporis imbecillitatem est consecutus.* Quibus aperte declarat se loqui de pœnitentia fructifera, et quæ a speciali Dei auxilio ac benignitate pendet. Quibus subscribit S. Fulgentius *De Fide ad Petrum c.* 3. ubi cum dixisset Deum creasse omnes Angelos cum dilectione sui, et cum tanta libertate, ut unusquisque eam habere posset, et perdere; ita tamen ut qui eam sponte perderet, eam deinceps suo arbitrio, et sine gratiæ auxilio resumere non valeret, adjungit: *Et de Angelis quidem hoc disposuit, et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet.* Hoc ipsum confirmat, et explicat S. Gregorius lib. 2. *Moral c.* 3. *Deus*, inquit, *apostatam spiritum ad pœnitentiam nequaquam revocat, sed viam superbiæ ejus rescindens damnat:* et lib. 1. c. 9. et 10. absolute ait: *Angelum ita per superbiam cecidisse, ut reparari non possit, quia ad restaurationis lucem nulla spe veniæ, nulla conversionis emendatione revocatur.*

Hanc veritatem confirmat Seraphicus Doctor in 2. dist. 7. art. 1. qu. 1. ex S. Damasceno lib. 2. *De Fide* c. 4. ubi ait: *Quod hoc est Angelis casus, quod hominibus mors:* sed homo post mortem non potest recuperare bonam voluntatem, et rectam quam amisit in vita: ergo, etc. *Secundo*, similis est ratio confirmationis in bono, et obstinationis in malo: sed Angeli statim, ut bene moti sunt, confirmati sunt in bono: ergo et mali, statim ut peccaverunt, obstinati sunt in malo: sicut ergo boni non possunt cadere, ita nec mali resurgere. *Tertio*, gravius peccavit Angelus, quam homō: ergo et gravius debet puniri: sed peccatum hominis punitum fuit aliqua pœna irremediabili, ut pœna mortis, de qua nullus evadit: ergo necesse est peccatum Angeli, quod erat mors spiritus, puniri pœna mortis: sed non potuit puniri pœna mortis naturæ: ergo necesse fuit ipsum puniri pœna damnationis æternæ.

Dices 1: Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi*. 2. postquam benignitatem Dei erga homines in remittendis eorum peccatis exaggeravit, subdit: *Sed nescimus quanto ille et Angelis condonaverit: indulget enim et illis:* censet igitur beatos Angelos posse peccare: subindeque et dæmones pœnitere posse. — **Nego consequentiam**, et ad antecedens dico S. Cyrillum ita esse intelligendum, ut loquatur de indulgentia anticipata per prævenientem gratiam efficacem, et præservationem; sicut S. Augustinus dicit gratiæ Dei tribuendum esse, quod multa peccata non facimus, quæ si permitteret Deus, faceremus. Quod autem hæc fuerit ejus mens declarat ipse, subjungens: *Indulget illis, quandoquidem ipse tantum unus est, qui peccare non possit.* Hac enim ratione probat Deum indulgere S. Angelis manutenendo eos ne peccent, quia nempe non sunt natura impeccabiles, ut Deus: non autem **significat, quod eis parcat postquam peccaverint.**

Dices 2: Si Angeli non possent resipiscere, nec eorum voluntas rectificari, illa impotentia repeteretur vel ex parte Dei, vel ex parte Angeli, vel ex parte peccati: sed neutrum dici potest. Non quidem ex parte Dei: tum quia obstinatio malæ voluntatis, vel ejus impossibilitas ad rectitudinem, est tantum defectus, non vero effectus: ergo non habet causam efficientem, sed deficientem: at Deus nullius est causa deficiens: ergo non est causa, nec ratio hujus impossibilitatis: tum quia Deus antecedenter vult omnes homines, et Angelos salvos fieri, adeoque Angelorum perpetua perditio ex eo non est repetenda: tum quia si diabolus veniam peteret, illam a Deo consequeretur, neminem enim pœnitentem Deus respuit: ergo illa impossibilitas ex parte Dei non provenit. Non etiam provenit ex parte voluntatis naturæ angelicæ: tum quia Angelus peccando non amisit arbitrii libertatem, quia libertas arbitrii est ei naturalis: sed ratione liberi arbitrii angelica voluntas susceptibilis erat rectitudinis ante peccatum: ergo quantum est ex natura sua, etiam adhuc rectitudinis est susceptibilis. Tum quia peccatum angelicum non excedit peccatum hominis in infinitum: ergo nec in infinitum Angelum elongavit a Deo: sed peccatum hominis non abstulit ab eo possibilitatem recuperandi illam beatitudinem: ergo nec eam abstulit peccatum angelicum: adeoque potest restitui. Non denique ex parte peccati; tum quia gratia quæcumque sanctificans, si inesset dæmonis voluntati, omne peccatum ab ea solveret, et expur-

garet; subindeque peccatum illud non est de se incurabile. Tum quia nulla culpa inducit necessitatem voluntati: ergo non aufert possibilitatem ad recuperandam rectitudinem, adeoque nulla impossibilitas est ex parte peccati, quin angelica voluntas pristinam integritatem obtineat. — **Respondet Seraphicus Doctor**, quod equidem impossibilitas illa recuperandæ prioris integritatis a damnatis non sit præcise, et formaliter repetenda, nec ex parte Dei, nec ex natura Angeli nec ex gravitate peccati: sed ex parte status: *Quia enim*, inquit, *voluntas Angeli est extra meriti statum, idcirco abest ab omni gratia; et quia est in statu damnationis, ideo ipsi adest desperatio certissima, quæ duæ sunt conditiones omnino disponentes voluntatem ad impossibilitatem rectitudinis.* — Aliam rationem Doctoris Subtilis sequenti Conclusione subjiciemus.

Dices 2: Ad rectificationem voluntatis, et innocentiæ restitutionem duo maxime desiderantur, scilicet indulgentia ex parte divinæ misericordiæ, et actus pœnitentiæ ex parte peccatoris: sed utrumque est possibile in Angelis lapsis. *Primum* quidem, quia misericordia Dei est infinita, dæmonum autem culpa finita est; infinitum autem superari nequit a finito: ergo divina misericordia potest remittere, et condonare peccatum ab Angelis lapsis commissum. *Secundum* pariter verum apparet, siquidem Angeli lapsi naturalia servaverunt integra, adeoque habent libertatem revera perfectam et flexibilem; sicque, ut potuerunt se determinare ad peccatum, ita possunt ejus affectum exuere: ergo ex neutra parte repugnat eorum innocentiæ restitutio. — **Respondet Seraphicus Doctor**, negando consequentiam: nec enim eorum impœnitentia tantum provenit ex Deo denegante gratiam, et indulgentiam: sed etiam, ex eo quod sint extra statum, et tempus merendi. « Notandum est enim, inquit, quod in formatione et dispositione rerum « non attenditur ratio Misericordiæ et Justitiæ principaliter, sed Sa- « pientiæ. Decrevit enim divina Sapientia in Universo facere duplicem « creaturam rationalem, ad hoc ut esset Universum completum: unam « corpori unitam, ut animam rationalem; spiritualem aliam, ut An- « gelum: et quoniam substantia omnino spiritualis omnino est incor- « ruptibilis, et ingenerabilis, non potuit unus Angelus ex alio produci, « et ideo simul producti sunt, et quia simul producti ideo simul glo- « rificandi, sive dispositi ad simul glorificari. Et quia sunt spirituales « et incorporales, nullo modo habentes retardativum; hinc est, quod « in loco gloriæ sunt conditi, scilicet in Empyreo; et ita de proximo « ad gloriam dispositi, et ratione naturæ, et loci; et ideo tempus me- « riti est eis ita breve præfixum sicut potuit: et ideo usque ad primam « aversionem, et conversionem deliberativam. Homini vero quia con- « ditus est in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, « et ita in dispositione remotiori a gloria, datus est locus distans ad « merendum a sui conditione, scilicet Paradisus terrestris; et præfixus « est ei terminus diuturnus propter officium procreandi prolem: et pro- « pterea cum peccavit Angelus, statim exiit tempus meriti statuti, « homo vero non: et ideo potuit iste rectificari, ille vero non. » Et hoc est quod dixit S. Augustinus, *De mirab. sacræ Scripturæ* (vel quisquis est Auctor) *Angelus de sublimissimo sui ordinis statu cecidit: ideo resurgere non potuit.* Patet igitur, quod voluntas Angeli non est

rectificabilis, nec fuit a tempore ex quo cecidit; quia enim fuit extra statum meriti, certissime revelata est ei sua damnatio: et ideo sicut Beati non possunt timere damnationem; ita Angelus malus propter certitudinem damnationis, non potest sperare salutem, et propter absentiam gratiæ non potest pœnitere, et ideo nec bonus esse.

Conclusio secunda. — Ratio formalis ob quam dæmones et Damnati non possint resipiscere, non est inflexibilitas, vel immobilitas voluntatis eorum ✻ " in malo fine apprehenso. Ita Subtilis Doctor in 2. dist. 7. quæst. unica, ubi cum proposuisset opinionem S. Thomæ et Henrici, utramque impugnat num. 4. *primo* quidem auctoritate petita ex cap. 4. 5. lib. *De Fide ad Petrum* quem laudat nomine S. Augustini, quia ejus ætate Augustini esse putabatur, quamvis revera S. Fulgentium habeat auctorem. Scribit autem: *Si possibile esset, ut humana natura, quæ postquam a Deo aversa est bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere posset; multo possibilius hoc haberet natura angelica, quæ quanto minus gravatur corporis terreni pondere, tanto magis hac esset prædita facultate, et hoc habere posset.* Igitur ex mente S. Fulgentii angelica voluntas non est inflexibilis et immobilis ab objecto semel apprehenso, imo magis flexibilis quam humana; siquidem libertas arbitrii oritur ex dignitate et subtilitate naturæ, quæ cum major sit in Angelis quam in hominibus, etiam majorem importat flexibilitatem. Accedit quod inflexibilitas et immobilis adhæsio uni parti signum sit terrenæ crassitiei et corporei ponderis, flexibilitas vero argumentum subtilitatis naturæ spiritualis. Quippe bruta animantia eum sint omnino corporea nihilque spiritualitatis habeant, etiam carent ea mobilitate et flexibilitate in operando, qua donantur homines. Unde terreni corporis pondere gravati, versus terram, velut in centrum propendent. Hinc quo leviora et subtiliora sunt elementa, eo magis flexibilia sunt et subtilia, ut apparet in igne et aëre. Igitur ex mente S. Fulgentii, experientia confirmata, constat Angelorum perversorum voluntatem non magis esse immobilem et irrevocabilem a malo semel apprehenso quam voluntas hominum impiorum.

Probat conclusionem Doctor primo quia non tantum voluntas Angeli damnati est obstinata in malo, sed etiam hominis damnati: sed causa obstinationis hominis non est illius immobilitas in operando, ut fatentur Thomistæ; igitur nec etiam est causa obstinationis Angeli. Neque enim assignari potest ratio cur utriusque damnati obstinatio sit diversæ rationis, nisi forte quia Angelus difficilius se revocat ab electione semel facta quam homo: sed ex illa majori difficultate non sequitur quod non possit ullatenus avocari; igitur nulla est simpliciter inter utrumque diversitas. — *Confirmat* istud Doctor exemplo Lazari qui vita functus tactus est inflexibilis atque adeo immobilis, unde postea quamdiu fuit separata non meruit nec demeruit. Quod si dicas ipsum ad vitam revocatum amisisse illam immobilitatem connaturaliter: *reponam* quod etiamsi angelus malus iterum constitueretur in statu viæ et haberet convenientia media ad resiliendum a peccato, revera ab eo posset deflectere.

Si dixeris Lazari animam a corpore sejunctam non fuisse in ap-

prehensione sua immobilem, quia Deus suum suspendit concursum circa illius operationem; reponam quod sicut hoc gratis et absque fundamento profertur, sic cum ratione et fundamento negatur. Neque enim probabile est ipsius animam in sepulchro jacuisse cum corpore, sed statim atque ab eo soluta est, deportatam fuisse in sinum Abrahæ, quemadmodum narratur in Evangelio de anima Lazari parabolici: ac proinde illa anima suas habuit operationes, quemadmodum habent cæteri statim atque e corporibus exeunt." ✳

Probat 2. **Doctor**: Idcirco voluntas angelica foret immobilis in actu, quem semel elegit, quia nempe appetitus ejus proportionari debet potentiæ cognoscitivæ; cognoscitiva autem facultas Angeli, seu intellectus, apprehendit immobiliter, et sine discursu omne objectum circa quod versatur: sed hoc fundamentum falsum est: ergo et id unde sequitur. — *Majorem* admittunt Thomistæ; probat *minorem* Doctor: *Primo* quidem quia falsum supponunt, affirmando, quod intellectus sit sufficiens motor voluntatis: non enim potest aliter intellectus movere voluntatem ad actum, nisi quatenus proponit ei objectum sub ratione boni, et mali, aut quatenus ad illam propensionem sequitur imperium aliquod practicum determinans voluntatem ad prosecutionem boni, aut fugam mali: sed ante primum peccatum proponebat voluntati objecta illa circa quæ operabatur sub ratione boni delectabilis, et mali inhonesti; nec sequebatur aliquod imperium potius in ordine ad prosecutionem boni delectabilis, quam ad fugam mali inhonesti, aut prosecutionem alterius boni honesti, quod simul tum proponebatur Angelo; quia alias omnes Angeli determinarentur ad male agendum; quia æqualiter omnibus proponebat intellectus hujusmodi objecta sub his rationibus, et similia judicia practica in omnibus sequebantur; non enim est aliqua ratio diversitatis ex parte intellectus, imo si intellectus ad aliquod determinaret, deberet potius determinare ad bonum honestum, quam ad bonum delectabile inhonestum in illo priori instanti. — *Deinde*, si ex ratione motoris, et mobilis, intellectus immobilis in apprehendendo immobilem voluntatem efficiat, sequeretur, quod angelica voluntas non tantum esset immobilis post primam electionem voluntatis, sed etiam in ipsa prima, vel ante primam, quia intellectus eorum sicut immobiliter ostendit aliquid post primam electionem, ita et ante eam, etsi ipse immobiliter apprehendens moveat appetitum immobiliter: ergo etiam in primo actu movebit immobiliter, et per consequens, voluntatem efficit immobilem. — *Denique*, Angelus malus habuit gratiam in primo instanti: ergo in illo instanti bene operatus est: ergo si sit immobilis, ut volunt Thomistæ, debuit semper perseverare in operatione bona. Probatur; quia si in primo istanti non haberet operationem bonam amoris Dei super omnia, peccaret mortaliter, maxime secundum Thomistas, qui docent creaturam rationalem teneri ad amandum Deum super omnia in primo instanti usus rationis: sed non habuit in illo primo instanti peccatum mortale, quia tale nequit habere cum gratia sanctificante: ergo habuit talem amorem, adeoque bene operatus est: ac proinde si Angeli voluntas in prima electione est immobilis, necessario semper bene sic debuit operari; quod consequens cum sit falsum, fatendum est ejus voluntatem ex natura sua

non esse invertibilem. — Nec valet etiam illa disparitas quam S. Thomas conatur instituere inter voluntatem hominis, et Angeli, quod nempe intellectus angelicus sit immobilis, et moveat voluntatem necessario, quia intelligit sine discursu; humanus vero intelligat per discursum. Quamquam enim hæc sententia vera esset, quam tamen ut falsam supra impugnavimus cum Doctore, tamen exinde non sequeretur intellectum Angelorum magis esse immobilem in assensu suo, quam humanum. Ita enim certitudinaliter, inquit Doctor, hoc est non dubitando, tenet conclusionem ad quam discurrit, sicut Angelus tenet eam videndo in principio sine discursu: ergo ista immobilitas intellectus humani, hoc est certitudo, haberet æque immobilem voluntatem, sicut illa alia, quæ ponitur in Angelo. *Deinde*, intellectus humanus tam immobiliter, et sine discursu adhæret primis principiis, nempe, quod bonum honestum sit amandum, et malum inhonestum fugiendum, quam Angelus adhæret sine discursu illi propositioni. Ergo deberet voluntas immobiliter operari circa tale objectum, ita ut si semel vellet persequi bonum honestum, semper deberet illud velle: quod etiam est falsum: ergo illa disparitas nulla est. *Denique*, quamquam Angelus non discurreret, non minus propterea posset suam mutare apprehensionem propter nova motiva ante non cognita; ut patet exemplo dæmonum, qui prius suaserunt interfectionem Christi, et postea dissuaserunt eam, ut SS. Patres testantur, quia prius non sciverunt mortem illam sibi fore in præjudicium; postea vero sciverunt. — ✻ " *Confirmantur* ista, *primo* quia cum Angelus peccavit antea meruit secundum doctrinam S. Thomæ. Igitur peccando mutavit voluntatem nec in priori apprehensione stetit immobiliter. *Deinde* quando peccavit aut urgentiores occurrerunt ei rationes ut Deo non obediret et subjiceretur nec meritum suum continuaret, aut non occurrerunt. Si primum, igitur ipsius intellectus non statim ipsius voluntati repræsentavit objectum ut invariabiliter apprehensibile, ac subinde ruit fundamentum S. Thomæ. Si secundum, igitur ipsius voluntas non sequitur infallibiliter dictamen intellectus, quippe cum adhæreat objecto tametsi intellectus ei subministret rationes urgentiores quibus ab illo deberet avocari. *Insuper* si non occurrerunt ei meliores rationes, sed ex minori consideratione peccavit, quomodo tenacius adhæsit objecto quod eum minus movebat? *Denique* exemplo constat diabolum revera mutasse suam voluntatem, nam, Joan 13. suasit Judæ ut Christum traderet ad mortem, at Matt. 27. inspiravit uxori Pilati ut Christi liberationi incumberet. Igitur dæmonis voluntas non est immobilis.

Conclusio tertia. — Dæmonis et damnatorum in malo obfirmatio non provenit etiam ex infuso in eorum voluntate vitioso habitu: nec ex actu a Deo in ipsis producto: sed a denegatione auxilii divini quo resipiscere possent. Hæc conclusio tres continet partes, quarum,

Probatur prima " ✻ Nempe, quod illa obduratio non proveniat ex infuso vitioso habitu: si namque ille habitus concurreret cum voluntate, maxime vel partialiter, vel totaliter. Si partialiter, ergo cum voluntatem a propria ratione non immutet, sequitur, quod si illa non est ex se determinata ad odium Dei, v. g. nec per talem habitum ad illud odium

potuerit determinari: si autem sit causa totalis illius odii, ita quod voluntas se habeat tantum mere passive respectu istius odii per talem habitum producti; sequitur, quod odium illud non sit peccaminosum, esset enim illud odium totaliter a Deo causatum saltem mediate: quod autem a Deo est, peccatum esse nequit, siquidem Deus esse non potest auctor peccati; ergo, etc. Consequens autem falsissimum est: ergo voluntas damnatorum respectu illius odii in Deum, non habet se mere passive; subindeque non habet habitum aliquem, qui sit causa totalis illius odii, ceterorumque dæmonum peccatorum.

Pari ratione evincitur *secunda pars*, nempe, quod illa in malo obfirmatio non fiat per actum aliquem a Deo productum in voluntate dæmonum: cum enim talis obfirmatio sit causa continuationis odii in Deum, et omnium peccatorum, quæ perseveranter dæmones operantur, si hujus obdurationis Deus esset auctor totalis, et unicus, esset pariter eorum peccatorum auctor censendus: quod cum sit absurdum, etiam et absurdum id unde sequitur.

Probatur itaque tertia pars, nempe, quod dæmonum obstinatio proveniat partim a voluntate, partim a denegata gratia, non divisim sed conjunctim. *Si enim illa obstinatio voluntatis malæ sit a Deo*, inquit Doctor, n. 20. *ergo ista malitia erit a Deo, et sic Deus est causa peccati; si autem et a voluntate, videtur, quod ipsa possit resilire ex se ab ea, sicut ipsa potuit ex se illud malum male velle. Qua enim virtute movet se ad aliquid, eadem quiescit in illo, et æqualiter potest se retrahere ab illo, et movere in aliud magis inclinans, quale est oppositum illud: ergo necessum est, ut ab utroque illa proveniat.* Unde huic principio infra reponens Doctor, ait, *Cum ergo arguitur, quod si ista est a voluntate sola: ergo voluntas sola potest in oppositum resilire, scilicet ab illo objecto in quod inordinate se inclinavit; respondeo: dico, quod ad resiliendum meritorie requiritur aliud principium a voluntate, puta gratia, quam Angelus non potest ex se habere, et Deus, secundum quod deseruit ipsum, disposuit sibi eam non dare.* — Hanc eamdem veritatem confirmat S. Fulgentius *lib. De Fide ad Petrum, c.* 3. ubi ait, ita Deum disposuisse Angelorum, et hominum causam, ut si propriæ voluntatis arbitrio contra Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera, in erroribus doloribusque cruciauda. Et adjungit: *Ac de Angelis quidem hoc disposuit, et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet.* Et inferius addit: *Ut Angeli mali nec mala possint umquam voluntate carere nec pœna; sed permanente in eis injustæ aversionis malo, permaneat etiam justæ retributionis æterna damnatio.* Et rursus, inferius dicit, *nullum Angelorum ex quo ruinæ suæ merito e cælo ejecti sunt, bonam posse resumere voluntatem.* ✻ " Itaque non sicut Angelis abstinere a peccato liberum fuit antequam peccassent, ita commisso peccato, amplius illo abstinere illis jam liberum est. Ceciderunt enim prævaricatione sua in miserrimam et adamantinam necessitatem ac servitutem peccandi, a qua, cum omnes gratiæ fores illis præclusæ sint, sola arbitrii libertate se expedire non possunt. Neque enim illis ut hominibus veniæ datus est locus, aut aliqua resurgendi ex lapsu gratia; sed tam profunde peccato immersi sunt, ut omnis se inde extricandi facultas illis adempta sit. Cujus tam horrendi judicii causam

dum curiose rimatur Gregorius hanc affert lib. 9. *Moral.* c. 18: *Angelorum,* inquit, *spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus, quo seipso minor est, accepit. Ita cujus gradus fuit altior, ejus casu factus est gravior. Et qui nullo alio, nisi seipso suadente vel decipiente, nec carnem portabat humanam, de qua, licet injuste, materiam peccandi posset contrahere, sed sola iniquitate superbiæ, suæ perditionis factor fuit, et alterius culpæ, in qua superbia cepit initium, ratione habuit ut ejus fine careret supplicium. Ita qui deceptionis auctor fuit homini, merito et suum et illius portabit supplicium, cui auctor fuit cadendi. Gravius enim peccat, qui non sibi tantum, sed et alteri peccandi auctor est.*

Conclusio quarta. " * Nec Angeli nec homines damnati possunt ullatenus elicere bonum opus meritorium: Habent tamen potentiam ad eliciendum actum naturalem, qui posset esse moraliter bonus; quem tamen nusquam elicient propter obfirmatam in malo voluntatem. Hæc est Doctoris, quantum ad tres partes; quarum

Primam declarat n. 14. ubi primo præmittit, quod non repugnet dæmonem posse habere actum meritorium: neque *potentia logica;* quia nempe non implicat contradictionem, quod dæmon possit habere gratiam, et cum ea operari; neque *potentia reali passiva;* quia quod est ex natura sua capax recipiendi volitionem rectam, quamdiu idem in se manet, nequit fieri non receptivum illius: voluntas autem dæmonis fuit aliquando receptiva bonæ volitionis, et actus meritorii, quia ante damnationem potuit meruisse, et fuisse beatus: neque tandem *potentia reali activa,* quia, inquit, n. 15. voluntas respectu rectæ volitionis, est principium activum partiale; et illam habet integram, secundum Dionysium, et eamdem quam habuit in statu innocentiæ; et per consequens non est verum negari ab eo potentiam, hoc est principium activum partiale volitionis meritoriæ: sed istud principium non est totale, quia non sufficit sola voluntas ad meritorie volendum; sed requiritur gratia tamquam principium cooperans. * " « Nec ista voluntas est « partiale principium principale, vel sufficiens ad ponendum partiale « principium, scilicet gratiam in esse. Quamvis enim gratia jam ha- « bita voluntas utens sit principale agens respectu actus: gratia non « habita, ipsa non est sufficiens ad ponendum gratiam in esse: quia « gratia non potest inesse nisi a solo Deo creante. Et ita Angelus non « habet totale principium activum ad agendum talem actum, nec est « principale partiale principium activum, in cujus potestate sit pro- « ducere reliquum principium activum partiale in esse, et amovere « impedimentum usus sui, et sui comprincipii ad eliciendum actum, « et effectum communem eorum ». — *Et istud hoc exemplo confirmat:* « Si quis habens visum esset in tenebris: licet tunc habeat principium « partiale actus videndi, et principale principium videndi, quando con- « currunt lumen, et potentia visiva: non tamen habet tunc totale prin- « cipium, nec principium principale sufficiens ad ponendum illud quod « requiritur ad effectum istorum duorum principiorum partialium: nec

« etiam posset amovere impedimenta, et ideo licet iste habeat potentiam visivam, pro quanto habet principium diminutum respectu visionis, non tamen in potestate ejus esset videre. Ita dico quod in « potestate Angeli non est meritorie velle, quia non est in potestate « ejus habere gratiam, nec per consequens uti gratia: nec etiam uti « voluntate sua cum gratia ista, ad actum suum eliciendum, et omnes « hæ negativæ sunt veræ: quia non est in potestate ejus habere formam, qua utatur, nec amovere impedimenta ». Inde concludit ¨ ✳ n. 17: secundum hoc ergo quantum ad omnia membra, de potentia, ut est principium, non videtur negandum ab Angelis posse meritorie velle, nisi quia non habent principium merendi totale; nec principale partiale respectu volitionis bonæ; nec respectu gratiæ specialis, quæ requiritur ad bonam volitionem. Subinfert autem, quod inter diabolum, et opus meritorium non sit repugnantia intrinseca, sed tantum extrinseca; nempe quia Deus non potest concedere diabolo gratiam, impotentia absoluta, quasi diabolum habere non quidem gratiam, contradictionem involvat: *Cum enim,* inquit n. 18. *natura angelica sit capax gratiæ, sequitur, quod nulla sit contradictio in hoc, quod gratia informet illam naturam;* sed tantum repugnat ex potentia Dei ordinaria, quæ debet esse conformis in agendo regulis prædeterminatis a divina sapientia, vel magis a divina voluntate, quæ quantum ad creaturam rationalem beatificandam, vel puniendam, has statuit regulas: nempe, quod *ubicumque ceciderit lignum ibi erit;* hoc est, in cujuscumque creaturæ rationalis amore permanserit, in illo permanebit: *et ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur, et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam:* et ex talibus regulis Scripturæ concludit August. 21. *De Civit. Dei* c. 23 *et* 24. quod certum est Deum numquam daturum eis gratiam: *Secundum hoc ergo impossibile est eos bene velle: quia impossibile Deo (de potentia dico ordinaria) eis gratiam dare.* Ita Doctor.

Patet etiam secunda pars ex eodem Doctore, nempe, quod dæmones possint habere actum bonum moralem; siquidem postquam impugnasset sententiam S. Thomæ dicentis, dæmones non posse ullum actum bonum elicere, quia omnem actum deformant ex aliqua circumstantia inordinata, referendo illum inordinate ad amorem sui; et quia non possunt a malo cessare propter vehementem inclinationem ad illud, concludit n. 21. quod non necessario habent aliquem actum malum, nec loquendo de aliquo actu determinato, vel indeterminato, sive vago. *Primam* partem probat, quia supposito quod ex natura voluntatis angelicæ non sit, quod perseveret perpetuo in actu semel elicito, non potest assignari aliquid aliud determinativum ipsius ad ullum actum determinatum, nisi fingatur, quod habeant aliquem habitum determinantem ad illum: sed imprimis gratissime asseritur talis habitus; et præterea absurdum est, quod omnes actus malos quos dæmon possit habere, habeat simul, et simul etiam conservet; quod sequeretur ex opposita sententia: ergo nec habitus, nec ipsa voluntas ipsius est determinata ad omnes: ergo potest aliquando sine aliquo ex illis subsistere.

Probat etiam tertiam partem, nempe, quod voluntas dæmonis nullum habeat actum malum indeterminatum; quia saltem quantum ad

actum in genere, potest habere aliquem actum indifferentem, qui scilicet nec habeat circumstantias omnes requisitas ad actum bonum moraliter, nec etiam ullam circumstantiam malam oppositam positive circumstantiis bonis, nihil enim prorsus impedit quominus talem possit habere. Mirum enim videtur, inquit Doctor, negare potentiam naturalem in natura illa excellente, ubi non apparet aliquid propter quod sit neganda. Nihilominus infert Doctor, probabile esse, quod secundum hanc potentiam non exeant in actum, propter vehementem malitiam, secundum quam magis probabile est quod agunt, quam secundum potestatem naturalem, secundum quam possent in actus aliquo modo oppositos. Quibus patet quam perperam aliqui Doctorem insimulent, quasi revera docuisset dæmones interdum opus honestum elicere; quamquam enim id judicet non esse impossibile, ostendatque omnes rationes, quas ad id probandum profert S. Thomas, nullius esse momenti; tamen censet de facto dæmones nullum bonum opus morale elicere posse, propter scilicet summam illam malitiam qua eorum voluntas afficitur.

Dices 1: Ex S. Jacobo cap. 2. *Dæmones credunt, et contremiscunt:* sed credere, et contremiscere sunt actus boni: ergo aliquando eliciunt actus bonos, adeoque non omnis actus illorum est malus. **Negat minorem Doctor** n. 25. Quia quamvis ille actus credendi esset bonus diminute, quatenus scilicet haberet bonum objectum, et non afficeretur aliqua circumstantia mala, non tamen esset eo ipso bonus simpliciter, quia deesse posset ipsi aliqua circumstantia, quæ requireretur ut esset bonus: unde posset esse actus indifferens. Vel ut inquit Doctor, licet credant, ille tamen actus credendi est in eis malus, quia oderunt illud creditum.

Dices 2: In dæmonibus et damnatis remanet imago Dei, ratione cujus sunt capaces amoris ipsius Dei: sed non sunt capaces ipsius nisi per actum bonum: ergo habent actum bonum. — **Respondet Doctor,** negando *minorem,* sunt enim imago Dei particeps, et capax ejus per hoc, quod habeant naturam intellectualem, quamvis non haberent ullum actum bonum, et quamvis etiam non haberent potentiam proximam ad talem actum, in quo nulla est difficultas.

Dices 3: Nullum violentum est perpetuum, quia est contra inclinationem ejus cui inest, quod inde constat, quia si sibi ipsi relinqueretur, statim pristinum suum statum naturalem repeteret, ut patet in aqua calefacta: sed peccatum est contra inclinationem naturæ rationalis: ergo nequit esse perpetuum, et consequenter poterunt aliquando bonum operari. — **Respondet 1. Doctor** distinguendo *majorem:* nullum violentum est perpetuum in causis mere naturalibus, concedit: in causis partim naturalibus, partim liberis, negat. *Verum equidem est,* inquit, *quod in agentibus mere naturalibus, cessantibus impedimentis, reditur ad dispositionem naturalem, non prohibente actione violenta. Et ratio est, quia principium intrinsecum est necessarium respectu bonitatis naturalis, quantum est ex se: et ideo semper causat eam nisi vincatur per dominans. Hoc modo voluntas non est causa respectu suæ bonitatis in actu suo, sed tantum habet inclinationem quamdam naturalem, quasi passivam ad bonitatem in actu; quam*

licet posset darè actui, non tamen inclinatur ad dandum eam necessitate naturali, sicut grave ad descendendum deorsum. — Respondet 2. distinguendo *minorem:* peccatum est contra inclinationem naturæ, quatenus est contra actum rectum ad quem inclinatur natura, concedo: quatenus ipsa natura secundum se non haberet inclinationem aliquam secundum affectionem commodi ad peccatum, nego.

Dices 4: Damnati in inferno pœnitentiam agunt de anteactis peccatis, juxta illud Sapientiæ 1. ubi damnati *pœnitentiam agentes, et præ angustia Spiritus gementes, etc. — Confirmatur:* nam ille dives Epulo, qui sepultus fuit in inferno, desiderabat ut Abrahamus mitteret aliquem ad fratres in sæculo viventes, quatenus eos moneret de agenda pœnitentia, ne post mortem cum ipso ruerent in locum tormentorum: sed hoc erat opus honestum, et bonum: ergo revera damnati possunt aliquod opus bonum operari. — **Nego consequentiam**, et ad auctoritatem Scripturæ dico, quod damnati in inferno pœnitent de anteactis peccatis, non ex bono fine, sed ex malitia: ubi talis pœnitentia nihil aliud significat quam quemdam remorsum conscientiæ, qui semper est in omnibus damnatis vindicans peccata præterita, qui remorsus non est peccatum, sed pœna peccati. — *Ad confirmationem*, dico, quod illa compassio divitis non fuit orta ex pietate naturali, neque ex amore fratrum, sed ex amore proprio: verebatur namque ne gravius ipse puniretur, si fratres simul cum ipso damnarentur, propter peccata quæ ipso vel instigante, vel malum exemplum præbente commiserant.

Objicies 5. Nullus intellectus ita potest esse perversus, nec in eo statu constitutus, ut non possit intelligere prima principia proposita: ergo nec voluntas potest esse ita corrupta, ut finem ultimum non possit velle: sed volendo finem ultimum, bonum actum eliciet, volitio namque finis ultimi est operatio recta: ergo damnatorum voluntas poterit aliquando bene velle. Probatur sequela *majoris:* sicut se habet principium in speculabilibus, sic se habet finis in moralibus. *Deinde:* omnis malus est ignorans: ergo nulla potest esse malitia in voluntate, nisi prævius sit error in intellectu, et consequenter ubi potest non esse error talis in intellectu, quin intelligat objectum quatenus est intelligibile, etiam poterit voluntas ita non perverti, quin possit bonum recte velle. — **Respondet Doctor** negando sequelam, quæ, inquit, tantum urgere potest Thomistas asserentes intellectum esse motivum sufficiens voluntatis; inde namque sequitur quod intellectus primi Angeli nullum principium practicum possit recte concipere, quin moveat voluntatem conformiter, adeoque ad recte volendum. — Ad primam sequelæ probationem, dico, illam propositionem sic esse intelligendam; quod quemadmodum principia se habent ad conclusiones in speculabilibus, ita finis ad media in operabilibus: non quidem quantum ad omnia, sed quantum ad hoc, quod sicut non potest quis assentiri conclusioni quin assentiatur principiis, et propterea prius debet assentiri principio quam conclusioni: ita etiam non possit velle media nisi velit finem; et propterea prius debet velle finem quam media: non autem sensus est, quod si non possit haberi error in intellectu circa principium, non possit etiam haberi error in voluntate circa finem. Ratio autem cur

possit voluntas errare circa finem, quamvis non possit intellectus errare circa prima principia, est manifesta; quia intellectus est causa naturalis, et naturaliter determinatur a principio proposito ad cognitionem rectam, unde illam necessario habere debet: voluntas vero est causa libera, et non determinatur a fine proposito ad actum rectum: ideo, inquit Doctor, potest esse ita aversa, quod quantumcumque bonum sibi ostensum non moveat ipsam ad amandum ipsum, saltem ordinate, unde non sequitur: intellectus nequit errare circa prima principia; ergo nequit voluntas peccare: quamvis enim non possit esse error in intellectu, non minus potest voluntas deficere; alias sequeretur, quod voluntas pro ullo statu non posset errare.

Objicies 6. Si dæmones, et damnati necessario male velint, sequitur, quod semper sunt in actu male volendi: ergo in infinitum augent malitiam suam, et consequenter semper augebunt pœnam, ita quod sicut numquam erunt in termino malitiæ, sic nec usquam habebunt terminum pœnæ. *Confirmatur:* si posset augeri pœna, et malitia semper in damnatis, similiter posset augeri bonitas, et præmium in beatis: sed consequens est absurdum, sequeretur enim inde, quod beati numquam forent in termino beatitudinis: ergo, e.c. — **Negat majorem Doctor** *n.* 27. quia, inquit, quando habitus est in summo, et habet id omne quod requiritur ad suum complementum in tali subjecto, vel secundum terminum sibi præfixum a sapientia divina, omnes actus sequentes nihil augent, sed tantum procedunt ex habitu jam generato; quemadmodum actus Angeli non augent habitum charitatis ejus, nec effective, nec meritorie, quia ille est in termino, vel secundum naturam habitus, vel secundum capacitatem subjecti, vel saltem secundum terminum sibi præfixum a Deo, sed omnes illi actus procedunt ex plenitudine illius habitus sic perfecti: ita autem est in proposito: perfectio namque, seu complementum malitiæ damnatorum est in termino secundum regulam divinæ sapientiæ, quæ non permittit eos crescere in malitia intensive: et ideo actus sequentes non augent præfatum habitum, sed se habent sicut effectus illius. Ita Doctor; quibus significat, quod quamvis damnati semper velint male, non tamen propterea augent malitiam suam intensive, quia nempe illorum malitia est in termino. — Unde sequitur, quod pariter non sit augenda eorum pœna, sicut nec augetur beatorum gloria: quia, inquit, *num.* 28. sicut præmium substantiale in primo instanti in quo aliquis Angelus est beatus determinatum est, nec ex tunc crescit, quia actus boni qui sequuntur non sunt meritorii, licet sint boni; ita in Angelo damnato in primo instanti suæ damnationis determinatur ad certam pœnam, quæ non crescit intensive: nec tamen mali actus quos elicit erunt impuniti, sicut nec boni Angeli actus boni erunt irremunerati: quemadmodum enim Angeli sancti actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actus beatifici; sed quantum ad accidentale præmium, quod possunt habere, quilibet actus est sibi præmium: ita etiam mali actus quos elicit damnatus includuntur in prima pœna sibi certitudinaliter determinata: unde quilibet, sicut posset habere pœnam accidentalem, et propriam, ita habet seipsum pro pœna, juxta illud S. Augustini lib. primo *Confessionum* cap. 12. *Jussisti Domine, et ita est, ut sit sibi pœna omnis peccator:* potissima enim,

et maxima pœna est privatio maximi boni, qualis est formaliter in actu malo malitia culpæ peccatorem avertente a Deo. Crescet ergo pœna eorum in infinitum extensive, sicut et malitia, neutrum vero intensive. Ita Doctor.

Instabis. Actus damnatorum sunt demeritorii quia sunt mali : ergo debent habere pœnam sibi correspondentem. — Respondet Doctor, concedi posse quod actus damnati possit esse culpabilis, non tamen proprie demeritorius : quia non elicitur a viatore, cujus solius est mereri, et demereri : unde magis proprie actus ille dici potest actus damnati quam demerentis : sicut ex alia parte actus beati, licet sit acceptabilis Deo, non tamen proprie est meritorius, sed magis dicitur actus beatificus, vel actus beati, vel de beatitudine procedens.

Ad evidentiorem autem hujusce postremæ difficultatis solutionem, placet adscribere quæ docet Seraphicus Doctor, *dist.* 7. *art.* 1. *quæst.* 2. ubi loquens de mala voluntate dæmonum, ait: « Illam posse consi-« derari tripliciter : scilicet quantum ad deformitatem, quantum ad « pronitatem, et quantum ad actualitatem. Quantum ad deformitatem « est in mala voluntate diabolus continue, ita quod nulla intervenit « variatio per deformitatis desitionem sive minorationem : quia ita « adhæsit macula peccati voluntati diaboli, ut nullo modo possit ab « ea separari. Quantum ad pronitatem, est continuatio ejusdem ; ita « tamen quod intervenit variatio quantum ad modum inclinandi ; « diabolus enim ad ipsum, quod primo appetiit, etiam nunc pronita-« tem habet, sed differenti modo quam prius : prius enim appetiit, cum « proposito obtinendi, unde dixit, *Ponam sedem meam ad aquilonem, etc.* « nunc vero appetit quantum in se est, sicut ambitiosus qui sperat « obtinere Episcopatum, etsi non obtineat, non recedit ambitio, sed « modus ambiendi variatur : sic et in diabolo est. Quantum ad actua-« litatem, est continuatio in actu peccandi ; tamen intervenit variatio « quantum ad genus, quia non peccat continue peccato unius gene-« ris, cum non moveatur simul motibus diversis ; modo enim peccat « superbia, modo invidia, etc.; tamen voluntas ejus numquam requie-« scit ; quia numquam lassatur, cum sit incorruptibilis ; et cum in « ea regnet perversitas, semper omnem actum quem elicit deformat « et depravat, et ita continue peccat ».

Qualiter autem dæmonum malitia augeatur, aperit Quæstione sequenti docendo, illam semper augeri quantum ad vim administrativam, videlicet comparatione ad hominem : non vero quantum ad vim contemplativam, qua est simpliciter, et necessario aversio a Deo, unde concludit dæmonis demeritum non augeri. « Ad incrementum enim, « inquit, voluntatis malæ, sive demeriti, non sufficit inordinata affe-« ctio, quia hæc est in damnatis, et erit in sempiternum : sed requi-« ritur ultra tempus meriti, et status merendi, et demerendi : diabo-« lus autem est in statu demerendi quantum ad vim administrativam, « non vero quantum ad contemplativam. Ratio autem hujus est, quia « Deus sic condidit universum, ut major et potentior minorem adju-« vet, ideo non tantum Angelo dedit vim contemplativam, qua me-« reretur et ad Deum converteretur, sed etiam administrativam, qua « homini suffragaretur. Quia ergo vis contemplativa erat ipsius Angeli « in se, quantum ad illam præfixum est illi spatium merendi, et de-

« merendi usque ad primam conversionem, vel aversionem. Sed quia « administrativa respectum habet ad hominem ; ideo præfixum est « Angelo spatium merendi, et demerendi, usquequo homines assume- « rentur totaliter ad gloriam : mansit ergo quantum ad istam status « merendi, et demerendi, et manet usque ad diem judicii ; sed quo- « niam meritum, et demeritum non est in vi administrativa, nisi per « vim contemplativam, et in bonis contemplativa ita est conversa in « bonum, quod non potest averti, ideo administrativa non habet *nisi* « locum merendi : e contra, quia in malis ita est aversa contempla- « tiva, quod non potest converti ; ideo quantum ad administrativam « non habet *nisi* locum, et spatium demerendi. Et in hoc patet, quod « divinum decretum manet justum et inviolatum ; quia tempus quod « a conditione præfixerat non debuit auferre, nec bonis, nec malis ; « et illis quidem diligentibus Deum spatium illud conversum est in « bonum; impiis autem, et peccatoribus Angelis conversum est in « malum; et ideo patet quo modo crescit mala voluntas in malis, sci- « licet quantum ad vim administrativam solum ». Hæc Seraphicus Doctor, quibus idem docet quod Subtilis, nempe dæmonum demeritum augeri extensive, non intensive, quia nempe augetur eorum malitia per varios actus erga homines quos infestant, non vero augetur ratione aversionis quam habent erga Deum, quem ab initio summo odio prosequuntur.

QUÆSTIO QUARTA.

AN, ET QUALI PŒNA DÆMONES CRUCIENTUR.

Conveniunt omnes Theologi duplicem esse damnatorum pœnam : unam quam appellant *damni*, alteram quam *sensus* pœnam nominant. *Prima* consistit in carentia visionis et fruitionis summi boni, ad quod rationalis creatura naturali suapte inclinatione tamquam ad suum finem ultimum tendit : et ideirco pœna damni nuncupatur, quia nempe hæc carentia maximum creaturæ damnum affert, utpote quæ ipsum omni sua perfectione, quiete, ac voluptate spoliat. *Pœna* vero sensus seu accidentalis, dicitur illa quæ consistit in privatione cujuscumque alterius boni præter visionem beatificam, atque in dolore seu cruciatu, quem ab igne infernali, seu etiam aliunde percipiunt. Late autem hic *sentiendi* vocabulum sumitur, ut non solum ad animalium appetitum sensibilem se extendat, sed etiam ad appetitum rationalem seu intellectualem, et voluntatem creatam : in dæmonibus autem hic appetitus omnium consensu admittitur, sicut etiam in animabus separatis ; et hinc fit, ut nullius delectationis, et gaudii sint capaces. Quod autem detur utraque pœna, docet Christus *Matth.* 25. in extremo siquidem judicio dicet reprobis : *Discedite a me maledicti*, ecce pœna damni ; *in ignem æternum*, ecce pœna sensus. — Hæc porro duplex pœna correspondet duplici inordinationi quæ est in peccato mortali ; nam per peccatum mortale avertimur a Deo, et convertimur ad creaturam ; itaque pœna damni correspondet aversioni a Deo ; et propterea consistit in carentia ipsius Dei ; pœna sensus correspondet conversioni ad creaturam, et ideo infligitur a creatura ; qui enim inordinate appetit res creatas, dignus est ut ab eis crucietur. Et quoniam dæmones, suo Conditore spreto, ab eo se averterunt, ut ad creaturas se conver-

terent; hoc est, ad Luciferum, et seipsos, sese nimium, et inordinate diligentes, et sibi ipsis ac propriæ excellentiæ complacentes, libertatem suam, pulchritudinem, nobilitatem, cæteraque Dei dona intemperanter diligentes, et in summa, res creatas suo Creatori præferentes; merito ex divinæ justitiæ decreto, a creatura, hoc est, ab igne cruciantur in perpetuum, sicut eorum scelera perpetuo manent; *Superbia* enim *eorum ascendit semper*, ut ait Psaltes Regius: et sic Deus res creatas ad eorum reprimendam superbiam usurpat, et horrendam deformitatem inducendam, eosque sempiterno carcere claudendos. — In præcedenti Quæst. satis declaravimus dæmonum pœnam damni; jam eorum pœna sensus est inquirenda: idcirco

Notandum 1. Eam fuisse plurimis e sanctis Patribus communem sententiam, dæmones post peccatum suum non statim ad ima Tartara præcipitatos fuisse; sed eos in aëre, ac supra terras degere, donec extremus mundi occasus ac judicii dies adveniat. Ita in primis Athenagoras in legatione pro Christianis, ubi postquam docuit Angelos mulierum cupiditate in libidinem exarsisse, et ex iis propagatos fuisse gigantes, statim addit: *Hi igitur Angeli, qui cum Cœlis excidissent, circa aërem, et terram oberrantes, non amplius evehi supra cœlos possunt, etc.* Subscripsit Tertullianus *in Apologetico cap.* 22. ubi dæmones aëris incolas fatetur: *Habent*, inquit, *de incolatu aëris, et de vicinia siderum, et de commercio nubium cœlestes sapere creaturas.* — Hoc ipsum censuisse S. Augustinum colligi potest ex variis ejus scriptis, maxime vero ex *Enarratione in Psalm.* 149. ubi ait: *Propterea ad istam caliginosam regionem*, idest, *ad hunc aërem, tamquam ad carcerem damnatus est diabolus de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis: Nam Apostolus hoc de illo dicit* Ephesiorum 1. *Secundum principem potestatis aëris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ; Et alius Apostolus dicit* (nempe S. Petrus 2. Epistola cap. 2.) *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis Inferni retrudens tradidit in judicio puniendos servari:* infernum hoc appellans, quod inferior pars sit mundi. — Non dissentit etiam S. Hieron. Nam *in Comment. ad Epistolam Pauli ad Ephesios*, explicans illa verba cap. 6. *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, vocabulum cœlestium de aëre interpretatur, *Hæc autem*, inquit, *omnium Doctorum opinio est, quod aër iste qui Cœlum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* — His consentit Rupertus *lib.* 1. *in Gen. cap.* 17. ubi docet dæmones omnes in aërem dejectos, usque ad diem supremi judicii in eo permanere: *Ille*, inquit, *terribiliter indignatione Dei, trementibus cunctis Angelorum ordinibus, e Cœlo excussus in hunc aërem miser cecidit, et ab omni luce extinctus, et jam in æternum lucem Dei non visurus: et nunc quidem in hunc aërem esse dejectum, et omnes satellites ejus quos aëreas catervas dicimus, passim in Scripturis habemus: Verbi gratia*, in Apostolo dicente: *Non est nobis colluctatio, etc. Futurum est autem ut in Infernum inferiorem videntibus cunctis præcipitetur in ignem æternum, qui paratus est ei et Angelis ejus.* His concinit Alcimus Avirus qui libro 2. *De peccato originali* diabolum sic de homine loquentem inducit.

Sit comes excidii, subeat consortia pœnæ.
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.

Hinc Cassianus, collatione 8. cap. 12. ait, quod *tanta spirituum densitate constipatus est aër iste qui inter Cælum, terramque diffunditur, in quo non quieti, nec otiosi pervolitant : ut satis utiliter humanis aspectibus eos providentia divina absconderit, atque substraxerit. Aut enim terrore concursus eorum, vel horrore cultuum in quos se pro voluntate sua cum libitum fuerit transformant atque convertunt, intolerabili formidine homines consternarentur atque deficerent, nequaquam valentes hæc carnalibus oculis intueri : aut certe nequiores quotidie redderentur exemplis eorum jugibus, et imitatione vitiati : et per hoc inter homines, et immundas, atque aëreas potestates fieret noxia quædam familiaritas atque perniciosa conjunctio.* Quæ Cassiani verba sic exponenda sunt, ut Deus non permittat dæmonibus horrifica corpora sibi fingere, ut spectris et imaginibus illudant mortalium oculis, et illos e vicino perterrefaciant.

Notandum 2. Plures similiter ex antiquioribus Patribus cum Origene sensisse ignem cui jam addicti vel addicendi sunt dæmones, non esse corporeum, nec aliud significare, quam peccatorum stimulantem conscientiam, ut ipse docet Origenes *lib.* 2. *Periarchon cap.* 11. ubi hæc Isaiæ verba cap. 51. *Ambulate in lumine ignis vestri, ac flammæ quam accendistis,* sic declarans ait : *Per hos sermones hoc videtur indicare peccator, ut flammam sibi ipse proprii ignis accendat : et non in aliquem ignem qui antea fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur.* Hanc quoque Origenis fuisse sententiam scribit S. Hieron. *Apologia* 2. *contra Ruffinum*, ubi ait : *Ignes autem æternos quos intelligere solet Origenes, puto, quod te non fugiat, conscientiam videlicet peccatorum, pœnitudinem interna cordis urentem*, de qua Isaias loquitur cap. 66. *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur.* Quod fusius explicat *Epistola* 69. *Ad avitum*, ubi de Origene loquens ait : *Ignis quoque gehennæ, et tormenta quæ Scriptura sacra peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum : quando Dei virtute, et potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur : et veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis universa vitiorum seges exoritur : et quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conscientiæ punitur ardore, et pœnitudinis stimulis confoditur.* — Eamdem sententiam Theophilactus amplectitur in 9. caput Marci : *Vermis autem*, inquit, *et ignis, qui peccatores puniunt, uniuscujusque conscientia est, et memoria eorum, quæ in hac vita turpia commissa sunt : quæ tamquam vermis consumit, et sicut ignis incendit.* Huic pariter interpretationi favet S. Ambrosius lib. 7. in *Lucam* cap. 14. ubi sententiam suam iisdem pene verbis, quibus utitur Origenes, aperit : *Ergo*, inquit, *neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis : sed hæc ideo, quia sicut ex multa eruditate et febres nascuntur et vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ sed miscendo peccata peccatis tamquam eruditatem quamdam contrahat veterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur.*

Notandum 3. Eam pariter Origeni adscribi erroneam sententiam,

quod docuerit dæmones, et Reproborum animas tandem aliquándo ab omni pœna solvendas, et pristinam in sanctitatem restituendas, ut de ipso Origene affirmat Epiphanius Epistola quam adversus Origenem scripsit ad Joannem Jerosolymitanum, ubi ipsi Origeni adscribit, quod docuerit, *Diabolum id rursum futurum esse, quod fuerat, et ad eamdem redituram dignitatem, et conscensurum regna Cælorum.* Hieronym. item *in Epist.* 51. *ad Pammachium*, eumdem Origenem ait existimasse, post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem quod diabolum, Paulum quod Caipham, virgines quod prostitutas. Idem dogma Origeni adscripsit S. Augustinus lib. *De Hæresibus;* ubi ait: *Sunt, et alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit: In quibus nec ipsum falso arguit; nec potest ab ejus defensoribus excusari, maxime de purgatione, et de liberatione: ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum, idest etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, et facinoribus, et sacrilegiis, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt: ipsum etiam postremo diabolum, atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos, atque liberatos, regno Dei, lucique restitui: et rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi, et reverti: et has vices alternantes beatitudinum, et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore.* — Hoc ipsum de Origene constat ex *quinta Synodo*, in qua damnati sunt Origenis errores, inter quos hic recensetur, quod diceret, *Omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura: atque impios, et dæmones in priorem suum statum restitutum iri. Præterea Christum oportere pro dæmonibus crucifigi, et idipsum sæpius per futura sæcula perpeti a spiritibus nequitiæ, qui sunt in cœlestibus.* — *Origeni* videtur subscripsisse S. Gregorius Nyssenus *lib. Catechistico*, ubi Incarnationis beneficia referens ait: *Hæc, et ejusmodi alia tradit magnum divinæ Incarnationis mysterium. Hoc enim ipso, quod cum humanitate mixtus est, per omnes naturæ proprietates generationem, et educationem, et incrementum, et ad mortis experimentum usque transiens, omnia illa, quæ diximus, effecit; ut et hominem a malitia liberaret, et ipsummet inventorem malitiæ sanaret: Ægritudinis enim sanatio est morbi purgatio, tametsi laboriosa sit.* Idem lib. *De Anima, et resurrectione* significat, ubi expendens illa verba Epistolæ ad Philipp. *In nomine Jesu omne genuflectatur;* triplex distinguit genus ratione præditorum, nempe *Angelos, Homines, et dæmones;* quos in humanæ naturæ detrimentum, et perniciem incumbere dicit, quam nempe dæmonum naturam, *Quidam,* inquit, *ajunt Apostolum inter subterranea, et inferna numerare, id illo sermone significantem, quod vitiositate longis sæculorum anfractibus, et circuitionibus aliquando abolita, nihil extra bonum relinquetur, sed etiam dæmones, concorditer dominationem Christi confitebuntur.* — Accedere etiam videtur huic opinioni Ambrosius *in Psal.* 118. *Octon.* 20. ubi docet, diaboli æterna fore supplicia, ideoque pœnam illius post judicium differri, ut sempiterna sit; hominum vero, quia misericordia temperari, ac circumscribi supplicia debent, statim post obitum ordinari, et infligi; *diabo-*

lus enim, inquit, *et ministri ejus cum hominibus non flagellabuntur, separata est pœna ubi distat et culpa.* Hinc et divitem illum, qui Lazari opem imploravit evasurum aliquando putat: verba illius hæc sunt: *Si hoc operatur humanum examen, (ut judicis misericordiam impetrent rei, ac relegatis non in perpetuum intercludatur reditus) quanto magis Christi judicium est omnibus expetendum? Differtur diaboli judicium, ut sit semper in pœnis reus; semper improbitatis suæ innexus catena conscientiæ suæ, ut in perpetuum subeat ipse judicium. Ideo dives ille in Evangelio, licet peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere: diabolus autem nequaquam puniri ad judicium demonstratur, nequaquam adhuc pœnis esse subjectus, nisi quas ipse tantorum conscius scelerum solvit timore perpetuo, ne aliquando sit securus.* Certum est tamen hos SS. Patres ab Origenis sententia esse alienos.

His ita prænotatis, tria sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum*, an omnes dæmones statim post peccatum fuerint in Infernum detrusi. *Secundum*, an revera igne corporeo torqueantur. *Tertium*, an eorum pœna sit aliquando finienda.

Conclusio prima. — Dæmones revera post suum peccatum in Infernum fuerunt detrusi, ac præcipitati.

Probatur primo ex Scriptura sacra, quæ apertis verbis declarat dæmones omnes in Tartarum præcipitatos esse. Isaiæ 14. *Detracta est ad Inferos superbia tua.* Et infra: *Verumtamen ad Inferos detraheris usque ad profundum laci.* Sic S. Petrus in *Epistola Canonica* 2. cap. 2. scribit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Cui S. Judas consonat in Canonica ver. 6. *Angelos vero*, ait, *quia non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Quamquam autem S. August. *in Psal.* 149. Tartarum, et Infernum a S. Petro nominatum, pro inferiori parte aëris accipi putet, non est tamen probabilis hæc interpretatio. Quippe Tartarus, et infernus, et caligo, perspicue inferos significant: quibus tamen sic addictos esse, et affixos dæmones non puto, ut inde tamquam e carcere numquam exeant; siquidem S. Apostolus Ephesiorum 2. diabolum vocat *Principem potestatis aëris hujus:* cui scilicet obsequuntur, et subjecti sunt dæmones, qui in aëre degunt.

Probatur hæc eadem veritas ex Concilio Florentino, ubi definitur, *Animas illorum, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, eas etiam animas, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exules corporibus sunt purgatæ, in Cœlum nulla mora recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est; meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt*, mox *in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quamquam autem de dæmonibus ibi nihil definiat, tamen idem de ipsis, ac de animabus sentiendum esse ratio ipsa suadet: *tum quia* dæmones, qui sunt impugnatores hominum, sunt etiam eorum tortores; et ideo necesse est ut ad torquendum homines damnatos, quos vicerunt, sint in eodem loco; *tum quia* illa

pœna fuit a principio debita eorum superbiæ; ideoque a principio ad illam definitiva sententia fuerunt damnati: at in principio non fuit necessarium illam suspendi, vel differri; et ideo convenientius fuit, statim, ut sic dicam, in ejus possessionem mitti, donec creatis hominibus propter eorum bonum, et propter alias rationes Providentiæ divinæ, licentiam inde exeundi acceperunt. Quia ergo præsentia dæmonum in inferno est quasi ordinaria lex, et regula, ut sic dicam; absentia vero est ex dispensatione, et propter extrinsecum finem; ideo per se credibile est infernum numquam spoliari dæmonibus omnibus: sed in eo numero permitti exire, qui ad exercitium hominum sufficiat. *Tum denique quia* animæ damnatæ non sunt pejoris conditionis, quam dæmones: sed illæ sine intermissione illam pœnam patiuntur: ergo a fortiori dæmones. *Minor* constat ex præfata definitione Concilii Florentini, necnon et ex illo Job. 21. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad Inferna descendunt:* et Luc. 16. *Mortuus est Dives, et sepultus est in Inferno. — Insuper* eadem ratio ultimi præmii et pœnæ in Angelis intervenit; sicut ergo sancti Angeli completam beatitudinem receperunt in termino viæ, a qua non recedunt, quando in hunc mundum veniunt, nisi solum quoad distantiam a loco cælesti; ita omnino cum proportione de dæmonibus, et eorum pœna sentiendum est. Hoc ipsum edocet S. Gregorius lib. 4. *Dialog.* cap. 28. dicens: *Si esse Sanctorum animas in Cœlo sacri Eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in Inferno, quia ex retributione æterna justitiæ, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia, ut et injusti crucientur. Nam sicut Electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui, ignis Reprobos exurat.* Quocirca vix concipere possum qualiter censeat *lib.* 4. *Moral. cap.* 10. dæmones nondum in Tartarum fuisse præcipitatos, cum eadem de ipsis ac de Reprobis animabus videatur esse ratio.

Ut autem hæc sententia cum dictis SS. Patrum in primo Notabili laudatorum concordet, censerem dicendum, nec omnes prorsus dæmones forte in inferorum claustris fuisse reseratos, nec qui ibidem reclusi fuerunt, vinculis igneis perpetuo detineri; sed eorum plerosque in Tartarum fuisse deturbatos, reliquos in aëre, vicinisque locis stationem habere; tum vicissim mutare sedes, et qui in inferis erant, illinc emergere; et ad inferos, terræ, aërisque penetrare incolas, atque ultro citroque commeare, uti docuit Eusebius lib. 7. *De præparatione Evangelica,* ubi declarat Angelorum multitudinem supra terram constitisse: plerosque autem in ima detrusos esse Tartara: *Innumerabile est,* inquit, *aliud genus illi subjectum, iisdem delictis obnoxium: quod propter impietatem a priorum sorte excidens, splendente, ac diviniore, quo dudum circumdatum erat, ornatu, et honoris gradu, quem in regio Palatio sortitum erat quum inter beatos Angelorum choros degebat, consentaneum impiis domicilium, et Tartari habitationem, quam abyssum divinæ Scripturæ nominant, ac tenebras nequaquam nostrarum similes, sed cujusmodi sacræ Litteræ significant, permutare compulsum est justo magni Dei judicio, ac sententia, quorum perexigua particula ad Athletarum pietatis exercitium, circa terram, et sublunarem aërem relicta, superstitiosi illius erroris, qui Deorum multitudinem asciscit, nec ab omnimoda Divinitatis ignoratione, contemptuque discrepat,*

causam hominibus attulit. Hoc ipsum suaderi potest ex illo Lucæ 8. ubi dæmones rogabant Christum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent; exinde namque liquet, quod dæmones aliqui e corporibus humanis ejecti, Tartarum non repetunt nisi divino mandato urgeantur. — ✻ " Hinc in Scriptura sacra triplex dæmonibus locus tribuitur, tenebrosi omnes, nimirum aër, terra et abyssus. Ex quo forte est quod aliqui multa dæmonum genera excogitarunt, *aëreorum, terrestrium, subterraneorum, infernalium*, quos tamen non repugnant eosdem esse qui hunc aërem incolunt, et nunc terram obambulant, nunc in abyssum relegantur. Ne autem pro arbitrio ut lubet locum mutare et quem vult sibi deligere possit, illud obstat, quod catenis, caliginis, et quidem æternis vinctus, traditus dicitur et servatus in judicium Dei magni. Quo et spes reditus omnis ad Deum, et remissio culpæ illi præcisæ, et vires et potentia lædendi, et nocendi voluntas sub divinæ Providentiæ nutu ita ligatæ et constrictæ sunt, ut sicut leo catenis alligatus, ulterius quam illæ permittunt, procurrere non potest, nec illas disrumpere, ita nec ille sine voluntate et permissione Dei se movere, aut aliquid aggredi aut facere. " ✻

Conclusio secunda. — Dæmones igne vero, et corporeo in Inferno cruciantur: Non physice, sed intentionaliter, ita dæmonis intellectum detinendo, et afficiendo, ut ad alia objecta pro suo arbitrio non possit ipsum convertere. Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

Probatur prima: Illud maxime asserendum est, quod Scriptura sacra diserte indicat, et SS. Patres constanter affirmant: sed Scriptura sacra sæpe pronuntiat homines, et dæmones damnatos igne cruciari, et ita frequenter hoc repetit, ut metaphorice non videantur accipienda: ergo fatendum est, eos torqueri igne corporeo. Probatur *minor*, variis ejusdem Scripturæ textibus, maxime ex illo Deut. 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad Inferni novissima:* et Judith 16. *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos: dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum.* Psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulfur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Ecclesiast. 7. *Vindicta carnis impii ignis, et vermis.* Et cap. 21. *Stupa collecta Synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis.* — Idem constat ex Novo Testamento. Sic Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* Et idem 5. 11. et 18. infernus, *Gehenna ignis* vocatur, et damnati dicuntur mitti *in ignem æternum.* Marc. 9. *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, etc.* Tam constans autem modus loquendi Scripturæ solum metaphoricum sensum non redolet; nam juxta regulam a S. August. traditam, lib. 3. *De Doctrina Christiana* cap. 10. Scriptura sacra ad litteram est accipienda, quoties litteralis sensus nec ullam contradictionem, nec absurditatem aliquam præsetert; quæ regula maxime locum habet, quando usus est frequens et uniformis, et quando proprius sensus non solum inconvenieus non habet, sed etiam ad bonos mores utilior est: utrumque autem in præsenti reperitur.

Idem constanter docent SS. PP. in primis sanctus Cyprianus libro *De laudibus Martyrii* cap. 12. ubi Infernum sic eleganter describit:

Sæviens locus cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure, et gemitu, et eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem sæva semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, tum in seipso convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciavit ora. Idem serm. De Ascensione Domini, *Incorruptibiles flammæ,* ait, *nudum corpus allambent: ardebit purpuratus dives... In proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagines, et flammas miserabilia corpora cremabuntur.* — Hanc veritatem diserte expendit S. Augustinus lib. 21. *De Civit.* cap. 10. ubi cum inquisivisset, quod si ignis Inferni non sit spiritualis, qualiter in eo possint dæmones cruciari: si vero non sit corporeus, quomodo hominum corpora torquere poterit, idem quippe ignis erit supplicio hominum attributus, et dæmonum, dicente Christo Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus;* ita respondet; *Nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aëre crasso, atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis: ut enim urat, prius uritur, facilque quod patitur.* Verum licet incorporei sint dæmones, nihilominus ab igne affici, cruciarique mox asserit: *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si nulla sunt eis corpora spiritus dæmonum; imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quæ constent spiritu, et corpore: sed ut dixi, miris, et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* — Eamdem veritatem luculenter explicat S. Gregorius lib. 4. *Dialog.* cap. 28. ubi sic inquit: *Sicut Electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui, ignis Reprobos exurat.* Petrus vero discipulus interrogat: *Et qua ratione credendum est, quod rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?* quod capite 29. prosequitur, et tandem diserte interrogat: *An ignis Inferni corporeus sit?* et respondet Gregorius: *corporeum esse non ambigo.*

Secundam vero nostræ Conclusionis partem, quod *ignis ille non realiter, sed intentionaliter dæmones cruciet,* idem Greg. ibidem edocet. Petro enim sciscitanti: *Quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?* in hunc modum occurrit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur?* Deinde cujusmodi sit ea pœna, declarat: *Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis, videndo, atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt; et quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurit, tum ex igne visibili ardor, ac*

dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. Quamvis colligere ex dictis evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur.

Qualiter autem hæc pœna ab igne corporeo spiritibus inferatur, docet Doctor in 4. dist. 44. quæst. 2. ubi supponens n. 5. quod secundum S. Aug. 11. *De Civit.* cap. 15. *Dolor carnis tantummodo est offensio animæ ex carne, et quædam ab ejus possessione dissensio, sicut animæ dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*; « Ex hoc, inquit Doctor, apparet quod dolor est « passio consequens apprehensionem sensitivam, et in appetitu sensi- « tivo : tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in « voluntate, et consequens apprehensionem eventus alicujus objecti « noliti ». *Deinde* declarat *num.* 7. quod « ignis Inferni est objectum « disconveniens dæmonibus, idque dupliciter: *Primo*, ut detinens spiri- « tum definitive: *Secundo*, ut immutans objective. Et utroque modo « cruciat dæmones : *Primo* quidem, quia nolunt detineri ab igne, et « ad istud nolle, inquit Doctor, inclinat affectio commodi secundum « quam appetit liberum usum potentiæ ; ut sicut natura sua est indi- « ferens ad quodcumque corpus, sic posset se facere præsentem cui- « cumque corpori. Promovet autem superbia propter quam appetit uti « propria potestate : consummat invidia propter quam numquam vellet « determinate esse propter sententiam, vel actionem divinam. Istud « nolle præcedit detentio, et apprehensio detentionis : isto autem nolle « licet inordinate posito in voluntate ejus, sequitur apprehensio certa « de eventu istius noliti : et ex hoc tertio, vel quinto computato ista « duo quæ præcedunt nolle, sequitur tristitia. » Observat deinde, quod ignis Angelum non detinet, nec effective, nec formaliter per se. « *Non « quidem effective*, quia, inquit, nullus locus corporeus detinere potest « spiritum ; quia quod non locat effective, nec impedit ipsum moveri. « neque effective ipsum detinet. *Non etiam formaliter* necessario : « spiritus enim corpore solutus a nullo corporeo loco clauditur, et « ambitur ; cum enim materiæ, ac quantitatis sit expers, nullam habet « ambientem superficiem, nec consequenter formalem locum. Sed « tantum detinetur formaliter ab ipso igne secundum ordinationem « divinam, ita quod Deus effective ipsum dæmonem in igne, velut in « carcere detineat ; ignis autem ex Dei ordinatione ipsum ut carcer « detinet, et alligat, ita ut ab eo exire nequeat. Unde summe trista- « tur ; non enim tantum odit detentionem activam Dei, et suam pas- « sivam a Deo : sed etiam, inquit Doctor, *num.* 9. odit detentionem « formalem perpetuam ab illo igne : et per consequens de illa deten- « tione formali tristatur. Cum autem tristari sit formaliter cruciari, « sequitur quod ignis ut formaliter detinens diabolum, etiam aliqua- « tenus effective ipsum cruciet. *Nec refert*, quod ipsum non detineat « *effective* : inde namque non sequitur, quod non possit ipsum etiam « effective cruciare ; quia ut detinens formaliter, est objectum nolitum, « et apprehensum, ut disconveniens ; objectum autem nolitum effective « infert tristitiam. » — Idipsum docet S. Thomas quæst. *De anima* art. 21. *Quælibet*, inquit, *spiritualis substantia, quantum est de sua natura, non est alligata alicui loco : sed transcendit totum ordinem*

corporalium : Quod ergo alligetur alicui, et determinetur ad aliquem locum per quamdam necessitatem, est contra ejus naturam, et contrarium appetitui naturali. ✳ " Unde lib. 4. *Contra Gentes*, c. 90, infert: *Patiuntur itaque ab igne corporeo substantiæ incorporeæ per modum alligationis cujusdam : possunt enim alligari spiritus corpori, vel per modum formæ, sicut anima corpori humano alligatur, ut det ei vitam: vel etiam absque hoc quod sit ejus forma, sicut necromantici, virtute dæmonum spiritus alligant imaginibus aut hujusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt : et hoc ipsum est eis in afflictionem quando sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam.* — Qualiter autem ista detentio dæmonum ab igne ipsos cruciare possit, aperit ibidem Doctor num. 7 : *Dico autem*, inquit, *quod ignis ille est objectum sic disconveniens, et hoc dupliciter: primo ut detinens spiritum definitive : secundo ut immutans objective.* Primum autem declarat num. 11. docens quod dæmones illam alligationem et detentionem intensissime oderint, propterea quod eorum dignitati et libertati summe officiat, atque exinde eos vehementer affligat et cruciet quod sic declarat num. 11. " ✳ « *Primo* namque, inquit, « intellectus Angeli determinatur perpetuo ad intense consideran- « dum ignem in ratione objecti. *Secundo,* apprehendit istam deter- « minationem ad talem considerationem. *Tertio,* odit, et sicut prius « istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult quodcum- « que objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, « et nunc illud : et promovetur ex superbia, ex qua vult uti in- « tellectiva sua secundum imperium voluntatis propriæ : et consum- « matur ex invidia, propter quam odit determinari a Deo ad ali- « quam considerationem unicam. *Quarto*, sequitur apprehensio, non « tantum nuda istius considerationis, sicut in secundo, sed apprehensio « certa de eventu istius considerationis intensæ, et perpetuæ. *Quinto* « ex hoc sequitur tristitia. — *Et si quæras*, inquit Doctor, quomodo « illa possit competere igni, cum nullum corpus possit intelligentiam « spiritus ita efficaciter movere, quin ipsa intelligentia, et operatio in- « tellectus subsit voluntati ipsius spiritus, ut pro libito eam ab objecto « disconvenienti revocet, et ad aliud convertat; *respondeo*, quod istud « non convenit igni virtute propria, quia tota virtute activa ignis posita, « Angelus sibi dimissus posset ignem, vel aliud corpus indifferenter « considerare pro imperio voluntatis suæ. Ideo necessum est, quod illa « detentio in considerationé ignis intensa, et perpetua, et contra vo- « luntatem Angeli, sit effective a Deo principaliter, et ab igne active « quidem, sed minus principaliter. Quemadmodum enim intellectus « agens, et phantasma se habent ad movendum intellectum passibilem « in nobis, ita Deus se habens ad modum intellectus agentis, et ignis « ad modum phantasmatis, movent efficacissime intellectum passibilem « Angeli, contra voluntatem ejus. Nec obstat, inquit Doctor, quod « principale agens, et instrumentum non sunt hic in eodem supposito, « sicut intellectus agens, et phantasma sunt in eodem homine; hoc, « inquit, non obstat; quia ordo agentium illorum non requirit identi- « tatem suppositi. » ✳ " Ex his apparet, secundum Doctoris sententiam, dæmones ab igne duplici pœna cruciari : altera per alligationem in eo, et detentionem ab eo : altera per considerationem ejus ut instrumentum

divinæ vindictæ et animadversionis Dei in eos. " ✻ — Infert tamen Doctor *nu.* 13. quod multo gravius, et acerbius crucientur dæmones per illam perpetuam detentionem suæ intelligentiæ in intensa consideratione ignis, quam per detentionem formalem sui localiter ab igne. Quia, inquit, longe liberiores sunt Angeli secundum suam intelligendi virtutem, quam circa vim sui motivam; siquidem pro imperio voluntatis suæ circa quodcumque objectum occupari deberet eorum intellectus, juxta exigentiam perfectionis suæ naturæ, quod certe longe nobilior est in ipsis perfectio, quam sit ea qua pro libito ex natura sua locum mutare possunt. « Illa autem detentio in consideratione intensissima ignis impedit primam libertatem; ita namque per eam detinetur intellectus in consideratione illius ignis vindicis, ut nullatenus considerare possit alia objecta: detentio autem localis ab igne solum impedit liberum usum potentiæ motivæ, ut non possit se præsentem sistere cuicumque corpori; ex quo sequitur, quod multo major erit tristitia ex detentione illa objectiva, quam locali; quia ubi est major nolitio, et æque certa apprehensio de eventu, sequitur major tristitia. Adde, quod ignis objective detinens intellectum Angeli magis effective ipsum cruciat, quam quatenus ipsum detinet localiter: nam ut detinens localiter, tantum affligit dæmones effective quatenus est objectum nolitum: ut vero ipsum detinet objective, causat effective primam apprehensionem ad quam determinatur intellectus, quæ est nolita: et ita hæc ultima detentio habet quasi duplicem actionem in intellectum dæmonis; » prior vero habet tantum simplicem, et unicam. — ✻ " Si autem requiras qualiter dæmonum et damnatorum intellectus ita determinetur ad apprehensionem ignis ut objecti disconvenientis et ut instrumenti divinæ justitiæ: ibidem explicat Doctor dicens quod Deus cum igne concurrit ad immittendam speciem illius in intellectum Angeli, quemadmodum intellectus agens cum phantasmate producit speciem intelligibilem in intellectum patientem: idque fit connaturaliter. Nam cum Angelus alligatus sit igni, et in eo velut in carcere detineatur ut ex illo non possit exire, habet semper ignis præsentis speciem intelligibilem, quam non potest non cognoscere et continuo intueri, ex qua intensa consideratione longe magis affligitur quam per simplicem suam detentionem, atque vehementius cruciatur quam torqueatur anima dum corpus quod informat ab igne ustulatur. " ✻

Dices: Per id dæmones formaliter, et effective cruciantur, per quod inæqualiter torquentur: sed non torquentur inæqualiter per illam detentionem localem, aut objectivam: ergo, etc. *Major* constat, et eam aperte tradit S. Aug. 21. *De Civit.* c. 10. *Nequaquam*, inquit, *negandum est ipsum æternum ignem aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem: sive ipsius ardor pro pœna digna cujuscumque varietur, sive æqualiter ipse ardeat, se non æquali molestia sentiatur.* Deinde, si ignis tantum intelligibiliter suam impressionem in dæmones faciat, tantum abest, ut eos cruciet, imo ipsos delectat; illa namque impressio conveniens est potentiæ intellectivæ. *Denique*, si dæmon non nolit, vel non oderit sic detineri, aut ab objecto sic immutari, non tristabitur: sed in potestate ejus est non nolle: ergo in potestate ejus erit etiam non cruciari. *Adde* quod æque posset affligi in lapide, in Sole, vel in Cælo

Empyreo, si ab ipsis definitive detineretur, et mutaretur objective. — Respondet Doctor ad primum, negando *minorem*: et ad ejus probationem dicit, quod detentio formalis dæmonum ab igne est quidem æqualis, sed ipsorum nolle non est æquale: imo longe intensior est illa nolitio in his, qui magis peccaverunt, et ideo longe major est in eis tristitia. *Ad secundum* dicit, quod non sit in potestate dæmonum hanc nolitionem non habere; quippe illa continuatur per causam superiorem agentem, et eos ita perpetuo in igne alligantem, ac eorum intellectum in ignis consideratione detinentem. Unde sequitur, quod non possit aliquis dæmonum remissius aliquamdo nolle, quam modo nolit; quia sicut non est in potestate ejus actus, ita nec modus actus: et sicut causa superior uniformiter agit ad illud nolle producendum cum voluntate dæmonis, ita quod hæc non possit aliter operari; sic etiam uniformiter agit ad intensionem hujus nolle, ita quod non possit remissius aliquid nolle.

Quod si dixeris, inquit Doctor, quod prima illa apprehensio ignis ab intellectu dæmonis saltem in primo instanti causabat ipsi in eo delectationem. — Respondet, id dici non posse, quia eodem instanti quo intellectus dæmonis ignem apprehendit, concipit tristitiam vehementem, quæ omne gaudium non tantum contrarium, sed et omnino impertinens excludit.

Si urgeas, dicendo, quod causa delectationis est prior naturaliter quam causa tristitiæ. — Respondet, quod in habentibus tantum ordinem naturæ, et quæ simul tempore existunt, efficacius excludit minus efficax, licet efficacius sit posterius natura: *Nec mirum*, inquit, *quia impediens sive prohibens aliquando est posterius naturaliter; agens tamen primum impeditur per contra actionem ejus, si enim generatio unius est corruptio alterius.* Ita Doctor.

Instabis: Si tota dæmonum pœna in detentione tum formali, tum objectiva consisteret, sequeretur, quod dæmones ab inferno exeuntes, et per aëra aut terram volitantes, non torquerentur; siquidem ab ipso infernali igne nec formaliter, nec objective sic detinerentur: sed falsum consequens; ergo et antecedens. — Nego majorem, nam, ut inquit Rupertus lib. 4. *De victoria Verbi Dei*, quocumque se vertat diabolus, secum defert cruciativum ignem. *Sciendum*, inquit, *interea, quia quocumque se vertat, pœnam suam secum portat, et plaga ignis ignitorum lapidum, qua semel est fulminatus, intrinsecus in ipso perseverat. Hæc ejus pœna ex illis Domini dictis ad beatum Job., salvo sacratiore intellectu, valet intelligi: de ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ: de naribus ejus procedit fumus, seu tollæ succensæ: atque fervens halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egredietur.* Idipsum supra diserte explicabat S. Augustinus, lib. 21. *De Civit.* cap. 10. ubi cum dixisset, *Si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari;* concludit: *Adhærebunt ergo, si nulla sunt eis corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi.*

Hoc ipsum egregie explicat Beda in Comment. ad caput 3. Epistolæ Jacobi. *Ubicumque*, inquit, *vel in aëre volitant, vel in terris, aut*

sub terris vagantur, sive detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum; instar febricitantis, qui et si in lectis eburneis, et si in locis ponatur apricis, ferrorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest. Sic ergo dæmones, et si in templis colantur auratis, et si per aëra sua discurrant, igne semper ardent gehennali: et ex ipsa sua pœna commoniti, deceptis quoque hominibus fomitem vitiorum, unde et ipsi pereant, invidendo suggerunt.

Objicies autem contra primam partem, nempe, quod dæmones torqueantur igne reali, et corporeo; *Primo* quidem varios Scripturæ textus, quibus significatur ignem, quo dæmones cruciantur, non realiter et proprie, sed metaphorice esse accipiendum. Quod utique suadetur, primo ex illo *Luc.* 16. ubi Dives ille, qui dicebat *crucior in hac flamma*, postmodum dicitur elevasse oculos suos, et vidisse Abraham a longe, eique dixisse: *Mitte Lazarum, ut intingat digitum suum in aquam, et refrigeret linguam meam:* sed manifestum est, quod oculi, digitus, et lingua, nonnisi per metaphoram animabus tribuantur: ergo pari modo flamma illa, in qua cruciantur, etiam metaphorice debet accipi. *Secundo,* idem suadetur ex illo Job. 21. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius:* sed sive hæc intelligantur de frigore peccatorum hujus vitæ ad calorem pœnarum interni; sive de vicissitudine pœnarum in ipso inferno, semper illæ aquæ nivium metaphorice accipiuntur: ergo pari ratione ignis tantum est metaphorice dicendus. *Denique,* eo modo ignis damnatos torquere accipiendus est, quomodo vermes eos corrodentes: sed vermes in inferno sunt tantum metaphorice, nempe stimuli illi conscientiæ quibus pungitur, et veluti corroditur damnatorum animus: ergo, etc. *Major* patet, nam Scriptura sacra eodem modo de igne ac de vermibus loquitur; sic Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur:* quæ verba de pœnis damnatorum interpretatus est Christus Dominus dicens: *bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur:* pari ergo ratione ignis, et vermis sunt accipiendi, adeoque cum vermis tantum metaphorice usurpetur, etiam et ignis tantum metaphorice accipiendus est. — ✻ " Istam sententiam præ cæteris propugnavit Origenes, qui ignem illum æternum, in quem capitali Christi decreto impii mittendi sunt, nihil aliud esse ratus est, quam conscientiæ vermem. Consulatur caput 11. lib. 2. *De Princip.* quo id argumentum excussit: ibi, ait, revocatam divina virtute, et ob oculos impii positam peccatorum memoriam (juxta illud Rom. 2. 15. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die quum judicabit Deus occulta hominum*) mentem ejus stimulis pungere, ut sui ipsa sit accusatrix et testis eamque adeo flammis ultricibus urere: ignis hujus escam esse admissas ante noxas, quas idcirco Apostolus ligna, fœnum et stipulam nominavit; hinc scriptum est apud Isaïam 50. 11.: *Ambulate in lumine ignis vestri et flamma quam accendistis. Per quos sermones,* inquit, *hoc videtur indicari, peccator ut flammam sibi ipse proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem qui ante fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit demergetur.* Quærit deinde, an præter illos, vel iræ, vel furoris, vel insaniæ, vel mœroris ignes, quibus impii cum in hac vita torti fuerint,

in futura quoque torquebuntur, aliqua generali pœna post mortem puniendi sunt. Deinde dicit eo cruciatu affectum iri animam, ab ordine atque harmonia, ad quam fuerat Deo condita, divulsam, quo afficitur corpus cum membra soluta compage distrahuntur: *Quæ*, inquit, *animæ dissolutio atque divulsio cum adhibiti ignis ratione fuerit explorata, sine dubio ad firmiorem sui compagem instaurationemque solidatur.* Ejusdem sententiæ fuit etiam S. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 11: *Ergo*, inquit, *neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis; sed hæc ideo quia sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam contrahat reterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio et suis vermibus consumetur.* — Hieronymus doctrinæ huic alias satis infensus, in eam tamen benigne se gerit sub finem lib. 18. *Comment. in Isaïam: Vermis autem qui non morietur, et ignis qui non extinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, quare vitio suo atque peccato caruerint electorum bona.* Et paulo post: *Si quis igitur habeat in conscientia sua zizania, quæ inimicus homo dormiente patre familias superseminavit, hæc ignis exuret, hæc vorabit incendium.* Minime quidem fidem his a se adjungi testatur; sed nec ea sibi improbari significat; nec sub aliena, nec sub sua ipsius persona proponit. — Corporeum etiam infernum negat Gregorius Nyssenus lib. *De anima et resurrectione.* — Similiter Joannes Damascenus lib. 4. *De orthodoxa fide ignem æternum materia constare inficiatur.* Theophilactus pariter in 9. cap. Marci, ignem et vermem infernalem in scelerum memoria constituit. *Vermis autem*, inquit, *et ignis qui puniunt peccatores, conscientia est uniuscujusque et memoria turpium in hac vita gestorum; quæ sicut vermis absumit et sicut ignis urit.* " * — **Nego has omnes consequentias**; *et ad primum textum* dico, quod quamvis in ea Divitis narratione, sive historica, sive parabolica, plura sint metaphorice accipienda, tamen non constat, quod ignis ibi commemoratus sit etiam metaphorice accipiendus: cum aliunde constet Scripturam sacram constanter asserere ignem esse in inferno, sufficienterque etiam pateat, nonnisi metaphorice oculos, manus, et linguam separatis animabus posse tribui: unde non idem de flamma in qua cruciabatur dives ille, ac de cæteris ferendum est judicium. *Ad secundum* autem dico, dubium esse an sicut ignis, ita et nix aut aqua frigida torquens sit in inferno: sunt enim plurimi Auctores, qui putant utrumque revera in inferno existere, ut ex alternante frigoris, et caloris cruciatu acerbius damnati torqueantur, ut in primis docet S. Hieronymus in *caput* 10. *Matthæi* ex prætatis verbis *Job.*, ubi explicando nomen gehennæ, concludit: *Duplicem autem esse gehennam, nimii ignis, et frigoris in Job plenissime legitur.* Et in illud Matthæi 22. *Ibi erit fletus, et stridor dentium*, addit: *Ut stridor dentium de rigore frigoris oriatur.* Idem sentiunt Beda in dictum locum *Job.*, et Hugo Victorinus *lib.* 4. *De anima cap.* 13. — *Nihilominus* prætata sententia prorsus est incerta, imo minus videtur in Scriptura fundata; tum quia Christus Dominus pœnam ignis perpetuam, et irremissibilem, et quasi unicam expresse comminatur: de alia vero pœna

nivium, et aquarum, ne verbum quidem dicit. Tum quia si pœna frigoris esset in inferno, Dives ille non postulasset guttam aquæ, quæ cruciatum ignis mitigaret, siquidem pœnam aquæ seu frigoris sustinens, expertus fuisset ex ea nullum refrigerium posse accipi. Tum quia *Zachariæ* 9. dicitur, *Eduxisti eos de lacu in quo non erat aqua;* nam lacus ille locus est inferni, qui carere aqua dicitur, et consequenter nive, ac grandine. Tum denique quia præfatus ille Jobi contextus alium potest habere sensum: nam S. Gregorius *lib.* 16. *Mor. cap.* 27. per aquas nivium, et calorem nimium, non pœnas, sed culpas præsentis vitæ intelligit, quia peccatores de quibusdam vitiis ad alia extreme contraria feruntur, ut ab infidelitate gentium ad errores hæreticorum, vel a frigore avaritiæ circa subsidium pauperum ad nimium calorem prodigalitatis in vanos, vel luxuriosos sumptus. Potest etiam dici quod illis verbis Job pœnas hujus vitæ imprecetur peccatori; nam versu proxime præcedenti, de peccatore dixerat: *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum:* quibus verbis imprecatur sterilitatem terræ, et carentiam omnis solatii ac refrigerii; unde cum statim adjungat: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, significat se optare, ut peccator non inveniat in hac vita refrigerium, sed ab una miseria ad alteram extremam transeat. Vel etiam posset ita exponi, ut ab aquis nivium peccatorum ad nimium calorem futurum in inferno transeat. — *Ad tertium* autem respondeo, non idem dicendum de vermibus ac de igne; tum quia Christus singulariter, et quasi per antonomasiam de igne dixit: *qui paratus est diabolo, et Angelis ejus;* tum quia de ignis veritate, et proprietate est communis sanctorum Patrum sententia. Tum denique quia sufficienter apparet, quod vermes non possint rodere spiritum, nec ejus substantiam laniare; quia ille dolor non causatur a vivente, nisi per actionem vitalem ipsius vermis, qui aliquid de substantia alterius subtrahit, cujus substractionis, et quasi divisionis non est capax substantia spiritualis, et consequenter repugnat vermem talem actionem circa spiritum exercere. Et in hoc est magnum discrimen inter ignem, et vermem; quia ignis agit actione mere extrinseca, et immittendo qualitates, vel aliquid ejusmodi; non subtrahendo nec dividendo substantiam; et ideo non est necessaria metaphora, quæ in verme respectu dæmonis, vel animæ separatæ necessaria est. — *Non abnuo* tamen revera in inferno materiales ac viventes esse illos vermes voraces, qui hominum damnatorum corpora perpetuo corrodant: sic enim ad litteram interpretamur illud Isaiæ dictum *cap.* 66. ubi cum Deus dixisset: *Videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me*, statim subdit: *Vermis eorum non moritur*, quasi diceret, vermes victuros semper, et insatiabili morsu damnatorum cadavera corrosuros. Similia sunt illa verba Judith 16. *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum.* Unde S. Maximus *Epistola ad Cubicularium de reprobis ait*, quod *homines ad sinistram locati ignem æternum sortientur, ac tenebras exteriores ac vigilem vermem, et stridorem dentium.*

Dices 2: Sanctus Aug. *lib.* 22. *De Civit. Dei cap.* 10. inducens pro veritate ignis inferni verba illa Divitis, *crucior in hac flamma*, ait: *Dicerem utique flammam illam esse corpoream, nisi congruenter responderi posset, talem esse illam flammam, quales oculi, qualis lingua,*

qualis digitus, ubi erant sine corporibus animæ. Unde concludit: *Sic ergo incorporalis est illa flamma qua exarsit, et illa guttula quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in extasi cernentium res incorporales habentes tamen similitudinem corporum.* Ergo censet S. Augustinus ignem illum non esse revera corporeum. — **Nego consequentiam**; præfatis enim in objectione verbis, dubius quidem videtur; nihilominus statim suam mentem aperiens ait: *At vero gehenna illa, quod etiam* Stagnum ignis, et fulguris *dictum est, Apoc.* 20. *corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, aut hominum, et dæmonum; solida hominum, aërea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus; dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus: unus quippe utriusque ignis erit, sicut veritas dixit.* Adde quod quamquam S. Augustinus hic anceps videretur, alibi tamen constanter affirmat ignem gehennæ esse corporeum, maxime vero *serm.* 181. *de tempore etc.*

Dices 3: Ignis corporeus vel nullo modo, vel nonnisi maximo miraculo potest spiritus cruciare: sed miracula non sunt affirmanda nisi vel evidenter pateant in Scriptura, vel aliunde certo constent: aperte autem non constat, nec ex Scriptura, nec aliunde, ignem illum esse corporeum: ergo talis non est affirmandus. — **Respondeo**, concessa *majore*, negando *minorem:* ad id enim affirmandum, videlicet ignem inferni esse corporeum, nos inducit non solum divina Scripturæ sacræ auctoritas, per Ecclesiam, ejusque Doctores sufficienter proposita, sed etiam sanctorum Patrum, ac communis Theologorum sententia, qua constat ignem inferni revera corporeum esse, et dæmones, licet omnino spirituales, illo vere ac realiter cruciari, vel physice, ut volunt Thomistæ, vel quod verius apparet, solum intentionaliter, ut supra cum Doctore Subtili docuimus.

Conclusio tertia. — Dæmonum supplicia nullum unquam finem habebunt. Hæc est de fide, et evidenter

Colligitur ex Scriptura sacra, quæ quoties damnatorum pœnas commemorat, toties illas æternas fore significat. Sic Matth. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.* Et infra subdit: *Ibunt hi in supplicium æternum, isti autem in vitam æternam.* Sic Danielis 12. cap. *Et multi,* inquit, *qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Innumeri sunt ejusmodi textus, qui damnatorum pœnas æternas, sicut et beatorum perpetuam felicitatem declarant. — Nec valet dicere ignem fore æternum, non vero combustionem æternam, inquit S. Aug. lib. *De fide* cap. 15. *Neque illud dici hic potest, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem: ut videlicet ipse ignis æternus sit; combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna: Cum, et hoc prævidens Dominus sententiam suam conclusit ita dicens:* sic ibunt illi in combustionem æternam: justi autem in vitam æternam: erit ergo æterna combustio sicut ignis.

Hinc S. Fulgentius lib. *De fide* ad Petrum cap. 43. *Firmissime*, inquit, *tene, et nullatenus dubites, ex ore Dei justi æternique judicis sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem æternam; justos autem in vitam æternam: iniquos semper arsuros cum diabolo; justos autem regnaturos sine fine cum Christo.* Eadem est cæterorum SS. PP. de perpetuitate pœnarum sententia. Sic Irenæus lib. 4. cap. 67. *Quibuscumque*, inquit, *dixerit Dominus:* Discedite a me maledicti in ignem æternum, *isti erunt semper damnati: et quibuscumque dixerit:* Venite benedicti patris mei, percipite hæreditatem regni, quod præparatum est vobis in sempiternum, *hi semper percipient regnum, et in eo proficient semper.* — Sic S. Clemens Romanus a S. Damasceno citatus *in Eglogis, impiorum animarum* sempiternas pœnas ita prædicat: *Immortales*, inquit, *omnes animæ sunt, et impiorum, quibus melius foret non incorruptibiles esse. Nam pœna sempiterna ab inextinguibili igne punitæ, neque morientes, magno suo malo nullum finem obtinere possunt.* Eamdem veritatem diserte explicat S. Hilarius Canone 5. in Matth.: *Igitur*, inquit, *requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur; sed corporalis, et ipsis æternitas destinabitur ut ignis æterni sit in ipsis æterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur Gentibus, idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis, ut mox igni judicii destinentur: quam profanum est Sanctos de gloria æternitatis abigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad pœnam?* — Interorum autem cruciatus tam in puniendo diabolo, et dæmonibus, quam hominibus, sempiternos fore, eleganter testatur Minutius Fœlix his verbis: *Nec tormentis, aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit, et reficit, carpit, et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt: sicut ignes Ætnæ, et Vesuvii montis, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur; ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.*

Dices: Non videtur justum, ut pro peccatis quantumlibet magnis parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna; gravitas enim supplicii peccatorum gravitati respondere debet: sed peccatum temporaneum fuit, imo et momentaneum: ergo non perpetua debet esse illius pœna. — **Nego majorem**; nam, inquit, S. Aug. lib. 21. *De Civit. Dei: nulla umquam justitia nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora unde puniretur admisit. Octo*, inquit, *genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius*, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. *Quid horum est, quod in brevi tempus pro cujusque peccati celeritate coaretetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi forte talio? id enim agit, ut hoc patiatur quisque, quod fecit. Unde illud est legis:* oculum pro oculo, dentem pro dente. *Fieri enim potest, ut tam brevi tempore quisque amittat oculum severitate vindictæ, quam tulit ipse alteri improbitate peccati. Porro autem si alienæ fœminæ osculum infixum rationis sit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, et suavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? numquid ibi tamdiu quisque judicandus est esse debere,*

quamdiu fecit unde meruit alligari, cum justissime annosas pœnas servus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrime transeunte, vel lacessivit dominum vel plagavit? Jam vero damnum, ignominia, exilium, et servitus cum plerumque sic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum; et tamen peccata quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam extitit qui censuerit tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis, et impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora qua occiditur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æstimant: et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium. Quod est autem de ista civitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis ut in eam quisque revocetur occisus; si nec in illius, ut in vitam revocetur æternam, secunda morte damnatus. Quomodo ergo verum est, inquiunt, quod ait Christus vester: in qua mensura mensi fueritis in ea remetietur vobis, *si temporale peccatum supplicio punitur æterno? Nec attendunt non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, idest, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eamdem dictam fuisse mensuram: quamvis hoc in ea re proprie possit accipi, de qua Dominus cum hoc diceret loquebatur, idest de judiciis, et condemnationibus. Proinde qui judicat, et condemnat injuste, si judicatur, et condemnatur juste, in eadem mensura recipit, quamvis non hoc, quod dedit. Judicio enim fecit, judicio patitur: quamvis fecerit damnatione quod iniquum est, patitur damnatione quod justum est.* — Hanc eamdem veritatem diserte tradit sanctus Gregor. lib. 34. *Mor.* cap. 16. *At inquiunt,* ait, *sine fine non debet puniri culpa cum fine: justus nimirum est omnipotens Deus, et quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus respondemus, quod recte dicerent, si judex justus, districtusque veniens non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tum cum fine deliquerunt, qui cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere, nam magis appetunt peccare quam vivere, et ideo hic semper vivere cupiunt, ut numquam desinant peccare cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit noluit habere terminum criminis.* Licet autem hæc verba de solis damnatis hominibus intelligantur; nihilominus etiam dæmonibus miseris aptari possunt, quippe quamdiu steterunt in via ita pertinaciter peccato adhæserunt, ut ab eo resilire noluerint, et in ea prava ac perduelli voluntate perpetuo stetissent, si perpetuus eorum viæ status fuisset.

✻ " Inde mirum videri non debet quod Ecclesiæ Patres constantissime improbaverint ludicrum illud Origenis commentum de finiendis aliquando damnatorum pœnis et futura reproborum omnium restitu-

tione. Non alias enim admisit Origenes in altero sæculo peccatorum pœnas quam piaculares et temporarias, cujusmodi sunt purgatoriæ illæ quas Ecclesia Catholica agnoscit: sic lib. 3. Periarchon seu *De principiis*, c. 6. exponens illud S. Pauli 1. Cor. cap. 15. v. 26: *Novissima autem inimica destruetur mors*, per mortem diabolum significari existimat, quem ita destructum iri putat quatenus impia ejus et a Deo aversa voluntas expugnabitur et ad Deum ipsum religioso cultu convertetur. *Propterea*, inquit, *etiam novissimus inimicus, id est diabolus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quæ a Deo facta est, pereat: sed ut propositum et voluntas inimica quæ non a Deo, sed ab ipso processit, intereat.* Ubi cum ait aversam a Deo dæmonis voluntatem aliquando fore ad ipsum convertendam, satis significat eos aliquando futuros felices et æterna beatitudine donandos. — Mentem suam hac de re clarius adhuc explicat lib. 1. c. 6. ubi ait: *Jam vero si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiæ ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris sæculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii. An vero permanens et inveterata malitia velut in naturam quamdam ex consuetudine convertatur, etiam tu qui legis probato, si omnimode neque in his quæ videntur temporalibus sæculis, neque in his quæ non videntur, et æterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali unitate atque convenientia discrepabit.* Duo potissimum sunt quæ Origenem hunc in errorem induxerunt, ut apposite observat Clariss. Huetius lib. 2. *Origenianorum*, quæst. 11. Primum quidem perversa quorumdam Scripturæ sacræ expositio. Nam præter jam commemorata, sic interpretatur illud Isaïæ XXIV, 22: *Et claudentur ibi carcere, et post multos dies visitabuntur.* Et hoc Joan. X. 16: *Fiet unum ovile et unus pastor*, quod ipse in dogmatis sui fulcimentum usurpat fine homil. 6. in Num. Item illud e parabola, quam proponit Christus Matth. XVIII. 13. cum servum nequam iratus Dominus jussit tortoribus tradi, quoad debitum integrum refunderet. Unde Origenes homil. 35. in Luc: *Quæ est lex carceris istius* (interni) *Non egredior ex eo, neque me exactor patitur exire, nisi debitum omne persolvero.* Fraudi ei fuit perperam acceptum et illud Apostoli, Rom. XI, 25. 26: *Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret.* Piaculares autem, quas dixi, et purgatorias pœnas his defendit verbis ex 1. Cor. 12. in quibus uniuscujusque opus igne examinatum iri Paulus affirmat. Aliis quibusdam opinionis hujus propugnaculis uti solere Origenistas tradit Hieronymus ad calcem Commentariorum in Isaïam; hoc nimirum Pauli Rom. 11. 32: *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur;* et illo Mich. 7. 9: *Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei: donec justificet causam meam, et auferat judicium meum, et educat me in lucem:* et hoc etiam Isaïæ 12. 1: *Benedicam te Domine quoniam iratus es mihi; avertisti faciem tuam a me, et misertus es mei.* Necnon et isto Oseæ 11. 5.: *Cum ira furoris mei transierit, rursum sanabo;* atque itidem illo Ps. 30. 20: *Quam grandis multitudo bonitatis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* — Alterum hujus erroris detegit et

aperit ibidem Huetius, nimirum Origenis erga Platonicorum dogmata vehementius studium. Censuit enim Plato in *Phædone* mortuos ab eo dæmone qui viventibus ipsis obtigerat, deduci ad inferos, et post longa deinde temporis spatia, ab alio duce inde revocari. Repetit idipsum in *Gorgia* et lib. 10. *De Repub.*, et in *Timæo*, ubi animam quæ recte hic se gesserit, sideris in numerum referri asserit; quæ vero male in muliebre corpus dimitti; utrique vero post mille annorum curriculum novæ vitæ optionem dari; et quæ novis sese contaminaverit vitiis, in pecudum corpora relegatum iri. Itaque mirum videri non debet quod Origenes Platonis doctrinæ plusquam par erat addictus, hunc ab eo errorem hauserit.

Illam vero erroneam Origenis sententiam damnarunt sancti Patres, imprimis vero S. Epiphanius in epist. ad Joannem Hierosolymitanum, cap. 3. et lib. 2. *Panarii*, c. 18. Exprobrat etiam Theophilus, Oratione 2. *De Paschate* his verbis: *Talis pastor gregis morbidi Christum ubique suggillat injuriis, et diabolum honore sustollit, dum asserit illum purgatum vitiis atque peccatis pristinam aliquando gloriam recepturum: et hunc (Christum) regnare desistere, simulque cum diabolo sub Patris imperio redigendum.* Suggillat acriter etiam S. Hieronymus pluribus, præsertim epist. ad Pamachium, c. 3., et ad Oceanum, c. 2., ubi ait Origenem sensisse *post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod diabolum: Paulum, quod Caipham: virgines, quod prostibulas.* Videndus etiam epist. 75. ad Vigilantium, et lib. 1. adversus Pelagianos, c. 9. atque etiam in Commentariis ad cap. 11. et 27. Isaïæ, et ad 3. Danielis, præsertim vero ad 3. Jonæ, ubi acerrime adversus hanc doctrinam sic invehitur: *Alioquin si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, et vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur, et longo post circuitu atque in infinitis sæculis, omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium; quæ distantia erit inter Virginem et prostibulum? quæ differentia erit inter Matrem Domini, et (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idemne apostoli et dæmones? Idemne prophetæ et pseudo-prophetæ? Idemne martyres et persecutores? Finge quælibet, annos et tempora duplica, et infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est; præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus quod aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* — Audiendus etiam S. Augustinus adversus eumdem errorem vehementer declamans lib. 2. *De Civit.* cap. 17. et 23. ubi idem dogma excutiens scribit ejus causa merito reprobatum fuisse ab Ecclesia, unde lib. *De hæresibus*, num. 43. cum aliqua alia Origenis commenta utcumque defendi posse scripsisset, istud, de quo agimus, frustra ab ejus defensoribus excusari fatetur. *Quis enim catholicus christianus*, inquit, *vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum, idest, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus, et sacrilegiis atque impietatibus, quamlibet maximis finierunt; ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo purgatos atque liberatos, regno Dei, lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala*

denuo relabi et reverti, et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationabiles creaturæ semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus Philosophos, a quibus ista didicit Origenes in libro De Civitate Dei diligentissime disputari. — His accensendi Justinianus, Epist. *ad Mendam.* 5. Synodus, ut refert Photius in libello de synodis; Gregorius Magnus lib. 34. *Moral.* c. 29. secundum cap. primi Regum, ubi hoc Origenistarum deliramentum prolixe arguit. Mitto cæteros recentiores Scriptores ecclesiasticos qui idem commentum insectantur. " ✳

APPENDIX

DE INFESTATIONE, ET CRUENTA DÆMONUM IN HUMANUM GENUS SÆVITIA.

Quanta sit, quamque dira dæmonum in homines infestatio, et sævitia, nec mens quantumvis perspicax, nec lingua etiam disertissima, cogitare aut eloqui sufficit. Nam inquit Tertullianus *Apologetico* cap. 22. *Operatio eorum est hominis eversio: sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominum exitium. Itaque corporibus quidem, et valetudines infligunt, et aliquos casus acerbos: animæ vero repentinos, et extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam subtilitas, et tenuitas sua: multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles, et insensibiles in effectu potius, quam in actu suo appareant: Si poma, fruges, nescio quod ore latens vitium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate convulnerat, ac si cæca ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit. Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio dæmonum, et Angelorum, mentis quoque corruptelas agit furoribus, et amentiis fœdis, aut sævis libidinibus cum erroribus variis: quorum iste potissimus, quod eos ipsos captis, et circumscriptis hominum mentibus comedat, ut, sibi pabula propria nidoris, et sanguinis procuret simulacris, imaginibus oblata: et quæ illi accuratior pascua est, hominem a cogitatu veræ Divinitatis avertat præstigiis falsis.* — Hinc egregie sanctus Chrysolog. serm. 11. *Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus: ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes, odia, vitia dat amoris, errores serit, discordias parit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit unitatem, sapit malum satis, bonum nihil, violat divina, humana tentat.* Et serm. 16. expendens illa verba Matth. 8. *Occurrunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes,* ait: *In monumentis sedem fecerant mortis auctores, attendite quæ sævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus? quamvis brevc tempus hominem ferre non possunt, contenti non sunt mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire: se sepulchris mandant, ut homines redigant in sepulchra: pascuntur cadaveribus, putredine saginantur: deliciantur fœtore, quibus tota voluptas est homines interire: sed sentiamus quid machinantur fraudibus, quid moliantur malis, quorum crudelitas modum non habet in aperto. Prorsus ita est, nullæ namque sunt induciæ, pax nulla:*

ubi nec odii, nec invidiæ modus, aut finis ullus. Hostium Dei superbia ascendit semper; *augetur malitia, crudelitas invalescit: amat sibi tribulos metere, dum nobis spinas ferat: gaudet suas augere pœnas, et supplicia propria exacerbare, dummodo in cruciatus æterni partem quam plurimos asciscat, et divinæ huic illudens imagini pretioso Christi sanguine dealbatam decoloret, assertamque in libertatem, pristinæ mancipet servituti; et Cadmei a plane victoria prodat pereundò, perque latus hostile in suamet ferrum viscera convertat.* — Nam inquit idem sanctus Chrys. serm. 17. *Diaboli culpa hominis redundabat ad pœnam; et prædæ miseriis prædo saginabatur inclusus: nec facientem, sed patientem miserabilis exponit invidia; mille nocendi artes habet, innumeris utitur telis, nihil sinit inausum, nihil intentatum relinquit, videt animum imbecillem, pavidumque, circuit ut leo, ac vim intentat; novit imperterritum constantemque, vulpem induit, exuvias ponit leoninas: Heu quam multi partes vulpium sunt, et fuere? Quot luctator dolosus pellaciis, et technis irretitos supplantavit?* ✳ " Præcipuum autem dæmonis in hominum vexatione propositum generatim est duplex; nimirum ut Deum hominibus efficiat infensum eumque apud homines calumnietur, et homines apud Deum. Suggillat enim providentiam Dei et regimen mundi quasi non bene ordinatum, nec justis legibus decurrens; utpote cum plerumque malis bene sit, et male bonis: judicium sæpe recedere a justitia, et omnia casui et cæcæ fortunæ permissa. Neque minori studio, diligentia et astu id agit ut homines pios et fideles accuset apud Deum. Nulla enim est tam firma cujusque fides, quam non traducat, et de præsumptione vel hypocrisi, vel inconstantia suspectam reddat; nulla pietas, quam non ut mercenariam; et non veris causis subnixam cavilletur, ut exemplo Jobi fit manifestum. Præcipuæ autem ejus artes se produnt circa Ecclesiam, cujus fidei, doctrinæ, et morum integritatem, ut ferre non potest, ita turbare ac pessumdare nititur; hinc lucem vocat tenebras, et tenebras lucem; errorem ut veritatem traducit, veritatem autem ut errorem plerumque suggillat, transfigurans se in Angelum lucis, ut pravis dogmatibus evangelicæ veritatis et doctrinæ puritatem pessumdet. Est enim ille inimicus homo qui disseminato catholicæ doctrinæ purissimo tritico superseminat zizania. Estque omnium scandalorum, schismatum, et hæresum auctor, promotor et flabellum, nihilque non molitur ut hominibus salutis viam præcludat. — Neque his contentus, tamquam leo rugiens continuo circuit quærens quem devoret. Tribus autem potissimum dolis et technis homines illaqueare nititur. " ✳ Eos enim impetit vel spectris horrendis ut terreat, aut blandis ut alliciat, vel furore agitat eorum obtinens et possidens corpora, ut suam in eis sævitiam ostendat, vel denique ludificationibus dementat, ut sibi obsequentes et in omnibus devotos constituat: quocirca de tribus his dæmonum infestationibus nonnulla sunt hic delibanda sub tribus sequentibus Paragraphis.

§. 1. — **De variis Apparitionibus, et Spectris.** — Duo sunt apparitionum, necnon illusionum genera, quibus solito circumveniuntur ac luduntur homines; aliud quidem *naturale;* aliud vero *dæmoniacum*. Naturale appello illos omnes insolitos naturæ de-

viantis aut maleficiatæ effectus, quibus plerumque terrentur homines, eosque pro spectris habent.

Quæ sit naturalium Spectrorum causa? — *Respondeo* eam maxime adscribendam sensuum alterationi; siquidem sensuum alteratio plerumque in causa est cur homines varia ac stupenda sese percipere arbitrentur, ut constat maxime exemplo ebriorum, de quibus optime sanctus Ambrosius lib. *De Elia et jejunio*, cap. 16. *Hinc*, ait, *vanæ imagines ebrii, incerti visus, instabilis gressus, umbras transiliunt sæpe sicut foveas, nutat his cum facie terra, subito erigi, et inclinari videtur, et quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, et solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi: murmur in auribus, tamquam maris fluctuantis fragor, et resonantia fluctu littora: Canes si viderint, leones arbitrantur, et fugiunt. Alii risu solvuntur incondito, alii inconsolabili mœrore deplorant: alii cernunt irrationabiles pavores, vigilantes somniant, dormientes litigant etc.* — Contingit etiam interdum sensuum externorum læsione ut res aliter quam revera sint appareant. Sic refert Aristot. de quodam qui suammet imaginem, sive simulacrum, in aëre sibi quasi in speculo propter oculorum vitium semper obversari existimabat. Idem testatur, cum qui diu in Solem oculos intenderit, et oculo alio celeriter averterit primo ei cuncta iri visu gibra, mox rubea, et tandem nigra, donec alteratio illa visus recedat. *Auditus* etiam læsus decipere consuevit, ut fit in his qui morbum imaginosum (sic vocant) patiuntur. Sic Cellius *lib.* 3. *cap.* 18. refert, quod Theophilus Medicus cætero prudens, opinabatur cum febriret, prope lectulum tibicines, et cornicines assistere, et continue auribus ejus cantum insonare: idque jam sanus accidisse sibi pertinaciter contendebat, sed huic ista tædio erant, alteri quidam voluptati. — Verum crebrior, et major deceptio manat a *phantasiæ* corruptela, vel inordinata, et prava affectione, et agitatione, cujus rei exempla, et rationes subjicit Guillelmus Parisiensis 2. *partis De Univers. parte* 2. *cap.* 35. Exempla quidem, idque ex somniantibus febricitantibus, et melancholicis: « Somniantes enim, inquit, « indubitanter se credunt aliquando videre, et contrectare poma aurea, et massas argenteas. Disputant etiam interdum apud semetipsos, an veritas sit, an somnium, quod apud eos sic agitur. Tibi « vero non est dubium veritatem pomorum aureorum, aut massarum « argentearum non esse apud ipsos. Ipsi tamen si interrogari tunc « possent, et respondere durante somnio, cum juramento affirmarent « rerum istarum veritatem se certissime et videre, et contrectare. — « Secundum exemplum ponam tibi in febricitantibus qui patiuntur « alienationes etiam vigilantes, et dicunt se videre latrones, vel alios « homines, qui quærunt eos occidere, et clamant contra eos, et invocant auxilia circumstantium, et nituntur exurgere de lectis suis « ut effugiant eos, quos dicunt se videre. Videtur eis etiam, quod intrent per fenestras adeo parvas, per quas nullo modo intrare possent. In hoc exemplo manifestum est tibi, neque apud febricitantem, hoc est neque in interioribus suis esse hujusmodi homines: « neque etiam in domo ubi dicunt se videre illos, sic etiam nonnumquam ut idipsum patiantur de mortuis. Manifestum igitur est solas « imaginationes, seu phantasmata, quæ sunt apud animam febrici-

« tantis, sufficerè per se ad apparitionem, sive ostensionem hominum « hujusmodi, et non oportere ullo modo ut assumantur corpora ipso- « rum, vel alia corpora illis similia a quoquam vel a quibuscumque. — « Tertium exemplum ponam tibi in melancholicis quibusdam, qui « videntur sibi videre multitudines hominum armatorum, et qui ascen- « dant muros civitatum, in quibus sunt, vel ingrediantur portas ipsa- « rum, et quod capiant eas. Unde et ipsimet, timentes ab eis capi, ex- « clamant terribiliter, et cum tremore fugientes quocumque, et qua- « cumque possint. Nec potest eis suaderi ullo modo contrarium: pro- « pter quod non potest cessare in eis timor, nec tremor, neque etiam « clamor, neque fuga, nisi teneantur. Memini me vidisse virum bo- « num et religiosum, qui cum mihi exponeret et narraret ægritudi- « nem quam patiebatur, etiam in ipsa narratione hujusmodi videbatur « sibi videre mures magnos, et nigros, tentantes ascendere desuper « vestimenta sua ad caput suum, non cessabat passio hæc in ipso, « propter quod erat in horrore et timore continuo. — Nec mirum est, « si de rebus quæ extra nos sunt nobis illuditur, quippe cum de nobis « ipsis in incredibiliores opiniones, et apparitiones hujusmodi phanta- « smata nos inducant. Fuit namque tempore meo vir qui credebat se « esse gallum, adeo pertinaci credulitate, quod ab ipsa nullo modo « poterat averti. Et ad hoc etiam deductus erat, quod loquela humana « nullatenus uti volebat, galli vocem tantum pro viribus effigiabat. « Fuit et alius qui mortuum se indissuasibiliter credebat, et propter « hoc inter homines, vel cum hominibus viventibus, se nec debere, « nec posse comedere ullatenus delirabat, donec quidam alius simu- « lans se similiter mortuum, suggessit ei quia cum eo et poterat, et « debebat comedere, cum esset mortuus, sicut et ipse, cum viventibus « neuter eorum. Potuisti quoque audire, et scire, si reminiscaris de « quodam, qui semper putabat se videre aquam magnam ante se, et « propter hoc nec passum unum volebat ambulare, hujusmodi phan- « tasia deterritus ».

Hæ autem omnes læsæ facultatis imaginativæ illusiones sunt in duplici differentia, quoniam, *ut subdit idem Guillelmus*, vel *fixæ* sunt, vel *mobiles* ad instar somniorum: et mobiles quidem sunt quæ fiunt ex fumis, sive vaporibus ascendentibus ad cerebrum, et in eodem infectionem non imprimentibus, atque relinquentibus, sed potius facile recedentibus; propter quod et cum ipso somno velut evanescentes excutiuntur, et de ipsis infectionibus relictis, aliæ facile abolentur, propter quod ipsa ægritudine cessante, et humore purgato, ex quo erant, non faciunt amplius aliena vel videre, vel loqui, quod ante faciebant. *Aliæ* vero sunt intimioris infectionis, atque tenacioris, magisque adhærentis, et ideo difficile curantur, et faciunt, ut quis videatur sibi rex esse, ut vidi patientem qui putabat se esse avem, quocumque vellet volantem, et interdum putabat se esse Filium Dei, interdum vero Spiritum sanctum, quandoque vero Messiam Judæorum, quem et adhuc expectant, ipsumque gens Christianorum nominat Antichristum, et hoc ipsum ipse aperte dicebat, videlicet, quod ipsemet erat Antichristus. Cum ipso morbo interdum immiscet se suggestio diabolica, quam gens Christianorum vocat spiritum blasphemiæ; et est passio perniciosissima, quoniam intolerabilis et horrificæ vexationis est, et sola virtute divina

curabilis: fit ex morbo interdum, ut aliquis videatur sibi esse lupus, et fit nihilominus ex suggestione diabolica.

De spectris dæmoniacis. — Quamquam, ut supra diximus, variæ hominum delusiones plerumque a male affectis eorum sensibus, necnon et interturbata phantasiæ operatione suboriantur; nihilominus certum est diabolum hisce naturalibus morbis sæpe se adjungere, et de hominum proclivitate ac infirmitate in eorum infestationem abuti: *Nam,* inquit S. Aug. lib. 18. quæstionum, *serpit hoc malum diaboli per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus, et quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ: aliquando cruditeliter torquens dolore ac metu: aliquando jocose distrahens vel subsannans ludicris.* Ut autem varias dæmonum infestationes, et apparitiones ordine quodam recensere valeamus,

Observandum est dæmones alios dici *aëreos*, nonnullos *aqueos*, aliquos *terrestres*, alios vero *subterraneos*, ut post Orpheum notat Psellus, *lib. De Dæmonum natura. Aërei* dicuntur qui, inquit Trithemius libro *Quæstionum ad Maximilianum* qu. 5., Deo permittente per aërem volitantes, aërem sæpius turbant, tonitrua et tempestates concitant, et omnes simul in perniciem humani generis conspirant; variasque interdum induunt formas, easque sæpius mutant secundum varietatem affectionum, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus evocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum. Habent enim violentum omnino, et furiosum morem turbationibus plenum: unde vehementer maleiacti, et perturbati repentinas plurimum machinantur insidias, et dum suas agunt incursiones, partim latere volunt, partim interunt violentiam. Maleficæ horum dæmonum operatione suffultæ, tanto sunt ad maleficandum potentiores, quanto superiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint assecutæ. Hæc omnia vero crediderim. In vita S. Antonii. S. Athanasius aërem plenum esse dixit dæmonibus: quod Mercurius antedixerat ter maximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum præsentia destitutam. Hæc Trithemius, cujus ultima verba de subluнari mundo intelligenda, alioquin falsum esse docet S. August. *cap.* 3. *De Agone Christiano:* et sic accipe quod subdit: *Sanctus quoque præsul Ambrosius dixit: Plenus est mundus sanctorum virtutum, quia est plenus nequitiarum.*

Secundum genus dicitur *dæmonum terrestrium*, quorum, inquit idem Trithemius, alii versantur in sylvis atque nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias; alii vero putidis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes; nonnulli demorantur in locis abditis, atque cavernis; reliqui ceteris minus furiosi ac perturbati, cum hominibus in obscuro commorari delectantur. Hi autem variis antiquitus donati fuerunt nominibus: quorum nomina refert, et describit Saxo Grammaticus lib. 1. *Saxonicæ historiæ*, ubi inter alia hæc habet:

Trux Lemurum *chorus adducitur præcepsque per auras.*
Cursitat, et vastos edit ad astra sonos,
Accedunt Fauni Satyris, Panumque *caterva*
Manibus admixta militat ore fero;
Sylvanis *coëunt* Aquili, Larvæque *nocentes,*
Cum Lamiis *callem participare student.*

Saltu librantur Furiæ, *glomerantur iisdem*
Larvæ *quas* Simis Fantua *juncta premit.*

Has autem varias dæmonum infestationes et apparitiones, diserte explicat Guillelmus Parisiensis *ultima parte De Universo cap.* 24. ubi ait: « sunt et aliæ ludificationes malignorum Spirituum, quas fa-
« ciunt interdum in nemoribus, et locis amœnis, et frondosis arbori-
« bus; ubi apparent in similitudine puellarum, aut matronarum or-
« natu muliebri, et candido: interdum etiam in stabulis cum lumina-
« ribus cereis, ex quibus apparent distillationes in comis, et collis
« equorum, et comæ eorum diligenter tricatæ, et audies eos, qui talia
« se vidisse fatentur, dicentes veram ceram esse, quæ de luminaribus
« hujusmodi stillaverat. Manifestum autem est tibi, quia facile est ma-
« lignis spiritibus ceram veram ex melle agresti, et ex operibus apum
« sylvestrium colligere, et inde luminare facere. A parte vero homi-
« num nondum audivimus eos hujusmodi rapinam exercuisse: nec
« tamen dubitandum est, quin ex permissione Creatoris interdum hæc
« facere possint; quod autem non faciunt, vel hæc, vel alia mala ho-
« minibus, ex bonitate Creatoris est, qui tenet eos ligatos instar im-
« manissimarum belluarum, ut non noceant hominibus quantumcum-
« que velint. — De illis vero substantiis, quæ apparent in domibus,
« quas dominas nocturnas, et Principem earum vocant Dominam Abun-
« diam, pro eo quod domibus quas frequentant, abundantiam bono-
« rum temporalium præstare putantur, non aliud tibi sciendum est,
« neque aliter, quam quemadmodum de illis audivisti: quod enim
« comedere et bibere videntur, visio illusoria tantum est, cum mani-
« festum sit substantias spirituales cibis aut potibus corporalibus uti
« non posse. *Deinde* nihil consumptionis, aut diminutionis apparet in
« cibis et potibus corporalibus, de quibus sumpsisse videntur, post
« recessum eorum, vel potius postquam evanuerint, quapropter eo
« usque invaluit stultitia hominum, et insania vetularum, ut vasa
« vini, et receptacula ciborum, discooperta relinquant, et omnino nec
« obstruant, neque claudant eis noctibus, quibus ad domos suas eas
« credunt adventuras. — Idem, et eodem modo sentiendum est de
« aliis malignis spiritibus, quos vulgus *striges*, et *lamias* vocat, et
« qui apparent de nocte in domibus, in quibus parvuli nutriuntur,
« eosque de cunabulis raptos laniare, vel igne assare videntur: ap-
« parent autem in specie vetularum, videlicet quæ nec vere vetulæ
« sunt, nec vere pueros devorare possibile est eis, propter causam
« quam dixi. Interdum autem permittitur parvulos occidere in pœnam
« parentum, propter hoc quia parentes eo usque interdum diligunt
« parvulos suos, ut Deum non diligant. Utiliter igitur, atque salu-
« briter cum ipsis parentibus agitur, cum causa offensæ Creatoris
« substrahitur. Insipientes autem more suo, unde erudiri deberent,
« inde occasionem detestabilioris stultitiæ assumunt, qua de causa fa-
« ctum est, ut spiritus maligni sub nomine et specie vetularum, in
« quibus apparere credebantur, timorem et honorem, ac culturam ido-
« lolatriæ sibi acquisiverint, ea videlicet de causa, ut parvulis parce-
« rent; hoc est, ut illos nec laniarent, neque igni assarent. Vetula-
« rum autem nostrarum desipientia opinionem istam mirabiliter dis-
« seminavit, et provexit, atque animis mulierum aliarum pene inera-

« dicabiliter infixit. Similiter, et de dominabus nocturnis, quod bonæ « dominæ sint, et magna bona domibus, quas frequentant, per eas « præstentur, mulieribus potissimum persuaserunt, et ut ad unum di- « cam, pene omnes reliquias idololatriæ retinuit, et reservavit, et adhuc « promovere non cessat anilis ista fatuitas ».

Huc spectant omnia illa dæmonum spectra, quibus interdum militares acies, et bellantium castra exhibent. Legimus quidem in Scriptura *Gen.* 32. et 4. *Reg. cap.* 6. SS. Angelos veluti militum cohortes apparuisse cum Patriarchæ Jacob, tum Eliæ Prophetæ. Hoc ipsum de dæmonibus innumeræ propemodum historiæ referunt: plures videbis apud Niderium libro ultimo *formicarii*, Leholerium lib. 4. etc.

Non abnuerem tamen spectra illa aliquando fieri ab animabus e corpore solutis, quæ interdum, sic Deo permittente, apparent, ut vivos a vitiis revocent, seu, ut loquitur *Guillelmus Parisiensis supra laudatus*, fiunt apparitiones istæ, « scilicet exercituum armatorum, ad « terrorem eorum, qui armis utuntur, ut per pœnas, quas abusores ar- « morum visionibus istis pati conspiciunt, deterreantur a similibus, « et ista sunt, quæ in apparitionibus suis ipsi mortui reserarunt. Per- « mittuntur igitur animæ mortuorum hominum sic apparere homini- « bus ad deterrendos eos ab armorum abusionibus, et rapinis, et sæ- « vitia, homines occidendo. Verum sicut prædixi, nec veri equi, nec « vera sunt arma, quæ ibi apparent, nec vera hastiludia, nec vera « prælia, nec veri discursus, aut equitationes, propter causas antedi- « ctas; sed signa tantum rerum hujusmodi, tamquam in visione ap- « parent ad commoveri faciendos homines, et deterrendos a malis « prædictis, et ad sollicitandos eos de suffragando animabus defun- « ctorum ».

Hic pariter occurrunt illa spectra, quæ certis temporibus, et locis, aut domibus solent tumultus, et vexationes varias exhibere, quorum exempla hic supervacaneum esset referre, quippe cum notissima sint apud omnes.

Tales pariter dæmones illi, de quibus scribit *Joannes Mellesius* lib. 3. cap. 11. et 12. « In Salmasia, inquit, coluntur spiritus quidam visi- « biles, qui lingua Ruthenica *Oltri*, Germanica *Koboldi* dicuntur, « quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie li- « gnorum, nutriuntque eos laute omni ciborum genere, eo quod ad- « ferre soleant nutritoribus suis frumentum ex alienis horreis furto « sublatum. Cum vero alicubi illi spiritus habitare et nutriri cupiunt, « hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in do- « mum congerunt noctu segmenta lignorum, et muletris imponunt « lacte plenis varia stercora animalium: quod ubi paterfamilias ani- « madverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora e muletris; sed « de inquinato lacte cum omni familia comederit, tunc illi apparere, « et permanere ibi dicuntur ».

Idem judicium de spectris *virunculorum*, ac *femellarum* specie pigmei, vel pumilionis in domibus multorum existentium et domestica fere cuncta ministeria obeuntium. Puta equos curare, domum verrere, et similia præstare obsequia, de quibus *Olaus magnus lib.* 3. *cap.* 11. quos Galli antiquitus appellabant *Desgoblins*, *des Folets*, *etc.*

Ultimo tandem loco sese offerunt spectra dæmonum *subterraneo-*

rum, qui thesauros custodire, necnon et aurum effodere dicuntur, de quibus Georgius Agricola cap. *de animalibus subterraneis* prodiit: in metallicis, inquit, fodinis inveniuntur et truculenti quidem, vel solo aspectu terribiles, plerumque metallicis infesti, atque inimici sunt. Talis fuit *Annebergius* dæmon, qui operarios amplius duodecim flatu interfecit in specu, qui corona rosacea appellatur, eo nomine relictus quantumvis argento dives esset. Flatum vero emittebat ex rictu, cum equi specie habente procerum collum, et truces oculos appareret. Ejusmodi etiam fuit *Snebergius* nigra cuculla vestitus, qui in fodina *Georgina* operarium e terra sublatum in superiore loco, maxime illius concavitatis quondam feracis argenti collocavit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Judæus a dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ aurea cornua gerentis apparente. At Sedatos illos, Germanorum alii, ut etiam Græci *Cobalos* vocant, quod hominum sint imitatores; nam quasi lætitia gestientes rident, et multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii *viriculos montanos* vocant, quia plerumque apparent nani tres dodrantes longi: videntur autem esse senecciones, et vestiti more metallicorum, idest vitreto, indusio, et corio circa lumbos pendente. Innoxii sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt, rarissime tamen eos lædunt, nisi cachinno, vel maledicto lacessiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus, in quibus metalla jam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est. Plura de his dæmonibus subterraneis refert *Kircherius* lib. *De mundo subterraneo*.

Hic referre prætermitto varias animalium formas, necnon etiam et hominum, quas dæmon interdum induit, ut homines vel ludat, vel terreat, vel decipiat; de his enim apparitionibus varia produnt, quorum sensa refert Delrio: quando enim vult familiaritatis, et fidei specimen præbere, *Catti*, vel *Canis* sumit effigiem: de *Cattis* quotidiana, inquit, lamiarum confessio fidem facit, de quibus nonnulla *paragrapho* 3. subjiciemus: de *Cane* compertum habuit Cornelius Agrippa. Si quis aliquo devehendus, sub specie equina ipsi apparet, ut testis est de Hadingo Olaus lib. 3. *De Comite Matisconensi*, Petrus Cluniacensis lib. *De Miraculis*. Si per locum angustum, vel rimam subiturus sit, vel custodibus illusurus, fit *vespertilio*, *musculus*, vel *mustella*. Si ut gregem laceret, ut sæviat in animantes hominesque, induit *lupum*: si quos terrere velit, aut turbare, nunc cantat, ut *gallus gallinaceus* magnus et ferociens, ut Pacomio; ut *corvus* aut *vultur* S. Romualdo; ut *vulpecula* S. Hilarioni; ut *serpens* Leonardo Corbejacensi; ut *Draco* S. Margaritæ. — Si autem ad malum specie boni velit inducere, apparet interdum in forma pietatem aliquam redolente: sic in figura *Domini nostri Jesu Christi*, ornamentis aureis, et præfulgidis, necnon diademate coronatus, sancto Martino Turonensi Episcopo apparere est ausus, ut ipsum sanctum virum ad se adorandum, tamquam Christum ipsum induceret: at detecta illius fraude dixit ei: *Dominus Jesus Christus non purpuratum, aut diademate renitentem se venturum esse prædixit;* quo auditu disparuit. Alius quidam Pater cum se dæmon ei in forma Christi offerret, clausis oculis dixit, *se nolle Christum videre in hac vita, sed in Cœlis*. Alius sub simili specie apparenti objecit: *Vide ad quem mittaris, neque enim is*

sum, qui Christum videre merear. — Legitur quoque in Legenda S. Hieronymi dæmonem induisse speciem *Sancti Silvani* Episcopi Nazareni, qui charissimus erat S. Hieronymo, et in eadem specie feminam quamdam noctu in lectu jacentem aggressum fuisse, ut ad luxuriam provocaret, et cum ipsa acclamaret, eum in eadem forma sub lecto se abscondisse, ibique inventum, mentitum esse se Silvanum Episcopum, ut tanta infamia virum Dei notaret, et ita disparuisse ; talis autem de Silvano fuit multorum opinio, donec ipse dæmon in obsesso corpore dolum, et fraudem detexit.

Quæres: *Qualiter dæmones spectris assumptis hominum oculos ludere possint?*

Respondet Seraphicus Doctor in 2. *dist.* 8. *qu.* 3. hac de re variam, sed maxime triplicem esse Auctorum sententiam : *quidam* namque putarunt hanc delusionem fieri tripliciter : « Potest enim, inquiunt, dæmon sensus nostros ludere, vel a superiori influendo, ab intrinseco *phantasmata movendo,* ab extrinseco *species objiciendo.* « Primo quidem *a superiori influendo ;* dicunt hoc modo fieri posse, « quod cum dæmon per naturam suam superior sit sensu corporeo, « cumque superiora nata sint influere in inferiora, dæmon potest spe- « cies, quas habet in se, sensui imprimere, tam interiori, quam exte- « riori : quæ tamen minus sunt spirituales in suscipiente, quam in « dante ; quia quod recipitur in aliquo est per modum recipientis, « non per modum recepti. Similiter *ab interiori phantasmata movendo,* « dicunt sic posse accidere, sicut accidit homini ex motu phantasma- « tum, et defluxu ab organo excitari virtutem sensitivam interius, et « fieri somnium in quo videtur homini, quod videat, vel audiat ve- « ritatem, cum phantasma rei pervenit ad organum visus, vel audi- « tus. Sic et in proposito, dæmon potest phantasmata existentia in « organo interiori facere diffluere ad organa sensuum : et sic videtur « homini, quod videat, vel sentiat ipsam rem, dum ex rei phantas- « mate formatur organum : et intentio sensus super illud convertitur, « judicat de similitudine ac si esset veritas. *Ab exteriori vero species* « *objiciendo,* potest hoc modo sensum ludificare ; unaquæque enim res « nata est speciem suam susceptibili dare ; et si esset aliquid quod « non tantum speciem suam susciperet, sed etiam tenere posset, posset cir- « cumferri, et alicui pro veritate afferri ; sicut ostenditur Luna in « puteo. Quia ergo non latet dæmonem natura specularis, non solum « susceptiva specierum, sed etiam retentiva : mediante illa potest « quamcumque vult, et cujuscumque rei vult speciem pro veritate « sensibus nostris afferre, quam cum pro veritate accipiunt, ludifican- « tur ». Hanc autem sententiam improbat Seraphicus Doctor : « Non « enim, inquit, videtur possibile, quod substantia spiritualis, quæ ha- « bet in se species omnino immateriales, possit eas sensibus impri- « mere, cum omnino sit virtus improportionabilis. Nec etiam videtur, « quod species ab organo interiori regrediantur, cum iste sit ordo re- « trogradus. Præterea mirum est valde si dæmon ita invenit magnum « adeo speculum, in quo in magnitudine sua, et latitudine possit osten- « dere unum castrum, sicut pluribus aliquando est ostensum. Mirum « est etiam, si videt quis ita rem, quod non potest videre speculum.

« Mirabilis est etiam natura talis rei corporalis, quæ potest speciem « suscipere, et tenere : cum videamus speciem ab objecto speculo sim- « pliciter separari non posse ».

Secundam sententiam subjicit, eamque probabiliorem affirmat; nempe, « quod dæmon potest ludificare sensus, sive ostendendo præ- « sens esse, quod non est, sive aliter ostendendo quam est, sive ab- « scondendo quod præsens est. *Primum* quidem facit species offe- « rendo : *Secundum* facit, sensum, vel objectum variando. *Tertium* « vero facit, impedimentum præstando. *Primum* potest intelligi sic: « quando phantasmata existentia interius offeruntur forti oblatione « ipsi virtuti interiori, vel virtus interior fortiter illis intenditur, si- « militudo rei videtur esse veritas. Hoc manifestum est per naturam; « nam phrænetico propter ascensum fumositatum ad cerebrum ex mo- « dica occasione exteriori, videtur ei, quod videat multa, quæ non « sunt sibi præsentia, vel quod audiat. Similiter per fortem conver- « sionem intentionis, phantasma videtur veritas : sicut S. Augustinus « exemplificat *in lib. De Trinit.* quod quidam tanta conversione re- « cogitabat cujusdam mulieris imaginem, quod ei carnaliter commi- « sceri videbatur etiam vigilando. Per hunc modum dæmon potest « sive intentionem ad imaginem convertere, sive fumos aliquos im- « mittendo spiritum animalem immutare, et phantasmata diversimode « variare, et intentioni offerre, et sic diversa homini facere apparere; « et hoc modo utitur frequentissime; et hujus signum est, quia num- « quam facit hominem aliquid sentire, cujus imaginem non habeant « in interiori organo virtutis imaginariæ ; numquam enim cæcos na- « turaliter facit somniare de coloribus, nec surdos de sonis, nec eis « talia repræsentat in vigilia, vel in somnis. — *Secundum modum* « possumus intelligere sic: quod res alio modo, vel sub alia disposi- « tione appareat sensui, quam sit naturaliter, potest contingere pro- « pter variationem aliquam ex parte organi; sicut quando humor san- « guineus, vel vapor igneus descendit ad oculos, videtur homini, quod « ea quæ exterius sunt, sint rubea : vel propter variationem aliquam « ex parte objecti ; sicut contingit aliquando, quod expositione can- « delæ factæ de serpentis pinguedine, et dispositione palearum, vi- « dentur paleæ serpentes esse operatione naturali. Simile est in ali- « quibus virtutibus quarumdam rerum mineralium. Et quia iste mo- « dus non latet dæmones, et sunt ministri veloces, potentes quæ ne- « necessaria sunt ad hæc statim afferre : ideo sensus nostros frequenter « deludunt, ostendentes rem aliter quam sit, dum eam faciunt aliter « quam se habeat apparere : quod quidem fit per variationem modi- « cam inducendo eam circa organum, vel objectum : quæ quidem va- « riatio non mutat formam ; sed solum est ex quadam accidentali adhæ- « rentia, et est ut passio, non passibilis qualitas. — *Tertium modum* « sic possumus intelligere : res siquidem, quæ præsto est, sensum no- « strum sine visibili obstaculo potest dupliciter latere ; aut quia im- « peditur virtus sensus, ne perveniat ad sensibile ; aut quia impeditur « species sensibilis, ne perveniat ad sensum : et utroque modo impe- « ditur sensus, ne percipiat quod sibi est præsto. Utrumque autem « horum satis credendum est esse possibile virtuti dæmonis, et ideo « dicitur posse facere per hanc viam, ut hominem reddat invisibilem,

« quod tamen certum non est ; si tamen est, hac via posse fieri, non « est multum incredibile ».

§ 2. — **De energumenis, et dæmoniacis.** — Dæmones interdum humana subire, et torquere corpora certo constat. Id quidem pluribus Scripturæ sacræ textibus innotescit, his maxime quibus Christus Dominus dæmonia ejecisse sacri Evangelistæ testantur. Sic *Luc.* 11. postquam Christus Dominus dæmonium quod erat mutum ejecit, et locutus est æger, invidia ducti Scribæ, et Pharisæi dixerunt : *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia* ; quibus verbis supponebant dæmoniacos dari, quinimo sciebant ipsum, qui curatus fuerat, dæmoniacum fuisse. Nec ex illa fide quam habebant ipsos reprehendit, sed solum ostendit, non in tali virtute, sed in digito Dei se ejicere dæmonia. Sic pariter ipse Christus dæmones ab humanis corporibus plerumque ejecit : sic apud sanctos Evangelistas narratur illa insignis ejectio legionis dæmoniorum, quæ unum hominem possederat : et ab iisdem Evangelistis sæpe narrantur mirabilia a Christo Jesu facta circa ejectionem dæmonum ab hominum corporibus, ipsis clamantibus, et testificantibus vim sibi inferri, eo quod a propriis habitaculis pellerentur : et apud S. Lucam ajebant Discipuli : *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo* : et apud SS. Lucam, Marcum, et Matthæum *dæmoniacus lunaticus* a Christo curatur : at vero Scripturæ illæ sacræ non assererent dæmones fuisse ab humanis corporibus ejectos, pulsosque, nisi revera intus extitissent. — *Deinde* ipsa satis aperte dicit illos dæmones corpora intrasse, et exiisse, ac ejectos esse ; quæ nec possunt, nec debent explicari, nisi asserendo revera intus extitisse, et inde fuisse pulsos : si enim non ingrederentur corpora, et egrederentur, quorsum voces Domini apud S. Marcum : *Exi spiritus immunde ab homine isto?* Quorsum petitio dæmonum dicentium: *Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus?* et illud: *Exeuntes spiritus immundi intraverunt in porcos?* Hanc autem facultatem ejiciendi dæmonia Christus Dominus non solum suis Apostolis, sed etiam Ecclesiæ ministris, necnon et fidelibus sanctitate præditis contulit. Hinc in ipsis nascentis Ecclesiæ cunis innumeros propemodum dæmones ab hominum corporibus ejectos opera exorcistarum narrant Ecclesiæ Patres, ac Historici. Sic imprimis Tertullianus ad Scapulam c. 2. *Dæmones*, inquit, *non tantum respuimus, verum et vincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicut plerisque notum est.* Et S. Cyprianus *Epistola ad Demetrianum Africæ Proconsulem*, ita de dæmonibus a se, et aliis Exorcistis depulsis loquitur : *O! si audire eos velles, et videre, quando a nobis adjurantur, et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis, de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, et gementes voce humana, et potestate divina flagella, et verbera sentientes, venturum judicium confitentur*, etc.

Dices 1 : S. Ildegardus, ut legimus in lib. 3. *Ejus vitæ* cap. 20. testatur se vera visione vidisse quamdam Energumenam, et « quod ipsa « (inquit) permissione Dei quadam nigredine, et fumo diabolicæ con- « globositatis obsessa erat, et obumbrata, quæ totam sensualitatem « rationalis animæ illius opprimebat, nec ex elevato intellectu suspi-

« rare permittebat; velut umbra hominis aut alterius rei, vel fumus « opposita obtegit, et perfundit, unde hæc rectos sensus, et actus per- « debat, et inconvenienter sæpius clamabat ac faciebat. Et me cogi- « tante, et scire volente quomodo diabolica forma, idest substantia, « hominem intraret, vidi et responsum habui, quod diabolus in sua « forma, ut est, hominem non intraret; sed cum umbra, et fumo suæ « nigredinis obumbrat, et obtegit: si enim forma illius hominem in- « traret, citius membra illius solverentur, quam stipula a vento di- « spergatur. Quapropter Deus non permittit, ut hominem in sua forma « intret, sed supradictis perfundens ad insaniam, et inconvenientia « evertit, et per eam quasi per fenestram vociferatur, et membra illius « exterius movet, cum tamen in eis in forma sua interius non sit, « anima interim quasi sopita, et ignorante quid caro corporis faciat »: ergo revera dæmones Energumenorum corpora non intrant. — **Nego consequentiam**: nulla namque ex prætata revelatione contra præsentis veritatis assertionem evincitur; in ea namque revelatione plura peccare videntur: *Primo*, quia principio vere tantum describitur obsessio, non possessio. *Secundo*, quod inquisitio hæc parum erat necessaria, et satis curiosa. *Tertio*, quia suspectum est quod ait, Deum non permittere, ut diabolus secundum suam essentiam, ut solet esse in suo loco, corpora possideat. Communis enim Theologorum distinctio hoc discrimen statuit inter *obsessos*, et *possessos*, quod in his sit dæmon, ut erat nonnumquam in statuis idolorum, et hoc indicant inflationes, et multa alia, quæ in possessis cernuntur. *Quarto*, quia ratio nulla est; nec enim forma dæmonis sive substantia ejus spiritualis ipsi corpori contraria sic est, ut illud statim destruat, etiam si nolit, solo ingressu. *Quinto*, quia non semper anima sopita est, quando dæmon Energumenum, vel obsidet, vel possidet, ut apparet; quia videmus sæpe illos omnium recordari quæ egerint. *Denique* sancti Theologi omnes sic semper locuti, et opinati fuere, ut dicerent dæmonem corpus arreptitii intrare, et ab eo exire, non quidem id subire, ut informet, vel tamquam pars ejus, quod vocant, corpus integret; sed tantum ut loco vel instrumento organico usurus.

Dices secundo: Duo spiritus nequeunt eumdem locum definitivum occupare: sed anima totum corpus occupat: ergo dæmon non potest ipsum occupare. — **Distinguo majorem**: non possunt eumdem locum occupare, secundum eumdem existendi modum, concedo: secundum diversum, nego. Anima autem est in corpore, non ut in loco, sed velut forma ipsum corpus informans, et vivificans; dæmon vero in ipso est, ut motor assistens, illudque corpus movens; quapropter anima, quæ est spiritus conjunctus, et dæmon, qui est spiritus separatus, diversas in eodem corpore habere possunt operationes: anima quidem poterit corpus vegetare, nutrire, et sensitivum efficere: dæmon vero illud movere localiter, atque vexare.

Petes: *quibus de causis dæmones corpora possideant?*

Respondeo id fieri maxime quinque de causis: Dæmones hominum corpora invadunt, et possident, ut exponit *Joannes Nider* in suo Formicario cap. 11, aliquando pro proprio majori possessi merito, aliquando pro alieno levi delicto, aliquamdo pro suo veniali delicto, ali-

quando pro gravi peccato alieno, et aliquando pro magno facinore proprio. « *De primo* patet in Dialogo Severi, S. Martini charissimi « discipuli, ubi fertur quemdam Patrem sanctissimæ vitæ, tantum do- « tatum in gratia expellendi dæmones, ut hi nedum verbis suis pro- « priis fugarentur, sed etiam ejusdem Patris epistolis, et cilicio. Cum « autem coram mundo Pater esset celeberrimus, se tentari sensit vana « gloria. Cui vitio licet viriliter resisteret, tamen ut humiliaretur am- « plius, totis præcordiis Deum præcabatur, quatenus quinque men- « sibus a dæmone possideretur; quod et factum. Nam eum statim « possessum vinculari oportebat, et omnia applicare sibi dæmoniacis « communia : finito autem quinto mense, prorsus et ab omni vana « gloria, et a dæmone liberatus est. *De secundo*, quomodo ex alieno « levi delicto, aliquis possideatur, ponit exemplum B. Gregorius de « B. Eleutherio Abbate, viro simplicissimo, qui cum prope monaste- « rium virginum pernoctaret, ei ignoranti ordinaverunt ad suam cel- « lam poni parvulum puerum, qui omni nocte vexabatur a dæmone, « sed eadem nocte a dæmone liberatus est per Patris præsentiam. Hic « cum rem didicisset gestam, et puer jam positus esset in monasterio « sancti viri, et transactis multis diebus paulo immoderate lætus de « liberatione pueri, ait ad confratres suos : fratres, diabolus sibi cum « illis Sororibus jocabatur. Sed ubi ad servos Dei venit, puerum hunc « accedere non præsumpsit. Et ecce statim diabolus puerum vexare « cœpit, et per lacrymas, et jejunia sancti viri, et confratrum diffi- « culter, sed eadem die liberatus est. *De tertio*, videlicet de proprio « veniali peccato, patet per Cassianum collatione Abbatis Sereni 1. « dicentem de Moyse: Moyses, inquit, in eremo cum singularis, et « incomparabilis vir esset, ob reprehensionem unius sermonis, quem « contra Abbatem Macharium disputans paulo durius protulit, quadam « scilicet opinione præventus, tam diro confestim traditus est dæmoni, « ut humanas egestiones ori suo ab eo suppletas ingereret; quod fla- « gellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo, « vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis ejus, « auctore medio demonstravit. Nam continuo Abbate Machario in ora- « tione submisso dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit. « Simile videtur huic quod Dialogorum 6. S. Gregorius refert de qua- « dam Dei famula in Monasterio Virginum, quæ hortum ibidem in- « gressa, lactucam conspiciens, et concupiscens, quam signo crucis « benedicere oblita, avide momordit, arrepta a dæmone cecidit, et ve- « xabatur, quousque statim vocato beato ibidem Patre Equitio, per « eumdem liberata est. *De quarta* causa, qua dictum est pro alieno « gravi peccato aliquem possideri, patet ibidem per B. Gregor. nam « ut refert, Fortunatus Episcopus diabolum ab obsesso homine pepu- « lerat. Sero igitur dæmon idem in specie peregrini per plateas civi- « tatis clamare cœpit: O virum sanctum Fortunatum, ejecit de hospitio « peregrinum : quem quidam vir invitavit suum ad hospitium. Et « quærendo causam expulsionis, gavisus est super derogatione sancti « viri, quam a peregrino ficto audivit. Exinde autem diabolus puerum « invasit, et prunis injecit, ac animam ejus excussit, sicque pater miser « primum quem recepisset hospitio, intellexit ». — *De quinta* vero « causa proprii facinoris, et magni communiter, tum in Sacra Scriptura

« cum in Sanctorum passionalibus legimus, nam sic 1. Reg. 15. Saul « inobediens Deo, possessus est ». Ita Joannes Nider.

Qualiter autem, et quam ob rationem dæmon humana corpora subeat, docet S. Bonaventura in 2. dist. 8. 1. par. art. 2. q. 7. Dicendum, inquit, quod sicut innuit textus Evangelicus, et Augustinus, etiam in libro *De divinatione dæmonum*, dæmones per naturam suæ subtilitatis et spiritualitatis, possunt quæcumque corpora penetrare, et in eis sine aliquo obstaculo, et impedimento subsistere; ratione vero suæ potestatis possunt ea corpora, in quibus sunt, commovere, et conturbare; sicut enim spiritus spiritui penetrabilis esse non potest, sic nec corpus potest resistere spiritui: ideo dæmones quantum est de potestate, et subtilitate naturæ, possunt corpora humana intrare, possunt etiam ea vexare, nisi prohibeantur a superiori virtute: et cum permittantur introire, et vexare, tunc dicuntur corpora obsidere. Permittit autem hoc Dominus sive ad gloriæ suæ ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram eruditionem: sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt Dei judicia: hoc tamen planum est, quod non fiant injuste, et ideo non permittit talia sine causa. — ✳ " His similia habet Origenes libro 8 *contra Celsum*, ubi refellens hujus Christianorum intensissimi adversarii dictum, quod dæmones virtute propria præsint mundi partibus rerumque dispensationi; cum dixisset hoc quidem competere sanctis Angelis, dæmones tantum malorum et calamitatum auctores esse, addit hoc dæmonum opera sunt, seu carnificum, « judicio quodam divino potestatem hanc « habentium certis temporibus, sive ad convertendos homines et cohi- « bendos ab effusa vitiorum licentia, sive ad exercendum genus homi- « num ratione utentium; ut mediis iis adversitatibus pietatem con- « stanter volentes, et a virtute non discedentes, conspicui fiant ob « præstantiam spectatoribus visibilibus et invisibilibus.... et per legem « Dei nullus dæmon rerum terrenarum præfecturam sortitus est; sed « propter suam malitiam forsan iis loca quædam assignata sunt, ubi « nulla Dei piæque vitæ cognitio, vel ubi aliena sunt a vultu ejus « omnia; forsan ut idoneos præsides, et tortores malorum, omnium « moderator Verbum eos constituit, ut iis qui contempto Deo nolunt « servire, suis vitiis imperarent ». ✳ — Quæ autem sint signa, quibus certo dignosci possit dæmonem aliquod corpus invadere, et agitare, non ita facile determinatur. Contingit enim interdum, ut qui Energumeni apparent, tales revera non sint, in illisque plura ficta, aliqua a morbo, nulla sint a dæmone. Quocirca, ut judicari possit an dæmon revera corpus inhabitet et torqueat, indaganda est imprimis, inquit Herinx, *disp.* 4. *qu.* 9. obsessionis origo, et ingrediendi modus, et maxime ipsius ingressus effectus, et signa, cujusmodi sunt, absente miraculi divini suspicione, subita notitia linguæ peregrinæ, artis legendi, aut similis, locutio de rebus sublimibus, quas afflictus numquam didicit absentium notitia, revelatio occultorum, operationes vires hominum excedentes. Item, quod afflictus non patiatur reliquias sacras, nomina Sanctorum, et potissimum Jesu, et sanctissimæ Trinitatis, exorcismos, etc. præsertim quando ipso homine inscio adhibentur. Item si prohibeatur omnino loqui, vel sancta nomina proferre,

confiteri, communicare, etc. His accedunt indicia, quæ ex subita mutatione status corporis, vultus, morum, vel ex modo afflictionis externæ prudenter desumi possunt. Facilius autem fertur de obsessione judicium, quando omnia, vel præcipua ex allegatis signa concurrunt: maxime vero quando aliquo idiomate prius ignoto, absentia, et occulta revelat, etc. *Qualiter* autem expellendi sint dæmones ab Exorcistis, quibusve mediis, et precibus utendum sit, in longum proferunt varii Auctores, maxime vero noster Hieronymus Mengo Vitellianensis, in suo *Flagello dæmonum;* brevius vero in *fuste dæmonum*, duobus nempe libris ab eo editis; necnon et Antonius Stampa Clavenensis, *Lib. De fuga Satanæ*. Sed præ cæteris consulenda sunt Rituale Romanum, necnon et Pastorale Diœcesanum. *Exorcista* autem in primis curare debet, ut viva fide, et in Deum fiducia sit præditus, pura conscientia, animique humilitate, jejunio, et oratione armatus, non inanis gloriæ captandæ, aut turpis alicujus temporalis lucri cupidus, sed sola necessitatis, vel charitatis causa rem hanc arduam aggredi, et auspicari debet. Quocirca in primis ipsi cavendum est a vocis contentione, necnon passionum, aut affectuum concitatione, quibus interdum nonnulli se frustra fatigant: sed potius adlaboret in eliciendis actibus fidei, spei, et charitatis: cavendum pariter ab inutilibus, vanis, et curiosis quæstionibus, et interrogationibus, etc. *Exorcizandus* vero in primis monendus ut per salutarem confessionem, conscientiam suam ab omni peccato, qua poterit diligentia et pietate mundet, sacra sinaxi muniatur, frequenter oret, jejunet, et signum crucis, aquam benedictam, sanctorum reliquias, in cera benedicta consignatam Agni Dei figuram, aliaque sacra amuleta usurpet, fidem ac fiduciam in Deum excitet; nec si curatio differatur, animo cadat, paratus semper sese Dei ordinationi subjicere; ea maxime consolatione fretus, quod hac temporali dæmonum agitatione, æternum ab eis infligendum reprobis tormentum vitabit. Ita Herinx.

§. 3. — **De Lamiis, Strigibus, et Sortiariis.** — Præter perditissimos homines, qui cum dæmone fœdus ineunt, ut ejus ope futura aut abdita renuntiare, et dijudicare valeant, præterque nefandos illos Magos, et incantatores, qui pactum cum dæmone feriunt, ut illo operante ac juvante, quæ optant, mira ac stupenda præstare valeant et implere, de quibus opportunior nobis erit sermo, cum de Divinatione ac Magia in *Disputatione De fide* tractabimus; sunt et alii, prædictis non minus execrandi, qui omnem divinam prorsus religionem exuentes, omniaque quantumvis sacra horrenda impietate conculcantes, omnino se dæmonis subdunt imperio, ut ad ejus nutum, quidquid malitiæ aut sceleris, vel infidelitatis apud alios homines, qui diabolo quomodolibet devoventur excogitari potest, id totum ipsi exerceant, et perficiant. — Hi autem perditissimi vario donantur nomine; sed communiori ac usitatiori *Sortiarii*, non solum a *sortibus* cum dæmone initis, sed etiam a procuratis maleficiis appellantur. Cum autem inter hos pessimos diabolicæ artis professores longe plures sint mulieres quam viri; propterea quod sexus iste ob nimiam credulitatem facilior sit ad deceptionem, necnon ad libidinem pronior, inde solito femineum nomen ipsis execrandis hominibus etiam tribuitur: dicuntur

namque *Lamiæ*, et *Striges;* ✻ " quarum appellationum plures proferri possunt rationes. Dicuntur, inquam, lamiæ a voce græca λαμος, quæ ingluviem significat, qua ratione piscis omnia devorans, etiam homines integros teste Nicandro Colophonio apud Eustath. in Odyss. 13. appellatur lamia; quo etiam sensu, Philostratus in vita Apollonii Thyannei animal ferox pueros devorans lamiam nominat ab ipso Apollonio expulsam Corintho. In eadem significatione accipitur Isaïæ 34. ubi propheta Idumeæ perpetuam vastitatem præsignans, ait non mansurum lapidem unum alteri superpositum, nec amplius hominum fore habitaculum, sed ibi dæmones et satyros habitaturos esse, et commoraturam ibi lamiam, nimirum animal sævum, et hominibus infestissimum. Narrat Diodorus Siculus lib. 20. Bibliothecæ, lamiam repræsentatam esse ab antiquis tamquam insignis pulchritudinis mulierem, cujus cum omnes liberi morirentur, hoc eventu in rabiem actam, omnes aliarum mulierum infantulos ex ulnis abripuisse et confestim necari sugisse, unde fama est propter animi feritatem in belluam transformatam. Lamiam in historia africana describit Dion similem feræ, habenti vultum fœminæ elegantissimum, mammas et pectus pelliciendis viatoribus regenti, modestis et gratis oculis: cæterum loco pedum habere serpentis caput, et squamigerum serpentem esse qui hominem cum primum accessit vorat avidissime. Jeremias etiam Threnorum 4. v. 3. ut Judæorum crudelitatem ac ferocem animum in proximos indigentes insectetur, scribit: *sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* — Cum itaque perditissimæ illæ mulieres, omnem suam ponant operam ut dæmonum ope hominibus mala procreent, ipsisque sint infestissimæ, merito jure dicuntur lamiæ. — Appellantur etiam *striges*, voce deducta a strige quæ est avis nocturna " ✻ et importuna, sic dicta a stridore quem facit; de qua Lucanus lib. 6. *quod trepidus bubo, quod strix nocturna querantur.* Hæc, inquam, avis pueros adhuc lactentes aggredi tentat, ut ex illorum corpusculis vitalem sanguinem sorbeat. Qua de causa perditissimæ illæ mulieres, quæ dæmonibus devoventur, *Striges* appellantur, propterea quod sub felis, seu catti larvata specie plerumque dormitantes pueruloS aggrediuntur, et per inguinem eorum sanguinem sugunt. Lamiæ vero cum ex Philostrato *in vita Appollonii* ad venerem propensissimæ sint, et carnes humanas devorare cupiant; quocirca formosos homines, quos habent obviam, ad libidinem provocant, quo facilius eis mortem inferant, et postmodum eorum carnibus exsaturentur. Hac etiam ratione id nomen nefandis illis diaboli sectatoribus inditur. De his autem nonnulla hic breviter referenda duxi ex doctioribus quibusque auctoribus, penes quos infra dicendorum sola sit fides. *Sciendum* itaque in primis, ut referunt Paulus Grillandus *tractatu de Sortilegiis num.* 26. Delrius *disquisitionum magicarum lib.* 2. *qu.* 16. Laurentius Anianus *De natura dæmonum lib.* 4. *c.* 4. necnon, et noster Alphonsus a Castro *lib. De impia Sortilegarum Hæresi cap.* 4. quod « quisquis hanc diabolicam sectam profiteri vult, adducitur primo ab « eo a quo docetur ante tribunal dæmonis, in solio quodam ad regis « instar sedentis. Dæmon enim se illis in figura quadam visibili, et « corporea ostendit, ut falsam majestatem suam, et imperium ementito « quodam signo illis persuadeat. Coram illo itaque adductus, is, qui

« hanc sectam profiteri paratur, statim debet abnegare baptismum, et « omnia Christianæ fidei documenta relinquere. Deinde oportet ut « omnia Ecclesiastica sacramenta rejiciat, crucem, intemeratæ Vir- « ginis, et aliorum quorumcumque sanctorum imagines projicere debet, « pedibusque propriis conculcare. Hanc tamen conculcationem ima- « ginum non est opus coram ipso dæmone statim efficere, sed satis est « ut postea se facturum promittat, cum primum sese obtulerit occasio. « His peractis, dæmoni velut principi aut regi perpetuo sese obligatum « ac devinctum reddit, vovens in manibus ejus se perpetuo futurum « illi fidelem, et omnibus illius mandatis pariturum. Post hæc, tactis « scripturis super quodam libro obscuras quasdam, et ignotas paginas « continente, jurejurando promittit se numquam ad fidem Christi re- « diturum, ac divina præcepta servaturum; sed solum ea, quæ per « ipsum principem, dæmonem videlicet, mandabuntur.

« Promittit insuper se venturum quoties vocatus fuerit ad congre- « gationes nocturnas, et sacrificia se facturum, quæ horis illis no- « cturnis fieri viderit; preces emissurum, ac orationis cultum se illi « exhibiturum; omnia denique alia quæ ab aliis ibidem fieri viderit « se facturum. Quo voto et juramento per illum emisso, statim dæmon, « qui in solio sedens velut regem se illi ostenderat, hilarem frontem « prætendens, promittit illi sic stanti se daturum, quam in se non « habet, perpetuam felicitatem et gaudia immensa, et quæcumque « in hoc mundo cupierit habere voluptates, et tandem post hanc vitam, « multo majora se daturum spondet. Deinde unum dæmonem consti- « tuit ad illius custodiam et doctrinam, qui illum perpetuo comitetur, « et illi per omnia serviat, et omnia tribuat, quæ ille cupiet. Huic « dæmoni ad custodiam destinato, inter alia hoc peculiare officium « commissum est, ut quotiescumque oportuerit ad ludos accedere no- « cturnos, ille hoc denuntiet suo clientulo et illum deferat ad locum « congregationis. Hunc dæmonem, qui velut patronus ad custodiam « datus est, ipsi homines hujus diabolicæ artis professores vocant « *Magistrum*, *Martinetum*, aut *Martinellum* ». Ita Alphonsus.

Addit Delrius, quod ubi omnes dæmoni Regis instar in solio sedenti sua præstiterunt obsequia, omnes ad convivium evocantur. Notatque, quod soleant diversæ mensæ instrui tribus, vel quatuor ciborum generibus, interdum delicatissimorum, interdum valde insulsorum onustæ, quibus pro dignitate sua, aut opibus singuli locantur. Aliquando suus cuique dæmon adsidet: aliquando malefici una ex parte, et suus cuique dæmon ex adverso. Nec mensæ sua deest benedictio, cœtu hoc digna, verbis constans plane blasphemis, quibus ipsum Beelzebub, et creatorem, et datorem, et conservatorem omnium profitentur. Eadem est actio gratiarum quam subdunt mensis sublatis. Convivio intersunt facie interdum aperta, interdum velata linteo, vel alio velamine, aut persona sic etiam personati. Post convivium quisque dæmon suam quam custodit discipulam manu prehendit, et ut omnia fiant ritu quam possunt absurdissimo, dorsis invicem obversis, et in orbem junctis manibus, jactantes capita more fascinatorum, choreas ducunt; nonnumquam candelas accensas manu tenentes, quibuscum ante dæmonem osculantes adorant, et cantant fescenninos in honorem dæmonis obscænissimos. Vel ad tympanum fistulamve sedentis alicujus in bifida

arbore saltant, omniaque ridicule, et contra cæterorum morem peragunt. Tum suis amasiis dæmonibus fœdissime commiscentur. ✳ " Joannes Bodinus *De dæmonoman.* lib. 2. cap. 4. scribit, comitiis lamiarum præesse hircum ingentem, nigrum, adstantes ratione humana compellantem, in ejus ambitum saltare omnes, tum unumquemque posteriores illius partes cum ardente candela osculari. Hoc facto hircum absumi igne, de cujus cinere singulos capere, ut eo bovem inimici necarent, hujus ovem, illius equum, hunc hominem languore, illum morte afficerent. Postremo diabolum voce terribili hæc verba intonare: ulciscimini vos, aut mortem oppetetis: ita singulos ope diaboli redire, qua venerant. " ✳

Quando sacrificia fiunt, fieri solent statim initio, peracta adoratione: sacrificia tamen etiam extra conventum sæpe faciunt. *Denique addunt*, quemque narrare sua ab ultimo facinora, quæ quo graviora, et magis execranda fuerint, eo collaudari uberius: si nulla sint, vel non satis atrocia, verberari segnes atrocissime a dæmone, vel a quodam malefico seniore: ultimo pulveribus (quos aliqui scribunt esse cineres hirci illius quem dæmon assumpserat, et quem adorant, subito coram illis flamma absumptis) vel venenis aliis acceptis sæpe etiam indicto cuique nocendi penso; et pronuntiato pseudothei dæmonis decreto *ulciscimini vos: alioqui moriemini*, ut agnoscas legem charitatis legi contrariam; suas quemque domos, si prope sint, pedibus, sin distantiores, advecti, repetunt.

Conventicula ut plurimum ineuntur vel noctis mediæ silentio, quando viget potestas tenebrarum, vel interdum meridie, quo sunt qui referant illud Psalmist[illegible]m de dæmonio meridiano. Et Aben-Esra scribit a Magis certos dies, et horas observari. Striges videntur in diversis regionibus varios habere statos dies. In Italia frequentant noctem, quæ feriam sextam præcedit, idque circa noctis medium. Lotharingicæ Striges conveniunt noctibus, quæ præcedunt feriam quintam, et diem Dominicum, teste Remigio *lib.* 1. *cap.* 14; apud alios legi noctem, quæ præcedit feriam tertiam.

Quod autem dæmon eas striges non transferat nisi unguento prius oblinitas, id præstat variis de causis, vel ut unguento magis audeant, vel quia tenuiores sunt ad horribilem illum Satanæ contractum in corpore assumpto ferendum; horum enim unctione sensum obstupefacit aliquando, et miseris persuadet vim unguento inesse maximam. Alias autem id facit, ut sacrosancta a Deo constituta sacramenta mimice adumbret, et per has quasi cæremonias suis orgiis reverentiam, et venerationem conciliet. Nihil vero ad translationem conferre vim unguenti, vel inde patet, quod etiamsi, qui statuto conventus tempore ex curiositate quadam cupientes conventui interesse se unguento illiniant, revera per aërem eo devehantur (Deo id, ut multotiès probatum, ad puniendam incredulam curiositatem tam temerariæ audaciæ permittente) tamen si quis fide firmus, charitate armatus, ad fraudes dæmonis revincendas, dissipandasque ad veræ fidei confirmationem, eo se unguento inungeret, proculdubio, ut recte infert Binsfeldius, nulla sequeretur translatio; quia hic omne pactum cum dæmone cessat, neque id Deus esset permissurus. Et propterea, quando extra conventui destinata tempora sese inungerent Sagæ, non avolarent,

nec auferrentur, eo quod id pactæ non fuerunt. Sciunt hoc, et ideo non unguntur nisi audito conventus signo. Aliquando monentur a suo Martinello, aliquando a vocibus prætervolantis comitatus Sagarum Reginæ, aliquando aliter, juxta Spineum cap. 30. Sunt tamen quidam malefici, qui ex peculiari pacto ad certum quoddam signum, sive unctionem, sive pilei, aut pallii posituram, sive quod aliud, quando volunt alio deferuntur: sed quod dixi, frequentius est.— ✳ " Unguentum vero quo inunguntur sagæ, hac arte confectum refert Paracellus in sua occulta philosophia: ex carne recenti natorum infantium in pulmenti formam coctum, et cum herbis somniferis, quales sunt papaver, solanum, cicuta, etc. miscent, quo ubi se inunxerint, et quædam verba a dæmone suggesta pronuntiarint, confestim ope diaboli per caminos et fenestras avolant. Addit Joannes Baptista *Porta Neapolitanus* lib. 2, cap. 26 magiæ naturalis: puerorum pinguedinem aheneo vase decoquendo ex aqua capiunt, inspissando quod ex elixatione ultimum novissimumque subsidet. Inde condunt, continuoque inserviunt usui: cum hac immiscent cleoselinum, aconitum, frondes populveas, et suliginem, vel aliter sic: sionacorum vulgare, pentaphyllon, vespertilionis sanguinem, solanum somniferum, et oleum (etsi diversa commiscent, ab iis parum diffidebunt) simul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea pertricando, ut erubescant et revocetur calor, rarumque fiat quod erat frigore concretum. Ut relaxetur caro, aperianturque pori adipem adjungunt vel oleum ipsius vicem subiens, ut succorum vis intro descendat, et fiat potior vegetiorque, id esse in causa, non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri videntur ad convivia, sonos tripudiæ, et formosorum juvenum concubitus quos maxime exoptant. Tanta est imaginationis vis, impressionum habitus, ut fere cerebri pars ea quæ memorativa dicitur, hujusmodi sit plena: quum valde sint ipsæ ad credendum naturæ pronitate faciles, sic impressiones capescunt, ut spiritus immutentur, nihil nocte dieque aliud cogitantes: et ad hoc adjuvantur, quum non vescantur nisi betis, radicibus castaneis, et leguminibus ». ✳

Quæres *an revera Striges a dæmone ad conventicula deportentur.*

Respondeo id videri probabilius viris gravissimis qui de hac materia scripserunt. Ita namque censent Laurentius Ananias lib. 4. *De natura dæmonum;* Joannes Franciscus Leonis Episcopus Thelesinus libro *De Sortilegiis;* Alphonsus a Castro *opusc. De Sortilegiis;* Grillandus lib. 2. *De Sortilegiis,* qu. 7. Delrius lib. 2. qu. 16. et alii plures, quos ipse ibidem laudat.

Probatur itaque hujusce responsionis veritas; idcirco negaretur realis illa strigum deportatio; vel quia id non posset diabolus exequi; vel quia Deus non permitteret; vel denique quia nullo testimonio fide digno potest suaderi: sed neutrum ex iis potest affirmari: ergo revera Striges ad suum diabolicum conventum dicendæ sunt realiter deportari. Probatur minor quantum ad primam partem, nempe quod dæmon possit strigum corpora motu velocissimo in remotissima quæque loca deportare; supra namque probavimus Angelos movere posse corpora, quod non solum sanctis, sed etiam perversis tribuitur; dæmones namque nativas dotes retinuerunt; adeoque eamdem nativam virtutem

quam sancti Angeli habent erga corpora: constat autem ex Scriptura S. Angelos varia corpora deportasse. Legimus namque apud Danielem c. 14. quod Propheta Habacuc capillo per Angelum a Judæa in Babylonem brevi temporis spatio deportatus fuerit, et inde reportatus. Similiter Actorum 8. Philippus Diaconus a spiritu ex deserto in Azotum delatus est. Testatur etiam S. Marcus cap. 5. quod dæmones ab hominis corpore Christi Domini imperio ejecti, et porcos ingressi, eos in mare præcipitaverint. Possunt ergo revera dæmones corpora deportare. — *Confirmatur* ipsamet experientia variorum exemplorum, quæ sine protervia nullus negare potest. Primo namque gravissimi sanctissimique Patres referunt Simonem magum coram S. Petro alarum dæmoniacarum remigio in aërem sublatum volitare visum fuisse. Ita cum Clemente Romano *lib.* 6. *Constitutionum Apostolicarum* refert Egesippus *lib.* 3. Cyrillus Hieroscolymitanus *Catechesi* 6. et cæteri: idipsum de Abati Scytha testantur Origenes *lib.* 3. *contra Celsum*, et Nazianzenus *Epist.* 22. Proponit etiam Anglorum Historia Badudum Britanniæ Regem hac arte volandi, sed infelici exitu parem. Idem de Henrico Suecorum Rege testatur Joannes Magnus *lib.* 17. nempe, quod ille Rex in quam partem pileum verteret, in eam subito dæmonum ope asportaretur regionem; Nangiacus *in Chronico* affirmat Berengarium hæreticum et magum eadem nocte Romæ interfuisse, necnon et Turonensi Ecclesiæ, in qua lectionem decantavit. Similia de Matisconensi Comite refert Petrus Cluniacensis: quod nempe equo nigro impositus per aërem subvectus fuerit. Constat ergo dæmonem revera corpora deportare posse, constat pariter iisdem exemplis Deum idipsum interdum permittere. — *Probatur etiam tertia pars* ejusdem *minoris*, nempe quod hoc ipsum constet testimoniis fide dignis. *Primo* quidem illis omnibus attestationibus et confessionibus, quas ab ipsis strigibus exceperunt tum Inquisitores, tum judices ad earum juridicam interrogationem, et damnationem deputati; quorum varia exempla proferunt Paulus Grillandus *lib.* 2. *De Sortilegiis, qu.* 7; Alphonsus a Castro *cap.* 15, addens se multa posse alia afferre testimonia, quæ per fidelissimos testes in Hispania contigisse noverat; Bartholomæus Spinetus sacri Palatii Apostolici magister *qu. De strigibus cap.* 17; Nicolaus Remigius *lib.* 1. *Dæmonolatriæ, cap.* 14. quæ omnia brevitatis causa hic exscribere non lubet. Quibus omnibus exemplis constat revera Striges de loco in locum remotum deferri. ✳ " Accedit quod omnes sagæ, quamvis diversis in locis torturæ subjectæ, uno tamen ore omnes eadem confiteantur ad extremum usque vitæ spiritum: omnesque affirmant cum a bajulis suis deferri debent, se præmoneri, ne signo crucis se muniat, Deive nomen invocent, nullamque vocem edant; ajunt quoque, si qua a suo amasio non invitetur, eo anno huic mortis instare periculum. " ✳

Confirmatur 1. ex eo quod nonnumquam conventu subito dissoluto, repertæ sint mensæ, et suppellex argentea, quæ postmodum a dominis agnita, confessæ sunt eorum uxores se illa secum ad conventum detulisse. *Deinde* Sortiarii illi, et Striges locos omnes, et cibos, et vicina omnia diligenter notant; arbores, flumina, agros, domos discernunt, obvios quoque quos in via habuerint sæpe salutant, et alloquuntur: cernuntur etiam non raro ab aliis viris Catholicis, et mente

sanis ad conventum euntes, vel a conventu redeuntes; interdum etiam visæ, et nudæ deprehenduntur. *Denique* hoc ipsum etiam constat per ea quæ vel ante cursum suum, vel post cursum striges ipsæ referunt. Siquidem ex processu earum damnationis constat, quod interdum priusquam ad diabolicum conventum accedant, reservatam ab eis sacratissimam hostiam secum deportant ad determinatum locum, quam, ait Bartholomæus Spinetus. Diabolo offerunt, variis coram eo injuriis, et ludibriis lacessunt, pedibus conculcant, necnon interdum eam, vel muribus, canibus, imo etiam quod est horrendum dictu, bufonibus comedendam tradunt: quæ omnia per somnium contingere non possunt; siquidem evigilantes quam prius habebant hostiam non inveniunt; quod signum est eam revera ab ipsis execrandis Strigibus, ut referunt, fuisse laniatam, et conculcatam, et vilissimis animalibus traditam. — Idem convincunt alia itidem oblata munera, puta, umbilici pucrorum, galli, gallinæ, et alia hujusmodi, quæ communiter requirunt dæmones sacrilegis eorum sacrificiis. Quod autem res ita se habeant, et isthæc enœnia dæmonum post oblationem non compareant, millies comprobatum esse testantur varii processus hac de re a judicibus editi. — Eisdem Strigibus referentibus constat, quod dum primo deportantur ad cursum, et negatis coram Domina cursus fide Christi atque baptismo, faciunt homagium dæmoni; accipiunt tradente sibi eodem dæmone pugillum terræ, qua secum portata, et realiter apud se inventa conservataque, toto vitæ suæ tempore utuntur personæ istæ pessimæ ad maleficiandum, non solum pueros, verum etiam viros, mulieres cujuscumque ætatis projecto terræ illius modico super eas quas volunt personas perdere. Si autem hæc omnia in somnis contingerent, vel delusorie, nequaquam apud se postmodum vigilantes invenirent.

Confirmat 2. Ex eo quod illæ perditissimæ Striges qualibet hebdomada duobus diebus languescant, mane videlicet diei Veneris, et diei Lunæ, propterea quod ex velocissima reportatione qua illæ noctibus prævis a cursu recipiuntur in propria, patiuntur depositæ quasi vertiginem, et ob hoc lecto decumbentes toto pene illo mane quiescunt. Quo etiam affectu, quasi apertissimo, et clarissimo signo noti earum, suspectas easdem habent vehementissime, quod sint Striges, ubi præcipue præstigiosis operibus alioquin intendunt.

Confirmat 3. Ex eo quod testentur in dictis, et factis dum in diabolico illo resident conventu, et se invicem cognovisse, et comitatas fuisse: fecisse quoque, simulque dixisse, dum sunt in cursu, quæ postmodum concordes referunt, sicut in referendo conveniunt qui vigilant, ea quæ simul vigilantes fecerunt, aut dixerunt, signum autem est apertissimæ veritatis, quod ista non in somnis perficiantur; nam si unus somniaret, aut deluderetur, vel etiam ambo, nullatenus ita mutuo convenirent: non enim experimur, imo impossibile judicatur, et contra naturam, quod duobus contingat eadem in somnis videre putareve quod hæc, vel illa fecerint, vel dixerint, absque ulla penitus differentia, ut talibus accidere comprobatur. Siquidem persæpe plures earum simul ire, redireque, ut nulla sit jam negandi ratio, vel apparentia, quod hæc corporaliter fiant, et in vigilia. Eadem docet, et probat Bernardus Penna Comensis *tractatu de Strigibus*, ex eo quod,

inquit, omnes hujus pestiferæ Sectæ sive mares, sive fœminæ quasi uno ore, et una lingua fatentur, se eumdem modum per omnia uniformiter observare ubique locorum, in abnegando fidem, ac baptisma, et Dominum Deum, ac beatam Virginem Mariam, « ac in conculcando crucem, et adorando ipsum diabolum, et faciendo fidelitatem « tangendo ei manum cum manu earum sinistra post tergum, et in « omnibus aliis, et singulis, quæ in tali ludo, seu congregatione fieri « contingunt : ita ut omnes in idem conveniant, et semper convenerunt « a principio illius sectæ usque in præsens tempus, ut ex earum omnium confessionibus ubique locorum per totam Italiam in manibus « Inquisitorum nostrorum factis, et scriptis in processibus contra eas « formatis liquide constat : quod esse non posset, et non ita in omnibus se conformarent, si phantastice, et in somniis eis ista contingerent, præcipue cum phantasmata, et somnia secundum varietatem causarum, et qualitatem personarum pro loco et tempore varientur ». — *Confirmat secundo* ex eo quod tales personæ pluries pluribus in locis eundo, vel redeundo de dicto suo ludo per personas catholicas sunt realiter, et veraciter visæ, cognitæ, et deprehensæ : « Nam, inquit, ut de his quorum ego certiorem habeo notitiam loquar, « cum ego superioribus annis in Valletelina, in terra scilicet *de Ponte* « Diœcesis nostræ *Comensis* contra harum Strigum pestiferum genus « inquirendo procederem, dictum mihi a fide dignis, quod cum quadam nocte paulisper ante lucem quidam fuisset a duabus personis « catholicis visus, et cognitus in prædicto Strigum ludo, juxta quasdam vineas prope dictam terram *de Ponte* versus Abduam, relicto « dicto ludo, veniens cum illis duabus personis domum, rogabat eos « ne cum apud me accusarent, neque quod in tali ludo vidissent eum « propalarent, ut in processibus quos ibidem tunc feci legitime constat, quod quidem non phantastice, neque in somniis, sed realiter, « et corporaliter fuisse evidenter apparet. Quamdam insuper puellam « octo vel decem annorum, Antoniam nomine, pater, et mater ejus ad « me conduxerunt in dictam terram *de Ponte*, quæ in præsentia illorum, et plurium aliorum retulit mihi qualiter quadam nocte vocata a quadam avita sua nomine Magdalena, surrexit de lecto, et « portata fuit cum ipsa avita sua ad certum locum a dicta terra de « Ponte satis distantem, ubi vidit, et cognovit plures personas in uno « prato choreizantes cum prædicta avita sua : cumque postea iterum « reportata fuit ad dictam terram de Ponte in domum habitationis « suæ : quæ omnia seriose confessa fuit mihi postea Magdalena existens « in manibus officii mei, et interrogata a me, an personam aliquam « ad ipsum ludum conduxisset, prout ex processu contra eam formato « legitime constat. Plures etiam aliæ personæ, et in dicta terra de « Ponte, et in terra Barbeni dictæ vallis, ac etiam in terra Clavenæ, « prædictæ nostræ Diœcesis, cognitæ et deprehensæ fuerunt a diversis « personis in præfato ludo cum diabolo existentes, prout hi qui viderunt mihi juridice retulerunt, et ipsæmet visæ et deprehensæ confessæ sunt in processibus contra eas formatis, ut in eis apparet. « Quæ omnia si quis bene consideret, nequaquam videri neque deprehendi ita clare potuisse ab aliis, si in somniis, aut phantastice ipsis « Strigibus contigissent ».

Confirmatur denique ex eo quod Ecclesia Catholica non punit crimina, nisi certa, et manifesta, nec habet pro hæreticis, nisi qui in hæresi manifeste sunt deprehensi. *Cap. consuluisti* 2. *qu.* 5. Striges autem jam a plurimis annis pro hæreticis habet, et jubet per Inquisitores puniri, et brachio sæculari tradi, ut patet ex libris *Sprengeri*, *Nideri*, *Jacquerii*, et docet experientia. Ergo vel Ecclesia errat, vel isti errant qui ista pernegant: sed Ecclesia in re ad fidem pertinente errare qui dixerit, *Anathema maranata* sit.

Narrat Cumanus exemplum hujus delationis veritatem declarans. « In Mendriosio, inquit, oppido Comensi, contigit jam fere annis quin- « quaginta elapsis, ut cum ibi quidam Inquisitor nomine *Magister* « *Bartholomæus de Nomate, Dominus Laurentius de Comoretto, Po-* « *testas, et Joannes de Fossato Notarius*, contra has Striges procede- « rent, una die ista potestas quadam curiositate ducta volens expe- « riri, an vere, et corporaliter Striges irent ad ludum, facta conven- « tione, accessit quodam die Jovis sero cum Notario suo, et quodam « alio extra oppidum ad quemdam locum, sicut illi Strix prædixerat: « et dum ibi prope essent illi tres, viderunt ibi plures personas con- « gregatas coram quodam, qui erat diabolus in forma hirci, ad mo- « dum cujusdam magni Domini sedente: et ecce subito omnes illæ « personæ ibidem congregatæ jussu diaboli, adeo illum Officialem, et « omnes ejus socios, Deo ob eorum curiositatem permittente, baculis « percusserunt, quod ex talibus percussionibus ille Officialis, et No- « tarius, et tertius alius infra quindecim dies mortui sunt ». Hæc ille: quo facto sufficienter probatur hæc ipsa realis ac personalis deportatio. Nihilominus qui eam in dubium revocant

Objiciunt primo Canonem Concilii Ancyrani quibus ordinatur Episcopis eorumque Ministris, ut in sacrilegos, et Striges animadvertant his verbis: *Episcopi eorumque Ministri omnibus viribus elaborare studeant, ut perniciosam, et a diabolo inventam sortilegam et maleficam artem penitus ex suis parochiis eradicent, et si aliquem virum, aut feminam hujusmodi sceleris sectatorem invenerint turpiter dehonestatum, de parochiis suis ejiciant: ait enim Apostolus ad Titum* 3. Hæreticum hominem post secundam et tertiam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est; *subversi sunt enim, et a diabolo capti tenentur, qui derelicto Creatore suo a diabolo suffragia quærunt, et ideo a tali peste mundari decet sanctam Ecclesiam. Illud etiam non est omittendum quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ dæmonum illusionibus, et phantasmatibus seductæ, credunt, et profitentur se nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multa terrarum spatia intempestæ noctis spatio pertransire, ejusque jussionibus velut Dominæ obedire, et certis noctibus, ad ejus servitium revocari.* Deinde declarat quod hæc omnia operetur dæmon per phantasmatum illusionem somnii tempore, unde subdit: *Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire. Quis enim non in somniis, et nocturnis visionibus, extra se educitur, et multa videt dormiendo, quæ numquam videret vigilando? Quis vero tam stultus et hebes est, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbi-*

tretur? Deinde infra: *Omnibus itaque annunciandum est publice, quod qui talia, et similia credit, fidem perdit, et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, idest, diaboli.* — **Respondet Franciscus Penna**, decretum præfatum eis, quæ in confirmationem realis deportationis Strigum dicta sunt, non adversari; *Ibi enim,* inquit, *non agitur de Lamiis, et Strigibus, sed de quibusdam hæreticis qui credebant quod Diana fuit in Deam conversa, et quod creatura mutari, aut transformari potest ex una substantia in aliam:* unde subdit præfatus Canon.: *Quisquis ergo credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius mutari, aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, et per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, et pagano deterior.* — *Respondent* Alphonsus a Castro, et Delrius, dato quod ille Canon revera sit Concilii Ancyrani, quod tamen plerique pernegant, quia in Concilii hujus exemplaribus Græcis aut Latinis hodie non exstat, respondent, inquam, quædam in illo Canone narrari quæ per naturam rerum a dæmone perfici non possunt; ut equitare cum Diana vel Herodiade, cum nec ulla sit Diana Dea, nec Herodias illa ullibi in terris equitet, siquidem in inferno cruciatur. Item, quod equitent super ullas bestias quæ tanta spatia tam cito, et per aërem conficere nequeunt. Item cognoscere aliquam naturam divinam præter Deum, revera hæreticum est. Quocirca illa merito a Canone proscribuntur, et damnantur: non vero damnat Canon tamquam hæreticum, quod quis credat ea fieri a dæmone, quæ ipsius vires non superant, qualis est illa Strigum deportatio. Vera itaque Canonis explicatio est, eos hæreticos esse censendos, qui credunt; *primo,* quod aliqua sit Dea, quæ vocetur Diana, vel Herodias; *secundo,* quod aliqua deportetur ad serviendum alicui tali Deæ; *tertio,* quod aliquis possit ab alio, quam a Deo in alteram speciem converti. Non autem censet Canon eos esse hæreticos, qui contendunt Striges, et Sortiarios personaliter ad longe dissita loca deportari. ✳ " Itaque non abnuo frequenter lamias virtute unguenti in profundum somnum incidere, et diabolum in somno earum imaginationi talia phantasmata, de volatu, choreis, imprimere, et in tali phantasmate eas, donec evigilent detinere, corpore interim in lecto aut cubili quiescente. Suppeditat enim illis fraudulentus ille magister naturalia quædam pharmaca, quibus ubi se inunxerint confricuerintque per fornacem mox se evolaturas, ac per aërem longe lateque evagaturas ad tripudia, dulcissima symposia, concubitus et gratissima rerum spectacula, confidunt: quæ tamen per insomnia ipsis ingerit mille artifex, ubi ab inunctione somniferi omnino unguenti in profundissimum lethargicumque somnum delabuntur insciæ, ut Wierus cap. 2. *De lamiis* scriptum reliquit. " ✳

Objiciunt 2. Varia exempla, quibus constat, quod inunctæ mulieres, quæ Striges dicebantur, non fuerint ita deportatæ, sed eodem in loco repertæ fuerint jacentes gravi somno sopitæ; in cujus rei veritatem quatuor exempla profert Bartholomæus Spineus. ✳ " Quin etiam in vita S. Germani legitur quod cum nocte quadam in diversorio mensa iterum a cœna sterneretur, admirans inquisierit ab hospitibus, cui cœna pararetur? eique responsum sit, bonis illis viris ac fœminis quæ nocte vagantur. Itaque Sanctus vigilare statuit, et ecce

multitudinem ad mensam virorum ac mulierum venientem, quibus ille mandans ne abirent, tota familia excitata, quæsivit num quem ex iis cognoscerent? His, omnes vicinos, ac vicinas esse, dicentibus, singulorum ædibus perscrutatis, omnes in suis lectulis decumbentes invenit. Itaque statim omnes adjuravit, qui, se dæmones esse, confessi sunt. " ✻ — **Respondeo primo**, hæc equidem interdum contingere varias ob causas, tum ex parte Dei, tum ex parte dæmonis. *Ex parte quidem Dei* aliquando impedientis pacta cum Magis inita servari; ad nempe revincendam hominum curiositatem; maxime vero Inquisitorum et Judicum, qui inutili, et vana curiositate ducti interdum experiri volunt, num revera Striges taliter inunctæ alibi personaliter deportentur. *Ex parte vero diaboli*, qui interdum Sagas decipit, eas loco non movendo, ut sic Judicibus, et Principibus suadeat falsa esse, quæ de talibus transvectionibus feruntur, atque ita justitiæ executionem impediat. Pactum ergo frustratur, quando majorem humano generi perniciem inde sperat. *Respondeo secundo*, quod interdum etiam dæmon simulacra quædam Striges, et Sortiarios referentia in eorum locum substituit, ut putentur non translati, sed illic remansisse.

Instabis: longe facilius dæmon singula hæc cum singulis Strigibus sigillatim ageret: nulla ergo apparet causa, cur Striges ad conventiculorum frequentiam deporcet. — **Nego consequentiam**, multa enim, inquit Delrius, hinc ille commoda percipit. *Primo* namque, per hanc societatem, et plurium consortium vehementius in malitia roventur, et indurantur. *Secundo*, hoc pacto criminis participatione singulorum peccata aggravantur. *Tertio*, talibus illicibus, et variis, quæ illic fiunt, inductionibus, plures facilius implicat. *Quarto*, multitudo facit audaciores ad malum; tollit Dei, hominumque timorem, et mutua imitatione ad majora facinora inflammat, ut solent carbones juncti. *Quinto*, voluptas nefaria major videtur, quo pluribus innotescit. *Sexto*, difficilius convertuntur, quo pluribus testibus se dæmoni addixerunt et actuum frequentatione quasi quodam habitu occuluerunt. — Addit Delrius has translationes, de quibus quæritur, posse quatuor modis contingere: *Primo*, sola cogitatione, quod Scriptura sacra vocat *transferri in spiritu:* similis fuit illa visio Ezechielis, cap. 8. ubi ita: *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram, et cœlum, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei, etc.* Ultimum enim verbum modum præcedentibus ponit verbis, ne putemus hanc similem fuisse translationem illi qua deportatus fuit Habacuc, de qua Daniel cap. 14. *Aliquando* suis pedibus commeant ad conventus, ut narrat Remigius, et Binsfeldius. *Tertio*, a dæmone revera secundum corpus, et motum localem transferuntur. *Quarto*, aliquando potest contingere, ut ipsi ignorent corporaliter, an opinione dumtaxat translati fuerint. ✻ " De earum aurigis seu bajulis Paracelsus in sua magna Phil. ita scribit: sagarum anasii, sive ascendentes, spiritus sunt, per se quidem invisibiles, tactu tamen instar venti perceptibiles, et possunt fictitiam formam pro sagarum voluntate recipere, et eos certis temporibus, locisque cum suis sagis convivia celebrare, et eas ad constitutum locum sine omni læsione convehere, non aliter quam ventus validus plumam e terra sublatam in aëre circumfert, donec in certum locum deponat. " ✻

Proditum invénio in quibusdam P. Joannis Maldonati scriptis de dæmonibus, quod quando volunt corporaliter transferri, tum se inungunt unguento ex infantilis corpusculi adipe: quando conventibus per somnium duntaxat interesse volunt, tum in sinistrum cubare latus: quando vero malunt vigilantes quæcumque in conventu fiunt cernere, ut coram se geri, tum opera dæmonis ex ore vaporem quemdam crassum evomunt, in quo gestorum imagines, ut in speculo intueantur.

Quæres 2. *An, et quæ mala diabolus per Striges hominibus inferat?*

Respondeo innumera propemodum, et infestissima quæque a dæmone per execrandos illos Sortiarios, nefandasque Striges interdum hominibus inferri. *Primo,* namque horum perditissimorum ope puerulis adhuc in cunis vagientibus insidiatur, ut evacuato, et epotato eorum sanguine, vitam eis adimat. Quamobrem plerumque Sortiarii, et Striges felis, ac catti larvatam figuram induunt, ut maxime nocturno tempore pueros in lectulo jacentes adoriantur, eorumque sanguinem per umbilicum exsugant. ✻ " Memorat istud Ovidius *lib. 6. fastorum,* ubi de strigibus, quas infaustis volucribus assimilat, ita canit:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris;
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen: sed nominis hujus
Crassa; quod horrenda stridere nocte solent.

Addunt alii striges nocturnas ubera tabo et viru infecta infantibus lactantibus præbere. Unde serenus poëta

Præterea si forte premit strix atra puellos
Virosa immulgens exartis ubera tabis

Ideo in locis ubi decumbunt puerperæ Judæorum, solent scribere contra parietes *Lilit foras,* quæ ut nugantur puerperas turbare solent et infantibus lactantibus est molestissima.

Cujus autem infestationis " ✻ plurima exempla profert Bartholomæus Spineus *cap.* 18. *et* 19. quorum unum hic exscribo. « Quidam, inquit, « cap. 18. Andreas Magnatius Bergomensis habitator Ferrariæ hac « hyeme mihi narravit, quod a quodam suo affine Venetiis commo- « rante, cognovit hoc quod contigit superioribus annis: quamdam, in- « quam, puellam quæ cum Matre Bergomi morabatur, inventam fuisse « nocte Venetiis in thalamo dicti sui affinis, quam mane repertam « nudam, recognitamque, quia consobrina erat, cum interrogassent, « quomodo illuc venisset, aut ibi esset, et quare? Plorans illa post- « quam vestita ab eis fuit, hæc quæ inferius insero narravit dicens: Hac « nocte cum in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quæ me dormire « putabat surgentem de lecto, et exutam camisa, se quodam unguento, « quod ex vasculo assumpsit de sub asseribus extracto perungentem « corpus. Et statim in assumpto baculo quodam ibi præparato, in mo- « dum equitantis ascendens, extra fenestram deportata est, et a me « nequaquam ex tunc ibi visa. Cumque ipsa quoque de lecto sur- « gens, meum, ut mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram

« educta, statim in hunc locum deportata sum, ubi matrem puero huic « lecto decumbenti insidiantem vidi: ex quo ego territa cum matrem « etiam ob meum adventum conturbatam vidissem, et comminantem « nomen Domini Jesu, et Beatæ Virginis invocavi, et ex tunc matrem « non vidi, et ego hic nuda, solaque remansi. His auditis a puella, « scripsit omnia hæc affinis ille, narravit Inquisitori Bergomensi, a « quo capta mulier, et tormentis exposita, cuncta confessa est: et ad- « didit se a dæmone plusquam quinquagesies deportatam, ut puerum « illum filium prædicti affinis occideret: sed tamen prævaluerat num- « quam, eo quod semper eum invenerit signo Crucis, et sanctis ora- « tionibus a parentibus bene munitum. » Aliud huic simile ex eodem a nobis exscriptum habes supra quæst. 3. *De activitate dæmonum*.

Quare autem Deus permittat, ut sic nefandæ Striges pueruli insidientur, varias causas profert Delrius lib. 2. quæst. 5. Primo quidem Deus id permittit quoad baptizatos: quia, inquit, sic a multis peccatis præservati in cælum rapiuntur felices a ternum victuri, et securi, quod malitia non mutabit intellectum eorum. Permittit hoc etiam Deus in pœnam parentum, aut ad eorum probationem, teste S. Augustino lib. 21. *De Civit. Dei* cap. 14. Ante baptismum vero perceptum non raro permittit Deus illos occidi, ne propter actualia peccata, quæ comissuros videbat si viverent, graviorem sibi damnationem acquirant: neque Deus propterea crudelis erit, aut non justus, quia propter solum originale peccatum mortem merebantur. Sane nondum ablutis unda sacra videmus, ut plurimum, dæmones insidias struere, et eorum nece gaudere. Quia tunc, qui necant maleficei longe gravius peccant, et atrocius Deum offendunt, nam plane innocentes, atque innocuos anima simul, et corpore perdunt, præsertim si liberos proprios occidant, quos et dæmoni offerre, et occidere sæpe solent Striges: sicut olim faciebant Chananæi, et cultores Molochi.

Cur vero potissimum tam teneræ ætati noceant, multæ sunt causæ. Hæc ætas est imbecillior ad resistendum, est incautior ad cavendum, nequit earum conatum deprehendere, vel revelare, vel accusare: petunt etiam ab his instrumenta maleficiorum; nam persuasum habent, si certo numero corda infantium exciderint, et comederint, se patientiam omnium tormentorum consecuturas, adeo ut ad confessionem criminum perduci non queant. Conficiunt quoque ex corpusculis infantium occisorum horrendum illud unguentum suum, quod Grillandus dicit vocari in Italia *unguentum paganum*.

Addit Sprengerus parte 2. quæst. 1. cap. 13. obstetrices maleficas maxime pueruli recenter natis insidiari: qua de re varia profert exempla, quorum unum, aut alterum exscribo. « Contigit, inquit, in Diœcesi « Basileensi in oppido *Dann*, ut mulier quædam, quæ ustulatione pe- « riit, fateretur se ultra quadraginta pueros necasse per modum talem, « ut quando ex utero egrediebantur, acum capitibus eorum per verti- « cem usque in cerebrum infigeret. Altera etiam in Diœcesi Argenti- « nensi, pueros absque numero, puta quia de numero non constabat, « se interemisse fassa fuerat. Taliter autem fuit deprehensa: nam ubi « ex uno oppido in aliud causa obstetricandi mulierem quamdam vo- « cata fuisset, officio suo completo, dum ad propria redire volebat, ubi « portam oppidi exivit, casu brachium pueri recenter nati ex linteo

« quo præcincta erat, cui et involutum brachium fuerat, ad terram « cecidit. Quo viso ab eis, qui infra portam sedebant, dum illa præ- « teriisset, levatum e terra, ut putabant petiam carnis, cautius intue- « bantur, et cum non petiam carnis, sed brachium pueri per articulos « membrorum agnovissent, consilio cum præsidentibus habito, et in- « vento, quod infans ante baptismum decesserat, brachioque careret, « malefica capitur, quæstionibus exponitur, et crimen detegitur: sic- « que, ut prædictum est, absque numero se infantes interfecisse re- « cognovit. Sed et hoc horrendum facinus silentio prætereundum in « detestationem tanti criminis non est; nam ubi infantes non interi- « munt, tamen illos dæmonibus execrandum per hunc modum offe- « runt. Nato enim infante, obstetrix, ubi puerpera malefica per se « non existit, tunc quasi quid operis pro infantis refocillatione actura, « ipsum extra cameram deportat, et sursum elevans principi dæmo- « niorum, scilicet Lucifero, et omnibus dæmonibus immolat; et hoc « in loco coquinæ super ignem apponit ».

Respondeo 2. Dæmonum ope Striges innumera, ingentiaque mala interdum hominibus procreare: idque constat variis historiis, et exemplis, ut videre est apud supra laudatos Auctores; nam, ut missa faciam maleficia insomnii, amatorii, veneficii, aborsus, ligaminis, odii, incendii, et alia hujusmodi, certum est Striges, et Sortiarios varia morborum genera hominibus procreare. Cujus veritatis multa suppetunt exempla, quæ in longum referunt præfati Auctores, maxime vero Sprengerus *parte* 2. *mallei maleficarum qu.* 1. *cap.* 11. necnon et Delrius *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 4. *sect.* 5. Grillandus, et alii: quam utique nefariam virtutem, Deo ita permittente, in cujusvis status homines exercent, ut fuse demonstrat Delrius *q.* 5, etiam interdum in ipsos Judices, qui eos pœnis et suppliciis adjudicant. Quod enim vulgo fertur, Striges nullam habere amplius maleficiandi virtutem statim, ac in manus justitiæ incidunt, id tantum Laurentius Ananias *lib.* 4. *De Natura Dæmonum* restringit ad eos Judices, qui Deum præ oculis habentes, recte, riteque suo funguntur officio: nam quos avaritia excœcat, quos trahit ambitio, quos crudelitas vel vindictæ amor stimulat, crebro sic a dæmone excipiuntur et appetuntur, ut aliquando necem non evadant. Quamobrem cum præfatis Auctoribus verius dicendum arbitror, hoc immunitatis privilegium solis concessum Judicibus, qui firmitatem fidei, et justitiæ zelum cum pietate jungunt, quæ quia plurimis desunt, idcirco hoc peculiari Dei auxilio carentes a dæmonum, et Strigum incursibus non sunt immunes.

Quæres denique: *qua de causa Deus permittat dæmonem per Sortiariorum maleficia in homines innocentes grassari?*

Respondeo variis de causis Deum hæc maleficia permittere. *Primo* namque exinde Dei gloria summopere augetur per gloriosam quorumdam suorum attributorum manifestationem. Primo quidem apparet ejus *suavitas* in gubernando; quia cum dæmoni liberum arbitrium dederit, ipsi violentiam perpetuam non esse inferendam judicat, impediendo nempe ne perficiat illud quod summopere exoptat, videlicet in humanum genus grassari. *Clementia* pariter hinc elucet in humanum genus; quia si quantum vult, et potest, diabolus nocere permitteretur,

nemo foret illæsus; ideo frequentius illi Deus facultatem nocendi denegat, nec quantum nocere optaret, sinit; ut inde appareat ipsum humanæ naturæ curam gerere. *Sapientia* etiam exinde emicat, quia cum diabolum Deus naturalibus suis viribus uti permittat; gratia tamen sua interdum efficit, ut ab hominibus, quos lacessere, et dejicere diabolus intentabat, patientia superetur, ac vincatur. Sicque fit, ut Strigum peccata aliis hominibus vertantur in merita. *Justitia* denique probatur, sed misericordia temperata, quia nempe hominum delicta in hominum vita sic punit, ut nihil supersit solvendum in altera.

Apparet etiam exinde summa hominum utilitas; nam quibus maleficio nocitum, eorum *primo* patientia exercetur, constantia roboratur, devotio accenditur, et homines a pietate deviantes, ad pœnitentiam, et sacramenta Ecclesiæ usurpanda, ac frequentanda revocantur. *Secundo* exinde constat num Deum revera diligant, necne; tunc enim qui Deum non diligunt, ad vetitas artes confugiunt: qui Deum amant, illi patienter ferunt, et se divinæ voluntati, atque præsidio committunt. *Tertio*, hi dæmonum insultus viam facilem ad omne opus virtutum sternunt, afflictio enim intellectum dare solet, et animas a peccatis, et exitio servare, necnon ab admissis revocare. Plures alias hujusce divinæ permissionis causas refert, et expendit Delrius *lib.* 3. *quæst.* 7.

Hic superessent adjicienda remedia quibus et caveri, et depulsari possint omnia illa dæmonis, ac Strigum maleficia: verum congruentiori ordine ista proferemus, dum de maleficiis, et incantationibus nobis erit sermo in *Tractatu de Virtutibus, et Vitiis*, maxime Fidei vivæ, ac perfectæ oppositis. Interim fidem iliam spe firmatam, charitate succensam habeas velim (amice Lector): *Fides* enim *clypeus est* (inquit S. Paulus ad Ephesios 6.) *in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere;* nam ait Christus Dominus Marci 16. *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Josephi Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS PRIMUS.

De Angelorum Natura, Operationibus, et Præcellentiis. 7

DISPUTATIO PRIMA.

De Angelorum Existentia, Natura, et Ordine. . . . 8

ARTICULUS I. De Angelorum existentia. 9

QUÆSTIO I. An revera constet Angelos existere . . . . ib.

QUÆSTIO II. Quo tempore, et loco creati fuerint Angeli . 17

ARTICULUS II. De Natura, et Substantia Angelica . . 24

QUÆSTIO I. An Angeli sint omnino incorporei, et prorsus immateriales . . . . ib.

QUÆSTIO II. An, et quomodo Angeli sint incorruptibiles, et immortales 40

QUÆSTIO III. An, et quomodo Angeli ab Anima rationali distinguantur 46

ARTICULUS III. De numero, et ordine Angelorum. . . 54

QUÆSTIO I. An certo cognosci possit multiplex Angelorum numerus . . . . . ib.

QUÆSTIO II. An inter Angelos plures sint specie, et solo numero distincti . . 60

QUÆSTIO III. Quid, et quot sint Angelorum Hierarchiæ, et Ordines 71

QUÆRES I. An singuli Angeli propria habeant nomina. . 79

DISPUTATIO SECUNDA.

De Facultatibus, et Operationibus Angelorum. . . . 81

ARTICULUS I. De Intellectu, et Cognitione Angelorum . 82

QUÆSTIO I. Quis, et qualis sit intellectus Angelicus . . 83

QUÆSTIO II. An, et qualiter Angeli res intelligant per earum species 93

QUÆSTIO III. Quodnam sit objectum cognitionis Angelicæ 114

QUÆSTIO IV. An, et quomodo Angeli sibi invicem loquantur 132

QUÆSTIO V. An, et qualiter unus Angelus alterum illuminare possit 148

ARTICULUS II. De Voluntate Angelica 155

QUÆSTIO I. An Angelica voluntas revera sit libera, et mutabilis. 156

QUÆSTIO II. An, et qualiter Angelus Deum, seipsum, et alia diligat 165

ARTICULUS III. De potentia Motrice, et Executiva Angelorum 175

SECTIO I. De Loco Angelorum. . . . . ib.

QUÆSTIO I. An, et per quid Angeli constituantur in loco 176

QUÆSTIO II. Qualiter Angeli existant in loco. 190

SECTIO II. De Motu Angelorum 203

QUÆSTIO I. An, et per quid Angeli localiter moveri dicantur. . . . . ib.

QUÆSTIO II. Qualis, et quotuplex distingui possit motus Angelicus 316

QUÆSTIO III. An Angelus possit transire de uno loco ad alium non transeundo per spatium intermedium . . 229

QUÆSTIO IV. An, et quæ sit Angelorum durationis mensura 235

SECTIO III. De Activitate Angelorum erga corpora . 251

pag.

Quæstio I. An, et qualiter Angeli soleant in assumptis corporibus apparere . . . 254
Quæstio II. An, et quas Angeli operationes vitæ edere possint in corporibus assumptis 267
Quæres I. An etiam ex viro incubo, et dæmone succubo filii nasci possint 277
Quæres II. An dæmones possint animalia per se producere 278
Quæres III. An dæmones possint corpora in aliam speciem mutare. . . . . ib.

DISPUTATIO TERTIA.

De Angelorum gratia, merito, et demerito 282
ARTICULUS I. De Gratia Angelis concessa 283
Quæstio I. An, et in qua beatitudine creati fuerint Angeli. . . . . ib.
Quæstio II. An, et qualem gratiam habuerint Angeli . 292
Quæstio III. An, et quomodo Angeli gratiam sanctificantem, et suam beatitudinem ex propria operatione, et merito fuerint assecuti . . 303
Quæres I. Qualis fuerit viæ Angelorum duratio . . . 312
Quæres II. Quamdiu duraverit Angelorum via 314

pag.

ARTICULUS II. De Officiis sanctorum Angelorum erga homines, et Obsequiis hominum erga Angelos 315
Quæstio I. An omnes omnino Angeli ad hominum obsequia interdum deputentur 316
Quæstio II. An, et qualiter Angeli sancti ad hominum custodiam deputentur . . . 325
Quæstio III. Quænam beneficia per suam custodiam nobis impendant Angeli, quæve ob eam eis rependat Deus, nosque eis rependere debeamus 344
ARTICULUS III. De Angelorum peccatis, et pœnis . . 356
Quæstio I. An, et qualiter Angeli peccare potuerint . 359
Quæstio II. Quodnam, et quale fuerit primarium, et capitale diaboli peccatum . . 378
Quæstio III. An voluntas dæmonum ita sit in malo obfirmata, ut nec possit aliquatenus resipiscere, nec bonum aliquod operari. 399
Quæstio IV. An, et quali pœna dæmones crucientur. . 416

APPENDIX.

De infestatione, et cruenta dæmonum in humanum genus sævitia 436

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Absolutum.

Omne Absolutum, ab altero realiter distinctum, potest existere sine ipso, saltem divinitus 245

Actus.

Actus meritorius non potest elici ab Angelis, et hominibus damnatis 410
Actus moralis bonus potest absolute haberi ab Angelis, et hominibus damnatis, licet numquam habeant propter obstinatam in eis malitiam. 411
Ideo actus, quo dæmones credunt, non est bonus, quia oderunt creditum 412
Quomodo aliquid possit esse in actu, et in potentia simul. 214
Ad rationem actus vitalis sufficit, quod per ipsam potentiam vitaliter objectum suum percipiat, nec aliud requiritur 143
Actus vitalis quomodo producatur . . . . . ib.

Æqualitas.

Æqualitatem cum Deo appetierunt Angeli secundum se spectatam 392
Æqualitas Angeli cum Deo qualiter sit non ens . . . 396
Æqualitas cum Deo potuit ab Angelo apprehendi sine errore. . . . . ib.
Æqualitatem cum Deo appetere potescrta Voluntastea appetitu inefficaci. . . . 395

pag.

Æternitas.

Æternitas triplicem importat negationem 235
Æternitas differt ab ævo, et tempore . . . . . ib.

Æviternitas.

Æviternitas differt ab æternitate dupliciter 235
Æviternitas non est successiva. 237
Æviternitas primi Angeli est notior quoad se æviternitatibus aliorum Angelorum. 248

Ævum.

Ævum primi Angeli est simplicius, et invariabilius, quam ævum aliorum Angelorum 248
Angeli substantia, et operationes conveniunt in ratione ævi, quamvis in ratione talis, vel talis ævi discrepent 250

Amor.

Amor duplex, naturalis, et supernaturalis. 165
Amor naturalis multipliciter accipitur 166
Amor alicujus fieri potest major tripliciter . . . . . ib.
Amor naturalis inest Angelo. 167
Angelus potest cessare ab amore sui 173

Amare.

Potest dici, Angelum se amare necessario quoad specificationem, non vero quoad exercitium 168
Angelus naturaliter Deum amare potest 169

pag.

Angelus.

Angelorum quanta sit dignitas. 7
Angelorum naturam, quam difficile sit explicare. . . 8
Angeli nomen officium non naturam explicat . . . . ib.
Angeli sunt agiles in exequendis Dei mandatis . . . . ib.
Angelici nominis triplex acceptio 9
Angeli nomen iis omnibus tribuitur qui a Deo delegantur. ib.
Angeli nomen solam substantiam intellectualem creatam, et materiæ expertem designat, sive bona sit, sive mala 10
Angeli nomen significat eas felices, ac beatas mentes, quæ tertium ordinem ultimæ Hierarchiæ cælestis implent . . . . . ib.

Angelorum existentia.

Angelorum existentia tribus effectibus probari potest . ib.
Angelorum existentia non rite colligitur ex motu Cælorum. ib.
Angelos existere S. Scriptura pluribus in locis suadet . 11
Angelorum existentiam probat Concilium Lateranense 12
Angelus, qualiter dicatur esse propter hominem, et homo propter Angelum . . . . ib.
Angelorum existentia sufficienti ratione probatur ab operibus Magorum, et Energumenorum 13
Angeli revera sunt a Deo conditi 17
Angeli fuerunt a Deo creati propter triplicem finem. . 18
Angeli non sunt ab æterno creati, nec post completam mundi formationem, sed una cum ipsius orbis formatione, ut suadent Concilia Lateranense, Constantinopolitanum, sacra Scriptura, et sancti Patres . . ib.
Angelos creare non debuit Deus ante mundi formationem 22

pag.

Angeli non moventur necessario ad motum Cæli. . . 23
Angeli creati fuerunt in Cælo sidereo . . . . . ib.

De Angelorum Natura.

De Angelorum natura variæ sunt sententiæ. 24
Angelus variam habet compositionem 26
Angelos omnino incorporeos sacra Scriptura, Concilium Lateranense, et SS. PP. insinuant, et ratio suadet. . 26
Angeli qualiter dicantur operationes corporeas exercere, et pœnas pati 32
Angelorum corporeitatem propugnant plurimi e SS. Patribus, maxime sanctus Augustinus, verum anceps, et dubius loquitur. 31
Angeli non constant ex materia, et forma physicis . . 38
Angeli nusquam deficiunt. . 41
Angeli sunt incorruptibiles absolute 42
Angelus licet non habeat repugnantiam, ut a Deo possit destrui, non tamen ad id habet potentiam naturalem, sed obedientialem. . 15
Angeli secundum naturalia præstant hominibus . . . 16
Angeli specie differunt ab anima rationali. 48
Angeli non omnes ampliori beatitudine donantur, quam homines 53

Angelorum numerus, et ordines.

Angelorum numerum, et ordinem explicare difficile est. 54
Angelorum numerus maximus est, non tamen infinitus ib.
Angelorum numerus Deo est determinate cognitus, non vero nobis 56
Angeli sunt plures, quam nobiliora specierum corporearum individua 58
Angelorum numerus longe excedit hominum numerum. 59
Angelus non est natura sim-

pag.

plex, nec purus actus sicut Deus 61
Inter Angelos est distinctio specifica . . . . . ib.
Angeli cur potius distinguantur specie, quam homines. 63
Angeli nulli sunt speciei ejusdem . . . . . ib.
Angelica natura est communicabilis pluribus specie diversis 64
Angelus annihilari potest, et alius ejusdem speciei reproduci 6

Angelorum operationes.

Angelus unus quomodo dicatur ab alio purgari . . . 78
Angeli habent specialia nomina 79
Angelorum septem sunt Principes, septemque dæmonum . . . . . ib.
Angelus non cognoscit per suam substantiam. . . . 85
Angeli qualiter dici possint actus puri, et esse in actu. 86
Angelus dependet a rebus corporeis, ut ab eis accipiat species, quarum opera illas corporeas intelligat . . . 90
Angeli discurrere possunt, quia cognoscunt, et deducunt conclusiones ex præmissis. 917
Angelorum virtus ad intelligendum repeti debet, ex eo quod evidentius res intelligant, quam naturæ intellectivæ sibi inferiores . . . 101
Angeli possunt aliquid de novo cognoscere 102
Angelus sua sola essentia, et intellectu habet totalem causam suæ intellectionis . 107
Angelus in entitate sua supernaturalia cognoscere nequit naturæ viribus . . . 117
Angelus quamvis naturaliter cognoscat Christi Domini humanitatem propria subsistentia spoliari, inde non sequitur, quod cognoscat mysterium Incarnationis naturaliter 120
Angelus nequit occultare alteri Angelo mentis affectum, sicut nec essentiam . . . 123
Angelus habet facultatem executivam ab intellectu, et voluntate distinctam. . . . 175
Angelos producere posse aliquod lumen quo magis perficiatur innatus Cæli splendor, incertum est, et fictum 184
Angeli interdum apparent hominibus in corporibus visibilibus. 257
Angelorum alii assistentes, alii administratores . . . 316
Angeli præsunt Ecclesiis, Templis, et Religiosis . . 342
Angelus potest sui conceptûs notitiam in Angelo distante producere absque eo quod producat aliquid in medio. 145
Angeli cur non possint efformare corpora perfecte organizata 255
Angeli non efformant sibi corpus ex Cæli substantia, nec pure elementari, sed ex substantia mixta 260
Angeli cum corporibus assumptis possunt corpora hominum subire 263
Angelus ut vere dicatur corpus assumere, oportet ut ipsum moveat motu progressivo, qui sit vitæ indicium 266
Angeli possunt in corporibus assumptis ambulare . . . 268
Angeli non possunt corpora sic assumpta vegetare . . ib.
Angeli in corporibus assumptis vere non loquuntur . 271
Angelus potest seipsum per sui speciem cognoscere. . 111
Angelus non potest per eamdem speciem cognoscere rem existentem, ut non existentem 112
Angelus per suæ propriæ substantiæ intuitum nequit alterum Angelum cognoscere. 113
Angeli non cognoscunt secreta cordium 120
Angelus cognoscere potest entia supernaturalia quoad modum naturæ viribus . . 117

pag.

Angeli cognitione conjecturali multa secreta cordium cognoscunt 122
Angelus tam potest cognoscere cogitationes nostras, quam suas, quas utique cognoscit, licet sint ordinis moralis 123
Angelus potest recipere cognitionem ab alio, quam a se formatam, nec inde sequitur, quod possit producere visionem beatificam . . . 140
Angeli habuerunt distinctam, et evidentem cognitionem mysteriorum sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis ex parte attestantis, non vero ex parte rei revelatæ . 312

De custodia Angelorum.

Angeli revera ad hominum custodiam deputantur . . 327
Angelos ad homines mitti, decet ordinem divinæ Potentiæ, et Sapientiæ, et dulcedinem divinæ Misericordiæ. 329
Angelica custodia non detrahit hominum libertati. . . . 332
Angelus unus plurium hominum nequit esse custos. . 333
Angeli custodes deputantur hominibus ab instanti illorum nativitatis. 334
Angelos custodes largitur Deus etiam reprobis 335
Angeli custodes non deserunt homines quantumvis peccent 336
Angelum custodem habebit Antichristus. 337
Angelum custodem non habuit Christus Dominus. . . . 338
Angelum custodem habuit beata Virgo. 340
Angeli non solum hominum, sed et aliarum rerum sunt custodes, et administratores. ib.
Angelorum custodiæ sex sunt effectus 347
Angeli custodes ob impensa nobis ministeria gloriam accidentalem suscipiunt . . 352
Angelos nostros custodes debemus venerari 353
Angeli quomodo ceciderint . 356

pag.

Angelorum Gratia, et Gloria.

Angelus potest conferre ad beatitudinem alterius per modum alicujus appendicis, manifestando nempe aliquam veritatem ipsi prius ignotam 153
In Angelis duplex est beatitudo, naturalis, et supernaturalis 283
Angeli fuerunt creati in statu beatitudinis naturalis . . 284
Angeli non fuerunt in beatitudine supernaturali conditi. 286
Angeli creari potuerunt in statu beatitudinis. 291
Angelorum existentia æviternitate mensuratur . . . 237
Angelus non potest naturaliter homines in extasim rapere per visionem intellectualem 321
Angelus immobiliter adhæret fini ultimo per determinationem extrinsecam, non autem per intrinsecam. . . 163
Angeli possunt cognoscere futura contingentia cognitione conjecturali, idque quatuor modis 116
Angeli non cognoscunt futura contingentia a causis liberis pendentia, illa tamen cognoscere possunt 127
Angeli duos fines, et media habent duplicis generis. . 82
Angeli opus habuerunt quadruplici gratia. 292
Angeli omnes fuerunt gratia sanctificante aliquamdo illustrati 294
Angeli omnes in gratia sanctificante conditi sunt . . 298
Angelos creari in gratia sanctificante præstantius fuit, quam post creationem recipere 330
Angeli an gratiam receperint juxta nativam perfectionem. 301
Angeli sese disposuerunt ad gratiam sanctificantem . . 305
Angelus non necessario se intelligit quantum ad exerci-

pag.

tium; et si necessario se intelligeret, non propterea ideo se amaret necessario . 174
Angelus potest accendere intellectum humanum tripliciter 321
Angeli quamquam tenaces sint in eo quod semel elegerunt, non tamen propterea dicuntur immobiles 299
Angelus illuminatus mere passive se habet ad illuminationem ab illuminante totaliter in se productam 154
Angeli statim post suum peccatum fuerunt ad inferos detrusi, et præcipitati . . . 420

De libertate Angelorum.

Angeli sunt libero arbitrio donati 157
Angelus tam remanet indifferens, et liber post electionem, quam ante ipsam . . 161
Angeli ab ipso suæ creationis exordio fuerunt liberi . . 360
Angelus fuit liber libertate contradictionis, et exercitii in primo suæ formationis instanti 366

De loco Angelorum.

Angelum esse in pluribus locis continuis, et adæquatis consentiunt omnes . . . 191
Angelus non potest esse naturaliter in duobus locis adæquatis, nec continuis. . . 196
Angelus locum indivisibilem occupare potest. 191
Angelus potest se sistere in loco minimo, et indivisibili. 193
Angelus ita determinatur ad locum, sicut anima ad informandum corpus . . . 197
Angelus potest esse in pluribus locis tam adæquatis, quam inadæquatis supernaturaliter 198
Angeli possunt esse naturaliter in eodem loco, si non omnes, saltem plures . . . 200

pag.

Angelus potest mutationem, non vero per localem motum 226
Angelus potest transire ab uno loco ad alium in instanti per simplicem mutationem . . 228
Angelus non potest transire ab uno loco ad alium impertransito medio communicante . 230
Angelus potest velle se esse in loco remoto impertransito medio voluntate inefficaci, non vero efficaci 233
Angelus potest præsentiam suam restringere ad minimam loci sui adæquati partem 235
Angelorum spiritualitas non impedit quin vere sint in loco. 177
Si Angelus esset in loco per operationem dumtaxat, sæpe nusquam esset 183
Angelus potest esse in loco absque ulla operatione . . 185
Angelus tam capax est loci definitivi ratione quantitatis virtutis, quam substantia corporis suæ quantitatis molis . . . . . ib.
Angelus habet determinationem ad unum locum occupandum potius, quam ad alterum causaliter a sua virtute motiva, et fundamentaliter a sua substantia. . 187
Angelica substantia secundum se est invariabilis: variari tamen potest per respectum ad locum cui applicatur. . 188
Angelus non semper determinatur ad existendum in æquali loco. 190
Angelorum locus est duplex, adæquatus, et inadæquatus. ib.

De locutione Angelorum.

Angeli sibi invicem loquuntur manifestando suos conceptus 132
Angeli sibi invicem non loquuntur per signa corporea. 134
Angeli aliquando dicuntur loqui nutibus, et signis, in quantum scilicet ad se invicem dirigunt suos conceptus. 136
Angelica locutio non fit per

pag.

simplicem conceptus manifestationem 136
Angelus unus ut dicatur alteri loqui, non sufficit quod illi mentis suæ conceptum aperiat: sed requiritur ut Angelus ille ad quem talis conceptus dirigitur, recipiat aliquid quo moveatur, et excitetur, ut advertat Angelum illum, qui vult ipsi suos conceptus manifestare . . . 137
Angelum alteri loqui producendo in eo conceptum objecti de quo loquitur, egregie probat Scotus 139
Angelus alteri loquens potest sui conceptus notitiam ingerere in audientem tribus modis 143
Angelus loquens debet prius formare in seipso notitiam objecti, quam in intellectu audientis 144
Angelus loquens alteri Angelo potest mentiri . . . . . ib.
Angelus potest loqui alteri Angelo in maxima distantia posito 145

De merito Angelorum.

Angeli potuerunt primo instanti esse miseri miseria pœnæ 291
Angeli meruerunt beatitudinem 307
Angeli gloriam meruerunt prius tempore, quam ipsam habuerint. 309
Angeli potuerunt habere majus meritum intensive, quam plurimi homines; etsi modico tempore fuerit comparatum. 310
Angeli meruerunt beatitudinem per actum Fidei, Spei, et Charitatis . . . . . ib.

De motu Angelorum.

Angelus non movetur motu per accidens, sed motu per se. 210
Angelus seipsum movet localiter 212
Angelorum motus est verus, et realis 208

pag.

Angelo non est frustranea potentia motiva 215
Angeli potentia loco motiva non distinguitur realiter ab ipso Angelo . . . . . ib.
Angelus qualiter moveri possit a solo Deo 216
Angelus unus quomodo alterum movere possit . . . ib.
Angelus moveri potest motu continuo, et successivo. . 217
Angelus non potest naturaliter moveri motu discreto . . 226
Angelus non potest moveri in instanti ab uno loco ad alium motu proprie dicto . . . 227
Angeli possunt mutare locum tripliciter. . . . . .
Angelus per mutationem instantaneam potest transferri 230 de loco adæquato in alterum adæquatum continuum, et priori contiguum 231

De missione Angelorum.

Angelorum missio duplex est, interna, et externa . . . 316
Angeli quandoque ad homines mittuntur 317
Angeli, etiam mali, interdum ad homines mittuntur a Deo. 318
Angelorum missionis tres sunt effectus 323
Angelorum novem esse ordines probant SS. Patres. . 73

De peccato Angelorum.

Angelus non fuit peccator in primo instanti suæ creationis 359
Angelus peccare potuit in primo instanti suæ creationis. 365
Angelus habuit duas conditiones, quæ requiruntur ad peccandum, in primo instanti suæ creationis . . . . . ib.
Angeli in primo instanti suæ creationis licet peccarent, illud tamen peccatum Deo non esset adscribendum . . . 368
Angelus quanam potentia peccare potuerit in primo instanti 370
Angelus nequit producere novum phantasma in phantasia hominis, nisi mediante

pag.
objecto naturaliter illius causativo 325

De cognitione Angelorum.

Angeli in instanti suæ creationis habuerunt rerum saltem universalium species sibi concreatas, ut docet Scriptura sacra 94
Angeli indigent speciebus impressis ad cognitionem abstractivam rerum possibilium, ut docet Doctor, et probat ratio 95
Angelus non debet necessario ferri in ea objecta quorum habet species, nisi in eo actu reluceant 96
Angelus potest recipere illas objectorum species a Deo, vel a rebus ipsis 97
Angelus non indiget speciebus ad cognitionem rerum præsentium . . . . . ib.
Angelus posset præstantius cognoscere per speciem particularem quidquid cognoscit per universalem 100
Angelus potest seipsum cognoscere per suam essentiam, et nulla mediante specie intelligibili 107
Angeli possunt cognoscere divinam essentiam per speciem ipsius distincte repræsentativam, quæ quidem species esset naturalis quoad substantiam 111
Angelis in primo statu suæ creationis concreta est species abstractiva Deum distincte repræsentans . . . 115
Angeli sunt in determinato spatio 177
Angeli inviderunt homini propter unionem hypostaticam. 399
Angeli affectaverunt unionem hypostaticam . . . . . ib.
Angeli non sunt ubique . . . 178
Angeli sunt voluntate donati. 155
Angelica voluntas non est immutabilis 159
Angeli primum velle non est a Deo, sed a se 369
Angeli per virtutem suam limitatam quantitati infinitæ præsentes esse nequeunt . 192

Anima.

Anima rationalis non habet vim assumendi corpora, quia non habet vim administrativam sicut Angelus . . . 258
Anima triplex habet operationum genus in corpore, sicut in eodem triplicem habet unionis modum 267
Animam rationalem quare Deus infundat in corpora a dæmone genita. 276
Animæ defunctorum interdum apparent 442
Anima rationalis potest seipsam per suam substantiam cognoscere dum separatur a corpore 114

Appetitus.

Appetitus etiamsi feratur in objectum ad quod naturaliter inclinatur, potest tamen esse inordinatus, et malus. 386
Appetitus divinitatis hypotheticus non est culpabilis, talis autem non fuit Angelicus 398

Acquisitio.

Acquisitio quando fit per verum motum localem, partes viciniores prius sunt acquisibiles, quam remotiores, non vero quando fit per simplicem mutationem . . 234

B

Beatitudo.

Beatitudo duplex est, essentialis, et accidentalis . . 346
Beatitudo naturalis non est inamissibilis. 286
Beatitudinem non potest non velle Angelus, sed potest velle inordinate propter finem bonum. 387
In ordine ad Beatitudinem Deus eodem modo se habet erga homines, et Angelos. 308

pag.

Beatificare.

Beatificare essentialiter tam objective, quam effective ad solum Deum pertinet . 153

Bonitas.

Bonitas triplex assignatur, cui opponitur triplex malitia 401

C

Christus.

Christus post resurrectionem suam manducando vertere potuit cibum in suam substantiam 270
Christus licet beatus cur mereri potuerit, non vero Angeli. 290
Christus Dominus dæmones ejiciendi potestatem suis Ministris, et Viris sanctitate præditis reliquit . . 146
Christi intentio quænam fuerit dum post resurrectionem se palpandum Discipulis exhibuit 265

Cælum.

Cæli, et stellæ non sunt diversæ naturæ 70

Cognitio.

Cognitio duplex est, intuitiva scilicet, et abstractiva . . 93

Conservatio.

Conservatio est actio Dei positiva 241
Conservatio non est actio distincta a prima productione quantum ad positivum utriusque ; quamvis una qua talis importet aliquem respectum, quem non importat alia . . . . . ib.

Continens.

Continens per modum causæ debet esse actuale contento, non vero continens per modum loci 180

pag.

Corpus.

In corporibus ab Angelis assumptis colores sunt vere reales 262
Corporum assumpto fit ab Angelo propria virtute . . ib.

Corruptio.

Quid sit corruptio, et quomodo aliquid dicatur corruptibile. 10
Triplex est corruptionis genus. 11

Creatura.

Creaturæ triplici ordine distinguuntur 5
Creaturis quibusdam Deus utitur ad alias servandas. 326

Culpa.

Culpa dæmonum, et damnatorum non est demeritoria, quia non sunt viatores . . 415

D

Dæmon.

Dæmones non appetunt sui non esse nisi per accidens. 172
Dæmones cur mulieres pulchris donatas capillis maxime infestent 274
Dæmon qualiter conferat ad generationem 276
Dæmones quibuscum rebus corporeis videantur habere antipathiam 38
Dæmon licet sit mortis origo, vitam tamen per accidens producere potest, etiam humanam, licet ab homine specie differat 275
Dæmones feruntur multis exemplis parvulos aliunde genitos quasi a se genitos substituere 277
Dæmones possunt interdum animalia imperfecta per se producere, et perfecta per accidens 278
Dæmones, et damnati sunt ita in malo obfirmati, ut numquam possint resipiscere 403

pag.

Dæmones juxta varias formas, quas induunt, et loca, quæ incolunt, varias obtinent appellationes . . . 440
Dæmones aliqui dicuntur subterranei 443
Dæmones varias hominum, ac brutorum formas induunt. ib.
Dæmones Sanctorum, imo et Jesu Christi formas induunt. ib.
Dæmones qualiter hominibus illudant 441
Dæmones sortiarios conviviis alliciunt; quis ritus in eis observatus 452
Dæmones cur nonnisi unguento sagas deferant, et quid præstet unctio . . . 453
Quod dæmones deportent homines ad conventus locum, variis confirmatur exemplis. 455
Dæmones non potuerunt naturæ viribus cognoscere Mysterium Incarnationis . 119
Dæmones non possunt effingere corpora ita perfecta, quin facile dignosci possint. 265
Dæmones interdum vera assumunt corpora hominum, vel animalium 263
Dæmones in corporibus assumptis per se generare nequeunt, sed tantum per accidens, et per semen aliunde acceptum 272
Dæmones qualiter uni homini in corporibus assumptis noceant, non vero alteri . . 271
Dæmones non possunt corpora in aliam speciem mutare. 278
Dæmones qualiter eamdem partem corporis cum anima occupare possint 447
Dæmones subire corpora Deus permittit variis de causis. ib.
Dæmonis peccatum concupiscentiam esse, seu libidinem corpoream affirmavit Tertullianus, sed minus bene. 32
Dæmonum sævitia quam dira sit in homines 136
Dæmonum infestatio multiplex est 440
In dæmonibus quænam integra steterint, quænam vero fuerint immutata 286

pag.

Dæmonum detentio est æqualis 127
Dæmonum demeritum, et damnatorum augetur extensive, non vero intensive . 415
A dæmone aliquem possideri quibus signis cognosci possit 449

Deliciæ.

Quid intelligatur per delicias Paradisi, quas Lucifer dicitur degustasse 290

Dependentia.

Dependentiam includit creatura ad Deum, ut causam non solum sui ipsius, sed et totius Universi. 170

Deus.

Deus non vult omnia per seipsum efficere, licet possit; ita non vult creaturas omnes intellectuales per seipsum illuminare 151
Deus qualiter dicatur in Angelis reperisse pravitatem, vel non posuisse laudem . 299
Dei posteriora quænam a Moyse dicantur 5

Diabolus.

Diabolus plerumque latet, ut creaturis tribuatur malum, cujus ipse est artifex . . 17
Quod diabolus ab initio fuerit peccator, quomodo accipiendum sit 297

Differentia.

Differentia duplex, specificativa, et individualis . . . 60
Differentia formalis duplex est. 69

Difficultas.

Difficultas fuit in Angelo per se prosequendi bonum oriunda ex proportione objecti circa quod tendere debebat 310

Dispositio.

Dispositio præcedit formam instanti naturæ, non temporis 307

pag.

Dispositio ad formam debet ipsam præcedere, quando ex sua speciali ratione habent aliquam incompatibilitatem, ratione cujus non possunt simul subsistere . 309

Draco.

Quid intelligendum sit per Draconem, qui tertiam partem stellarum e cælo in terras traxit. 60

Duratio.

Duratio creata non potest habere simul esse, fuisse, et fore, quatenus se tenet ex parte creaturæ; potest tamen quatenus se tenet ex parte Dei. 243
Duratio Angeli etsi indivisibilis non est infinita, quamvis in æternum sit duraturus. . . . . ib.
Duratio Angeli ab ipso realiter non distinguitur. . . 245
Non eodem modo ratiocinandum est de durationc respectu rei durantis, quomodo ratiocinamur de tempore respectu motus. . . . ib.
Durationis Angelorum tria fuerunt instantia 312

E

Electio.

Electionis mutatio ex triplici capite provenit. 164

Esse.

Potest aliquis indirecte, et imperfecte velle suum non esse 379

F

Facultas.

Facultas eadem elicere potest duos actus, quando sunt subordinati 307

Filius.

Quid intelligendum sit per Filios Dei jubilantes. . . 21
Per Filios Dei Filiabus hominum conjunctos intelliguntur, vel posteri Seth, et Enos, vel homines statura proceri, vel Filii Principum, et Magnatum . . . 32

Finis.

Aliquid habere potest rationem finis, vel ad supplendam indigentiam, vel ad suscipiendam influentiam: prior modus perfectionem, posterior vero imperfectionem 13

Forma.

Formæ separatæ a materia non debent habere omnem perfectionem suæ speciei . 69
Ut potentia dicatur formæ susceptiva, sufficit, quod naturaliter illa formæ destitui possit 90

Futura contingentia.

Futura contingentia dæmonibus Deus aliquando revelavit, vel per se immediate, vel per bono Angelos . . 128
Futura contingentia quando prænuntiant dæmones, hæc cognoscunt ex conjecturis, et siderum influentiis . . 129

G

Generatio.

Generatio ex dæmone succubo, et homine fieri non potest. 277

Gratia.

Gratia trifariam usurpatur . 292
Cum minori gratia potest aliquis plus mereri, quam alius cum majori 303

H

Habitus.

Habitus non necessitat potentiam, sed tantum eam inclinat, et facilitat ad operandum 162

Hierarchia.

Hierarchia triplex est, divina, Angelica, et humana. 71

pag.

Hierarchia non est proprie in Deo 72
Hierarchia Angelorum triplex . . . . . ib.
Tres sunt operationes Hierarchiæ, ex quibus tres Hierarchiæ concluduntur . . 78

I

Ignis.

Ignis Inferni an sit corporeus, et materialis . . . 418
Ignis, quo dæmones torquentur, est verus, et corporeus. 422
Ignis Inferni non realiter, sed intentionaliter excruciat . 423
Ignis Inferni est disconveniens damnatis dupliciter. 424
Ignis Damnatorum, et dæmonum non est metaphorice accipiendus 429
Ignem cruciantem semper secum defert diabolus . . . 427
Ex Ignis apprehensione statim concipit dæmon tristitiam . . . . . ib.

Illuminatio.

Illuminatio fit per productionem conceptus illuminantis in illuminato 154

Illusio.

Illusionum duo sunt genera. 437

Immortalitas.

Immortalitatis genus triplex est 42

Impeccabile.

Nulla unquam extitit creatura, aut existere potest, quæ sit intrinsece, et ex natura sua impeccabilis 359
Creatura, quæ primo instanti suæ creationis foret impeccabilis, posset in sequentibus talis non conservari . 364

Inclinatio.

Inclinatio duplex est in Angelo, et homine, una generalis, quatenus creatura est, et altera specialis, quatenus est talis creatura 170

pag.

Inclinationem naturalem ad bonum habet creatura rationalis 171

Individuatio.

Qualiter materia sit principium Individuationis . . 67

Indulgentia.

Indulgentia anticipata indulgere dicitur Deus impediendo peccata, non vero condonando, et parcendo jam commissa. 104

Inferiora.

Inferiora per superiora regi debent. 151

Infernus.

Inferni elegans descriptio. 423
In Inferno non videntur esse aqua, aut nix 429
In Inferno sunt vermes voraces 430

Instans.

Duo Instantia immediate sibi succedere nequeunt . . . 221

Intellectus.

Intellectus Angelicus, et humanus specie differunt ex parte fundamenti, etsi non differant ex parte objecti . 53
Intellectus agens, et patiens duobus modis usurpantur . 83
Intellectus Angelicus ab Angelo, et humanus ab homine, aut anima realiter non discrepat 85
Intellectus agens, et patiens reperitur in Angelis . . . 86
Intellectus agens requiritur in Angelo ut intelligat objecta sensibilia. 89
Intellectus possibilis est in Angelo . . . . . ib.
Intellectus agens, et possibilis non solum ita nominantur per comparationem ad phantasmata. 90
Esse imaginabile est esse medium inter sensibile, et intelligibile quantum ad intellectum humanum, non

pag.

vero quantum ad Angelicum 106
Intellectus Angelici activitatem superat aliquod ens creatum 119

Intelligere.

Triplex est modus intelligendi 86

Intellectio.

Intellectio in quo consistat, et per quid completa sit . 84

Invigilare.

Propter tria maxime nobis invigilant Angeli 326

Justitia.

Justitia distributiva, et commutativa quid sit. . . . 304

L

Libertas.

Libertas triplex; a coactione scilicet, a peccato, et a miseria 156
Libertas rursus triplex, contrarietatis, contradictionis, et essentialis . . . . . ib.
Libertas essentialis unde colligatur. 157

Liber.

Creatura rationalis nequit creari non libera 158

Locus.

Locus superior rei nobiliori non semper tribuitur . . 23
Locus corporeus duplex est. 176
Locus Angelorum duplex, adæquatus, et inadæquatus. 190
Locus triplicem habet ad locatum habitudinem, et operationem 176
In corporibus contactus physicus requiritur, ut sint realiter in loco, quia sunt in eo divisibiliter; secus vero in substantiis spiritualibus. 186
Corpora divinitus possunt esse in loco sine quantitate . . ib.
Substantia corporea est in loco divisibili per commensurationem totius quantitatis cum toto loco, et partium ejusdem cum partibus loci.. 189
Substantia Angelica non semper determinatur ad existendum in æquali loco . ib.
Ad veram determinationem loci, et locati sex desiderantur conditiones . . . 177
Aliquid potest esse in loco circumscriptive, et definitive. 179
Ideo duo corpora non possunt esse in eodem loco, quia utrumque replet locum, cui præsens est 131
Ideo corpus non potest esse in pluribus locis, quia secundum suam entitatem limitatam ita determinatur ad unum, ut simul plura habere nequeat 198
Duo corpora gloriosa possunt simul esse in eodem loco. 202
Ut res sit in loco debet ei aliquid advenire præter conservationem, ut vero duret non debet aliquid aliud a conservatione ei advenire . 246

Locutio.

Locutio tribuitur Deo, et Angelis 132
Locutio præter determinationem conceptus, exigit ut dirigatur physice in audientem, quo nempe de non audiente fiat audiens . . . 139
Locutio, et illuminatio Angelica inter se distinguuntur. 149

Lucifer.

Lucifer alios Angelos ad peccandum induxit 371
Lucifer aliquando cæteris Angelis sanctior fuit. . . . 302

Lumen.

Lumen majus minus non extinguit, sed auget. . . 154

M

Malitia.

Malitia dæmonum, et damnatorum est summa, et attin-

pag.

git terminum, ac proinde non augentur eorum peccata, nec pœnæ 114

Materia.

Materiam qualiter usurpaverit Aristoteles, dum eam esse principium individuationis asseruit 68

Medium.

Medium inter terminum a quo, et ad quem duplex est, scilicet communicans, et non communicans 229

Mensura.

Mensura, et mensuratio quid sit 236
Mensura duplex est, entitativa scilicet, et quantitativa. ib.
Mensura aliqua non reperitur in Angelo, quæ mensuret ipsius existentiam . . . 246
Mensura æterna potest poni in Angelo, quæ mensuret ipsius existentiam, qua si sit extra genus, erit Deus, si vero in genere erit existentia primi Angeli. 247
Mensuræ genus quadruplex est 235

Mensurare.

Nulla creatura mensuratur æternitate 250
Operationes Angelorum mensurantur tempore nostro . 253

Meritum.

Meritum quid sit. 303
Meritum triplex, congrui, digni, et condigni . . . . ib.
Meritum majus requirit majus præmium intensive, non vero extensive 310
Ad meritum præstandum tria concurrunt 304

Mereri.

Ad merendum tria concurrunt ex parte Dei, totidem ex parte creaturæ rationalis. ib.
Ad merendum necessario requiritur status viatoris . . 309

pag.

Meritorium.

Opera bona sunt meritoria trium meritoriorum . . . 304

Mysterium.

Mysterium Sanctissimæ Trinitatis Angelis revelatum est 311

Motus.

Motus est accidens divisibile successivum non permanens, adeoque non repugnat Angelo 209
Motus duplex est, circumscriptivus, et definitivus . ib.
Motus est quadruplex, scilicet continuus, discretus, successivus, et instantaneus 216
Motus Angeli ut excedat in velocitate motum quemlibet corporis, non est necesse, quod fiat in instanti. . . 228
Motus successio ex triplici capite repetenda est. . . 217
Motus spectari potest vel in specie, vel in genere . . ib.
In motu organico una pars movet aliam non in alio, v. g. motus gravium, et levium 214
Ad motum Angeli mensurandum non requiritur tempus a tempore nostro distinctum 226
Discrimen inter simplicem mutationem, et motum . . 229
Quodnam sit discrimen inter motum per medium communicans, et non communicans. 232
Quid tandem discriminis inter motum localem, et motum cogitationum nostrarum. 231

Moveri.

Aliquid potest moveri tripliciter 205
Indivisibile etiam quantitativum non potest moveri continue 219
Quid sit moveri motu discreto. 225
Deus non potest facere cor-

pag.

pus quod secundum suam naturam intrinsecam non possit divinitus a suo motu impediri 363

N

Natura.

Natura intendit multiplicationem individuorum, quæ sunt actu numero finita . 70
Natura quamvis non intendat productionem rei ut deficiat, potest tamen aliunde deficere 252
Naturæ specie diversæ possunt habere operationes ejusdem speciei 53

O

Objectum.

Objectum intellectus Angeli quodnam sit. 88
Objectum ut moveat potentiam non debet esse illi præsens substantialiter, sed tantum per intimam sui motionem 98
Objectum ut causet intellectionem non debet necessario esse forma intellectus. 99

Obstinatio.

Obstinatio dæmonum in malum non oritur ab infuso in eis habitu malo et vitioso, nec ab aliquo actu a Deo producto in eorum voluntate, sed a voluntate, et denegata gratia conjunctim 408

P

Paradisus.

Paradisus in quo stetit Lucifer, quid sit 23

Peccatum.

Peccatum Angeli fuit amor sui, quo sibi ipsi, et in seipso nimium complacebat. 383
Peccatum primum Angeli fuit superbia, non quatenus superbia est, sed quatenus significat nimiam sui complacentiam, et amorem inordinatum 390
Peccatum primum Angelorum fuit nimius, et inordinatus sui amor 380
Peccatum primum Angelorum melius ad luxuriam, quam ad quolibet aliud est reducendum 391
Peccatum Luciferi gravius multo fuit, quam peccatum ejus sequacium. 375
Peccatum dividitur inadæquate, et incongrue in septem genera. 391

Peregrinatio.

Peregrinatio duplex est, beatitudinis, et alia peccati. . 290

Perfectio.

Aliquid potest habere perfectionem sibi coævam tribus modis 88
Quando aliquid habeat perfectionem coævam sibi ex beneplacito auctoris naturæ, quam aliunde posset sibi vindicare, debet habere facultates intrinsecas, quibus ipsam comparare possit. . ib.
Omnis perfectio in inferioribus non dicens imperfectionem attribui debet naturæ superiori 103
Omne perfectivum non debet esse perfectius suo perfectibili 2 8

Permanentia.

Circa rei permanentiam quinque considerari possunt. . 251

Phantasia.

Varia spectra immutant, et corrumpunt phantasiam. . 438

Pœna.

Pœna damnatorum duplex est, damni, et sensus 416
Pœna damni, et pœna sensus respondent duplici deordinationi, quæ est in peccato mortali . . . . . ib.

pag.

Elegans de pœnarum æternitate sententia 432

Pœnitentia.

Pœnitentia dæmonum, et damnatorum inutilis, et infructuosa est. 413

Pœnitere.

Quare homini, et non Angelo concessum sit pœnitendi tempus, et auxilium . . . 405
Ideo damnati, et dæmones non possunt pœnitere, quia denegatur eis sufficiens auxilium. 406

Populus.

Quid significet distributio populorum juxta numerum filiorum Dei 60

Potentia.

Potentia locomotiva Angeli superioris quomodo sit præstantior 220

Præceptum.

Præceptum de Deo amando est juris naturalis. . . . 170

Promissio.

Quid intelligendum sit per promissionem ante tempora sæcularia. 21

Propositio.

Propositiones non sunt contradictoriæ, nisi sint de eodem modo spectato . . . 124

Q

Quantitas.

Quantitas non est ratio formalis fundans ubificationem corporum in loco 186

R

Relatio.

Relationum genus triplex est. 215
Substantia Angelica fundare potest relationem præsentiæ in loco, non quatenus est substantia Angelica, sed quatenus est hic, et non alibi 188

Res.

Res non censentur esse in statu violento, nisi quando earum virtus præpeditur . . 124

S

Sacerdos.

Sacerdotes potestatem habent in Corpus Christi naturale, mysticum, et morale. . . 47

Sensatio.

Sensatio tribus modis fit, et accipitur 267

Spatium.

Spatium reale se habet ad corpora per modum continentis, et spatii repleti; at quantum ad spiritus se habet quidem per modum loci, sed non per modum spatii . . 201

Species.

Species accipitur duobus modis, proprie scilicet, et improprie 48
Species objecti repræsentativa duplex est, impressa scilicet, et expressa 94
Species ab objecto materiali desumere potest creatura rationalis 106
Species repræsentativa substantiæ Angeli potest dari absque eo quod repræsentet gradum illius existentiæ . 112
Species rerum universalium quas habent Angeli, non ab eorum substantia emanant. 114
Species rerum Angelis inditæ, sunt supernaturales quoad modum, non quoad substantiam . . . . . ib.

Spectra.

Spectra sensus externos lædunt 438

Spiritus.

Spiritus nominis quintuplex est acceptio, et significatio. 24

pag.

Spirituale.

Spiritualis substantiæ multiplex acceptio 25

Status.

Affertur discrimen quod est inter viatorum, damnatorum, et comprehensorum status 401
Ex parte status repetenda est impossibilitas reparandæ salutis 405

Striges.

Striges revera ab ipso dæmone ad cœtus locum deferuntur 154
Non est certum, quod judicibus nocere non valeant Striges 463
Cur Deus homines innocentes a Strigibus vexari permittat . . . . . ib.
Striges quomodo noceant . . 156
Strigum deportatio quot modis fiat 460

Substantia.

Substantiæ spirituales habent aliqua velamina, quibus occultari possint, sicut corporeæ 116

Successio.

Successio non est de essentia motus 228
Successio requiritur in abjectione termini a quo, et in acquisitione termini ad quem 234

Supplicium.

Supplicia damnatorum sunt æterna. 431

T

Theologia.

Theologia non deprimitur dum creaturas in ordine ad Deum contemplatur . . . 5

pag.

V

Ubificatio.

Ratio formalis ubificationis sumitur bifariam 177

Verbum.

Verbum mentis quid sit . . 84

Via.

Via Angelorum fuit valde brevis 315

Visio.

Visio beatifica mensuratur ævo 249
Visio beatifica dicitur æterna, ex eo quod in æternum sit duratura non formaliter. . 252
Ideo Deus dicitur invisibilis naturæ viribus, quia ejus visio intuitiva non est intra lineam ordinis naturalis. . 125

Videre.

Aliquid videri potest in Verbo dupliciter. 152

Vita.

Vitæ actiones sunt duplicis generis 267

Universale.

Universale in conceptu nihil esse potest, quin idem sit in re 66

Universum.

Non omnes modi, et gradus entis ad Universi perfectionem spectant 37

Volitio.

Volitio distinguitur in amorem amicitiæ, et concupiscentiæ 379
Volitio inefficax potest versari circa impossibile 395

Voluntas.

Voluntas etsi tendat necessario in finem, non ita tendit in media. 363
Voluntas errare potest circa finem ultimum, licet intel-

pag.
lectus nequeat errare circa prima principia 413
Voluntas remanet libera quoad exercitium circa quodlibet objectum 172
Voluntas si determinaretur necessario ad agendum, dictamen rectæ rationis non haberet rationem voluntatis. 365
Voluntas Angelica, si non esset immutabilis in proposito, posset naturaliter reddi impeccabilis in futurum . 161
Voluntas Angelica libera est quantum ad exercitium. . 164

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
B765.D7F861900 C001
SCOTUS ACADEMICUS ROMAE
V.4
3 0311 00001 1978

BX
890
.D71
1900
V.4

WITHDRAWN

42963

42963
Duns, Joannes, Scotus, 1265?
AUTHOR -1308?
1900 SCOTUS ACADEMICUS, SEU UNI-
TITLE VERSA DOCTORIS SUBTILIS
v.4 THEOLOGICA DOGMATICA...
DATE DUE
208.885
F843s 12,337
v.4